

AYUNTAMIENTO  
DE MURCIA  
**ARCHIVO**

EST<sup>E</sup> .....

2

TAB<sup>A</sup> .....

B

N.<sup>o</sup> .....

1

40 - Doble  
1929.

ESTE EJEMPLAR,

POR SU TAMAÑO Y/O

ESTADO DE CONSERVACIÓN

**NO SE PUEDE FOTOCOPIAR**

Acuerdo Comisión de Gobierno: 27 octubre, 1988



Handwritten mark or signature in the upper right corner.


EXPOSITIO  
IN TITULORVM  
IURIS CANONICI.

IN qua omnes eiusdem Iuris Rubricæ & Rubricarum  
termini, per quasdam vtilis obseruatio-  
nes elucidantur.

Auctore Doctore Bartholomæo Carta-  
gena Valentino Orceitano, vtriusque Iuris  
strenuissimo causarum patrono.

A Licenciatum D. Ludouicum Abarca  
de Bolea, & Castro, &





# EL REY.




Or quanto por parte de vos Fráncisco de Robles, estante en esta Corte nos fue fecha relacion que Bartholome de Cartagena auia compuesto un libro intitulado Expositio Titulorum Iuris Canonici, escripto

de mano, en el qual el dicho Bartholome de Cartagena auia gastado mucho estudio y trabajo, del qual teniades poder y nos pedistes y suplicastes, os mandassemos dar licencia y facultad para imprimir el dicho libro, por tiempo de veynete años, o como la nuestra merced fuesse, lo qual visto por los del nuestro Consejo, por quanto en el dicho libro se hizo la diligencia que la pragmática por nos sobre ello fecha dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula, en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien, por la qual os damos licencia y facultad para que por tiempo y espacio de diez años cumplidos primeros siguientes que corran y se cuēten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula en adelante, vos o la persona que para ello vuestro poder oviere, y no otra alguna podays imprimir y vender el dicho libro que de suso se haze mencion, y por la presente damos licencia y facultad a qualquier impresor destos nuestros Reynos que vos nombraredes, para que durate el dicho tiempo le pueda imprimir por el original que en el nuestro Consejo se vio que ya rubricado cada plana, y firmado al fin de Francis

P. 2062

92

co



co Martinez nuestro Escriuano de Camara, y vno de los q̄ en el nuestro Consejo residen, con que antes que se venda le trayays ante ellos, juntamente con el dicho original, para que se vea si la dicha impressiõ esta conforme a el, y tray gaysfee en publica forma, como por Corrector por nos nõbrado, se vio y corrigio la dicha impressiõ por el dicho original, y mandamos al impressor que assi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y primer pliego del, ni entregue mas de vn solo libro con el original al autor o persona a cuya costa se imprimiere para efecto dela dicha correctiõ y tassa, hasta que antes y primero el dicho libro este corregido y tassado por los del nuestro Cõsejo, y estãdo hecho y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio y primer pliego, en el qual inmediatamente se ponga esta nuestra licencia e priuilegio, y la aprobacion tassa y erratas, y no lo podays vender ni vendays, vos ni otra persona alguna, hasta que este el dicho libro en la forma susodicha, sopena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha pregmatica, y leyes destos Reynos, que sobre ello disponen, y mandamos que durante el dicho tiempo persona alguna sin vuestra licencia no lo pueda imprimir ni vender, sopena que el que lo imprimiere y vendiere aya perdido y pierda qualesquier libros, moldes, y aparejos que del tuuiere, y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis por cada vez que lo contrario hiziere, de la qual dicha pena sea la tercia parte para nuestra camara, y la otra parte para el juez que



que lo sentenciare, y la otra tercia parte para el que lo denunciare, y mandamos a los del nuestro Consejo, Presidente y Oydores de las nuestras Audiencias Alcaldes, alguaziles de la nuestra casa y Corte, y Chancillerias, y a otras qualesquier justicias de todas las ciudades, villas y lugares de los nuestros Reynos y señorios, a cada vno en su jurisdiccion, ansí a los que agora son, como a los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced que ansí vos hazemos, y contra ello no vos vayan ni passen, ni consientan yr ni pasar en manera alguna, sopena de la nuestra merced y de diez mil maravedis para la nuestra Camara. Fecha en Aranjuez a diez dias del mes de Mayo, de mil y seyscientos.

**YO EL REY.**

*Por mandado del Rey nuestro señor.*

*Juan Vazquez.*

# TASSA.

**Y**O Francisco Martinez escriuano de camara del Rey nuestro Señor, y vno de los que en el su Consejo residen doy fe, que ante los dichos señores del Cõsejo, fue tassado cada pliego del libro intitulado, *Expositio Titulorum Iuris Canonici*, a tres maravedis en papel, y a este precio mandaron se venda, y no mas: y que esta fe de tassa se põga al principio de cada volumen del dicho libro, para que se sepa lo que por el se ha de llevar, y que no se venda de otra manera: y porque dello conste, de pedimiento de Bartholome de Cartagena, y mandamiento de los dichos señores del Cõsejo di la presente, que es fecha en la ciudad de Valladolid, a diez y siete dias del mes de Abril de mil y seyscientos y dos años.

*Francisco Martinez.*



A L L I C E N-  
ciado D<sup>o</sup> Luys Abar-  
ca de Bolea, y Castro, vno  
de los Caualleros que se inti-  
tulan nobles en el Rey-  
no de Aragon.



**S** I E M P R E (Se-  
ñor) he desseado oc-  
casiones en que mo-  
strar la deuida affi-  
cion y respeto que  
a V. M. por mi natural inclina-  
cion tengo, y por los muchos fauo-  
res y mercedes que de su generosa

J 4 mano

mano he recibido deuo. Y aunque  
este mi desseo es de servir con todas  
mis cosas alguna de tantas cō que  
me hallo obligado, se estiende a que  
rer estar lo mas de quien alargala  
mano para dar el don y beneficio,  
mas que para recibir el galardón y  
servicio. Y porque ninguno otro  
puedo yo hazer mayor a V. M.  
que pedirle: porque fue dicho de sa  
bio, ser de animo generoso querer  
deuer mas a quien mucho se deue,  
lo hago. Suplico a V. M. reciba en  
su protection esta obrezilla, con el  
animo que suele admitir pequeños  
servicios hechos con grande volun  
tad, para que con el resplandor de  
su nombre, descubra los quilates  
que

que merece el trabajo q̄ en ella se pu-  
so, porque fiado en el mucho valor  
y nobleza de U. M. de cuya illus-  
tre sangre de Abarcas los Reyes  
de Aragon se preciaron, y tuvierõ  
parte: y sus padres con la noble de  
los Castros, y Reyes de Portugal  
juntaron, estoy cierto alcançara el  
ser que desseo, principalmente jun-  
tando se en U. M. tanta nobleza  
el conosciemiento y fino esmalte de tã  
buenas letras, en q̄ desde su niñez  
se ha criado, y hecho tantos proue-  
chos, y la mucha prudencia que to-  
do el mundo conoce, y en dos vezes  
q̄ fue Rector en esta Vniuersidad  
de Salamanca, experimentarõ los  
hombres de buen juyzio y letrados  
della

della, en su vniversal gouierno, y  
prouisiones, y augmento de cathe-  
dras, y lectores, y la erection de la  
insigne memoria del Collegio Tri-  
lingue, y cofradias, que aun desde  
lexos favorece y honra cō indulgen-  
cias, tanto que desseando le perpe-  
tuo, le eligieron y nombraron terce-  
ra vez Rector, y quisieron traer  
de muchas leguas ausente, cuya  
aprobacion tengo por vnico refu-  
gio y amparo desta y todas mis co-  
sas: y assi suplico a V. M. la reci-  
ba cō el animo que siempre tuuo en  
hazerme merced. Cuya persona  
nuestro Señor guarde en el estado y  
grandez a q̄ merece. De Salaman-  
ca a 30. de Iunio de 1602.

Miguel Blasco.

BARTHOLO-

mæus Cartagena Va-

lentinus Orcelitanus:

Candido lectori,

Salutem.



NON est mihi à me-  
moria longe alic-  
num ( candidissi-  
me lector ) duo li-  
brorum genera in  
vfu apud antiquos  
extitiffe, vt de operibus Splēdidiffi-  
mi philosophiæ luminis Aristote-  
lis multi contestatur: habuit enim  
philosophos quædam opera Exo-  
terica dicta, alia Acroamatica nun-  
cupata Exoterica, libri erant popu-  
lares & communes de rebus facilli-  
mīs

mis disputantes, stylo & modo pro-  
cedendi vulgari, & ita faciles vt  
etiam ab imperitis, & illiteratis ho-  
minibus facile caperentur. Acroa-  
matica vero libri difficillimi, &  
profundissimi extiterunt stylo &  
modo procedendi difficillimo, cō-  
positi, vt solum in vnaquaque ar-  
te peritissimi homines eorum pro-  
fundissimas difficultates percipere  
potuissent. Quibus recte perpē-  
sis nulli erit dubium, libros Acroa-  
maticos & difficiliore pro peritio-  
ribus & doctioribus in vnaquaq;  
arte hominibus fuisse compositos:  
Exotericos vero & faciliores, pro  
imperitis, & in vnaquaque scien-  
tia tyronibus extitisse cōscriptos.  
Qua librorū, ac personarū distin-  
ctiōe & varietate minime per-  
pen-



penſa, multoties iuniores male li-  
brorum qualitatem & ſtimationē  
diiudicare ſolent: hincque fieri ſæ-  
piſſime ſolet, vt periti homines li-  
bros in ſua arte faciles, & pro tyro-  
nibus prima rudimenta pertractā-  
tes, inutiles dicant: imperiti vero  
& tyrones, libros alios arcana altif-  
ſima, & recondita artis myſteria  
continentes facile contemnant:  
& tamen omnes debito perpenſis  
libramine vtilis ac neceſſarij vidē-  
tur: illi pro edocendis & inſtruēdis  
tyronibus qui adhuc prima artis  
principia non ſalutarunt: hij vero  
pro adiuuandis & confirmandis  
peritis, qui & facilia callent, &  
difficilia non ignorant. Nos igi-  
tur hoc noſtri ingenioli opuscu-  
lum elaborantes, nolumus iuris

Pon-

Pontificij peritis aliquod adferre  
lucrum & emolumentum, cum so-  
lum in eo facilia huius iuris  
principia contineantur: sed so-  
lum iuris ignaros omni eiusdem  
iuris cognitione destitutos, in-  
struere intendimus. Exotericum  
ergo nostrum opus est, facillima  
pertractans, pro tyronibus insti-  
tutum, stilo & methodo facili ela-  
boratum, ac denique fore nudam  
& solā terminorū Iuris Canonici  
doctrinam continens: quare (acu-  
tissime Lector) noli contemne-  
re opusculum pro imperitis edi-  
tum, exotericum esse perpendens.  
Scio enim quantum sit ad latu-  
rum commodum ijs qui ius Pon-  
tificium nunc primum incipiunt  
degustare, ac proinde quanti ha-  
ben-

bendum, quoties terminorum  
eiusdem iuris oriatur disputatio,  
in eo enim sunt omnes terminorum  
significationes, definitiones,  
etymologiae, & diuisiones, vt ex  
operis progressu facile percipies.  
Vtinam in tuum cedat emolu-  
mentum, & in sanctissimæ ac  
indiuidualæ Trinitatis glo-  
riam & honorem.

Vale.

## ERRATAS.

**P** Ag. 8 lin. 30. scilicet. leg. sint. pa. 14. li. antep. post.  
 le. potest. pa. 22. li. 16. tráfiat. le. tráfitu. pa. 39. li. 9.  
 est. le. etiam. pa. 40. li. 17. dispensatione, si. le. dispensa  
 tiue, siue. pa. 53. li. 5. talis. le. tales. pa. 108. li. 3. ille qui  
 restituitur. le. illi qui restituuntur. li. 5. maioris. le. ma  
 iores. pa. 112. li. 18. iudiciũ. le. iudicũ. pa. 148. li. 22. ve  
 ro ego. le. verbi gratia. pa. 210. li. 1. pænæ. le. penê.  
 pa. 250. li. 16. precaria. le. precariæ. pa. 260. li. 2. in. le.  
 in signum. pa. 277. li. ant domum. le. donum. pa. 304.  
 li. 1. renouabitur. le. reuocabitur. pa. 306. li. 9. sex. le.  
 seu. pa. 323. li. 6. arte con. le. ante. pa. 331. li. 17. signifi  
 ca cum fama & gloss. le. significat cum fama & glo  
 ria. li. 23. se Hedbraicum. le. sed Hebraicũ. p. 375. li. 7.  
 condictiõnem condictio. le. condictiõmen cõditio.  
 pa. 409. li. 1. esta el renglon al reues. pa. 431. li. 16. rei.  
 le. res. pa. 437. li. 22. heretico. le. hærciscõ. p. 441. li. 2.  
 qui. le. quia. pa. 508. li. 3. disputandum erit. le. dispu  
 ratum fuit.

Con estas Erratas esta impresso conforme  
 a su original este libro, Expositio «*униоуниа*»  
 En testimonio de lo qual lo firme en Salamã  
 ca, oy 14. de Febrero, 1602.  
 El Corrector, &c.

Manuel Correa  
 De Monte negro.



EXPOSITIO  
TITVLO RV M  
IVRIS CANONICI,  
LIBER PRIMVS  
DECRETALIVM.

De Summa Trinitate  
& Fide Catholica.

TITVLVS PRIMVS.



VRIS Pontificij disputationem suscepturus Decretalium Compiler, de summa Trinitate & Fide Catholica primum proponere voluit Rubricam : quoniam summa Trinitas omnium creaturarum est principium, & Fides Catholica omnium Christi fidelium firmissimum est fundamentum. Ut igitur tanto principio, tantoque fundamento hoc opus niteretur à

A

Rubrica

Rubrica de summa Trinitate & fide Catholica disputationem aggreditur.

Quare sic prima observatio hoc nomē summa, dupliciter accipitur, primo adiective, & sic derivatur à nomine summus. a. um. & significat rem altissimam, & præstantissimam. Secundo sumitur substantivè, qua ratione, aliquādo significat collectionē multorum numerorum aliquādo compendium eorū quæ diffuse alicubi tractantur. Et hinc est quod solent Doctores aliquos libros compendiosos appellare summas, vt summa Hostiensis, & summa Azonis. Et hinc etiam est quod aliqui Canonistæ appellant summam id quod alij vocant conclusionē. In hoc tamē titulo accipitur summa solum in prima significatione.

Secūda observatio, hoc nomē Trinitas significat idē, quod trium vnitas: quæ trium vnitas licet possit convenire multis rebus, vt tribus hominibus, & tribus lapidibus: tamen hic solum accipitur, pro Trinitate diuina, quæ est vnitas trium personarum Diuinarum in vna essentia, & natura diuina. Consistit namque hoc mirabile, & profundissimum mysterium Sanctissimæ Trinitatis in tribus personis scilicet Patre Filio & Spiritu Scto in vna natura, & essentia sunt enim tres personæ, & vnus Deus, vt multis in locis sancta cōfiteatur ecclesia præsertim in Athanasij Symbolo ibi. Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitatem veneremus, neque confundentes personas, neque substantias separantes: alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. In hoc ergo titulo Trinitas solum accipitur pro diuina Trinitate, vt diximus: nā ideo in Rub. dicitur. De summa Trinitate, quasi dicat non agimus de qualibet Trinitate, sed de summa, vt notat Ab. in hac Rubric. versic. & pro intellectu.

Tertia observatio, Fides multas habet significationes:

nam primo iuxta nominis Etymologiam significat, quod fiat id quod dicitur, ut in promissione, ubi qui promittit aliquid facturum, dicitur dare fidem, & qui non adimplet promissam dicitur infidelis: Secundo significat credulitatem qua credimus esse vera quae non videntur, & ab aliquo dicuntur, cap. in domo versu. et si abiero. de poenitentia distinctione. 4. unde Hispanice dicitur. Dar fee, pro eo quod est credere. Tertio significat conscientiam, ut in illa auctoritate ad Rom. 14. Omne quod non est ex fide peccatum est: & hinc est quod bona fides significat bonam conscientiam, ut in reg. bona fides de reg. iur. lib. 6. & mala fides significat malam conscientiam, ut in cap. possessor. eodem titulo lib. 6. Quarto significat equitatem: qua ratione dantur quaedam actiones quae appellantur actiones bonae fidei id est actiones equitatis. §. actionum autem. inst. de actionibus. Quinto significat quandam virtutem Theologicam à Deo hominibus in baptismo infusam, qua credimus ea quae sunt de fide, & de qua fideles loquuntur quando dicunt tres esse virtutes Theologicas, scilicet, fidem spem, & charitatem. Sexto & ultimo significat id quod per fidem creditur, ut articulos fidei & alia similia, qua ratione dicitur in Athanasij Symbolo. Haec est fides Catholica. Id est haec sunt res, quae creduntur per fidem Catholicam. In hoc ergo tit. accipitur fides in ultima solum significatione: nam solum in eo agitur de rebus quae creduntur, ut ex toto titul. facile colligere poteris.

Quarta observatio, hoc nomen Catholicus est dictio Graeca quae Latine significat idem quod uniuersale seu generale. Unde quia fides nostra generalis est proinde Catholica appellatur, & dicitur in rubrica, de fide Catholica, quasi dicat hic agimus de fide, & non de quacumque, sed de Catholica. Quod autem

Fides generalis fit patet, nam de ea prædicantibus Apo-  
stolis dicitur in Regio poemate, In omnem terram exi-  
uit sonus eorum.

Hic titulus continet duo capita, habetur in Sexto, &  
Clementinis. De eius materia disputatur cap. ultimo de  
consec. dist. 3. c. penult. & ult. de consec. dist. 5. cap. qui  
Episcopus. dist. 23. & dist. 22. per totam. Quod in hoc  
titulo disputatur est. Primo, de summa Trinitate & de  
diuinis personis. Secundo, de eorum operibus, & articu-  
lis fidei. Et tertio de sacramento Baptismi, Pœnitentiæ,  
& Eucharistiæ. Sensus autem huius rubricæ qui ex su-  
perioribus colligitur talis est, De summa Trinitate, id  
est, de vltima trium diuinarum personarum vnitare. Et,  
De fide Catholica, idest, de ijs quæ creduntur per Fi-  
dem Catholicam.

*De Constitutionibus. Tit. II.*

**P**RIMA obiectio. Iacto fundamento in titulo supe-  
riori, tam de iure scripto quam non scripto dispu-  
taturi sumus, & quia scriptum nobilius est non scri-  
pto, prius de iure scripto agendum erit: & sic de consti-  
tutionibus, quæ inter iura scripta principem obtinent  
locum. Constitutio ergo dicitur, à con, quod est simul,  
& statuo, statuis, quasi dicatur, simul statuitio. Vel dici-  
tur à nomine, communis & commune, & statuo, statuis,  
quasi dicatur, communis statuitio. Sed primam etymolo-  
giã impugnat Felinus in hac rub. versic. sed quod imo.  
quia non semper constitutio simul statuitur, cum possit  
Princeps solus sine consilio constitutionem facere. Se-  
cundã vero ego sic rejicio, quia non semper constitutio  
est communis statuitio, cum multæ scilicet constitutio-  
nes particulares, vt probatur in §. sed & quod principi.  
Inst. de iure naturali. Caterum ijs non obstantibus vtra-  
que etymologia optima est: nam non est necessarium  
quòd



quòd etymologia vocabuli sit æqualis cum illius signi-  
ficatione, vt patet in hoc nomine lapis, qui dicitur à la-  
sione pedis, & tamen multa lædunt pedem quæ nõ sunt  
lapides, & multi lapides non lædunt pedem.

Secunda obseruatio. Constitutio hac ratione diffini-  
tur. Constitutio est lex scripta: quam definitionem tra-  
didit Isidorus in cap. lex. distin. 1. Sed melius diffinitur  
sic. Constitutio est quod Princeps (sive secularis sive  
ecclesiasticus) per epistolam constituit, vel cognoscens  
decreuit vel edicto præcepit. d. §. sed & quod princip.  
Inst. de iure naturali. & l. 1. ff. de constitutionibus prin-  
cipum. Sub qua diffinitione comprehenduntur tam ge-  
nerales constitutiones, quæ faciunt legem, quam particu-  
lares, quæ priuilegia vocantur. Tu autem si volueris so-  
lam constitutionem generalem, de qua in hoc tit. agitur,  
diffinire, sic commodè poteris. Constitutio est quod  
Princeps per epistolam constituit, vel cognoscens decre-  
uit, vel edicto præcepit ad communem omnium utilita-  
tem. Ex quibus collige, quòd constitutiones, sicut idè  
quod principum placita, vt in dict. §. sed & quod prin-  
cipi. Inst. eod.

Tertia obseruatio, ex Abb. in hac rubr. versic. circa  
primum notandum est, quod cõstitutio potest sumi duo-  
bus modis. Primo strictè & proprie, & sic tantum com-  
prehendit constitutiones factas à Principe. Secundo mo-  
do largè & improprie, & sic comprehendit etiam consti-  
tutiones factas ab inferioribus à Principe veluti à Col-  
legio, Vniuersitate, Episcopo, & alijs similibus, quæ ne-  
que profunt, neque obsunt constitutionibus factis à  
Principe, nec ligant generaliter omnes, nisi in corpore  
iuris inferatur, nã tunc iam fiunt generales, vt in cap. cū  
omnes. cap. cum M. & cap. ex parte. infra isto titulo. In  
hoc ergo tit. constitutio largè & improprie accipitur.  
vt patet in dict. c. cum omnes. & in dict. c. cum M.

Quarta obseruatio, octo sunt species constitutionis Ecclesiasticæ, vt colligitur ex glossa in verbo, omnes, cap. omnes dist. 3. scilicet, Canon, Decretum, Decretalis epistola, Sanctio, Pragmatica sanctio, dogma, mandatum & interdictum. Canon est constitutio facta à Papa in Concilio generali, Decretum est constitutio quam Papa statuit de Concilio Cardinalium ad nullius consultationem Decretalis Epistola est constitutio quã statuit Papa vel solus, vel de consilio Cardinalium ad consultationem alicuius. Sanctio est constitutio facta cum interpositione pœnæ. §. sanctæ quoque res. in l. de rerũ diuisione. Pragmatica sanctio est constitutio facta ex causa agitata & discussa in Consistorio Papæ, gloss. verbo per pragmaticam in cap. peruenit dist. vltima, dogma est constitutio facta à Papa consistens in doctrinã Fidei Catholicæ, cap. qui Episcopus dist. 23. Mandatum est constitutio consistens in doctrinã de moribus. c. is igitur dist. 33. Interdictum denique est constitutio in qua nulla apponitur pœna. cap. interdixit dist. 32. Est tamen animaduertendum in fine huius tituli, quod constitutiones seculares quæcunque sint, siue in fauorem Ecclesiæ siue aduersus eam nõquam Ecclesiam ligant nisi ab ea approbentur. c. quæ in ecclesiarum intra isto titulo, & ita Imperator Federicus cassas, & irritas denuntiavit omnes constitutiones Christianæ Ecclesiæ perniciosas. Auth. cassa, & irrita. C. de sacrosanctis Ecclesijs.

Hic titulus habet tredecim capita: habetur in sexto & Clementinis: & de ipsius materia disputatur in ijs distinctionibus, scilicet, in 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 13. 19. 20. 29. 30. & 38. per totum, & cap. ieiunium distinctione. 76. & cap. requiris. §. nisi rigor vsque ad cap. etsi illa. 1. quæstione. 7. Quod in hoc titulo disputatur est primo de valore constitutionũ, secundo super quibus rebus statuantur. Tertio qui possant con-

Ritu-

stitutiones facere, quarto quomodo obligant, quinto, quod constitutiones laycorum Ecclesiasticos non ligant, & denique de statutis Capitulorum aliqua dicuntur. Sælus ergo nostræ rubricæ talis est. De cõstitutionibus, idest de statutis factis à Principe vel ab alijs inferioribus vt ab Episcopo Collegio, vel Capitulo, ad communem vel priuatam vtilitatem suorum inferiorum.

*De rescriptis. Tit. I I I.*

**P**Rima obseruatio, quoniam superfluum esset iura condere, nisi essent ministri qui illa exequutioni mandarent, vt dicitur in ca. cõmissa. de electione lib. 6. & hi ministri sæpissime per rescripta constituantur, ideo agitur in præsentit. de Rescriptis. Vel continua sic: quoniam non omnes casus per constitutiones dirimuntur. l. neque. ff. de legibus, ideo præter constitutiones necessaria fuerunt rescripta, quibus singulorũ precibus, & cõsultationibus responderetur, quare cum egerimus de cõstitutionibus, agendum est in præsentit. de rescriptis, & licet in veteribus Codicibus hic tit. de rescriptis, & eorũ interpretatione inscriberetur, tamen modo absolute de rescriptis inscribitur. Nomen autem rescripti varias habet significationes quemadmodum, & rescribere, nam primo significat in scriptis respondere literis alicuius idest scribenti iterum scribere. Vnde Ouidius in epist. i. in princ. Nil mihi rescribas attamen ipse veni. Secundo significat reddere siue renuntiare, vt apud Terentium in Phormione, illud mihi argentum rursus iube rescribi. Tertio denique significat responsum Principis factum in scriptis cum iurisdictione. In hoc ergo tit. solum capitur rescriptum in hac tertia significatione.

Secũda obseruatio, Rescriptum in hac eadem tertia significatione potest sumi duobus modis primo communi, & improprie qua ratione comprehendit priuilegium

Beneficium, Mandatum, & Motum proprium, quæ omnia improprie etiam rescripta appellantur. Secundo modo sumitur in particulari & proprie, qua ratione solum comprehendit responsum Principis, datum petenti ad observantiam iuris, & cum iurisdictione. In hoc ergo titulo sumitur rescriptum improprie, ut notat Abb. in hac rubr. nã in eo agitur etiam de privilegio, ut in cap. cum ordinem infra, & de multis alijs quæ non sunt proprie rescripta, ut patet in nigro.

Tertia observatio. Rescriptum proprie sumptum potest diffiniri hac ratione. Rescriptum est mādatum principis datum petenti cum iurisdictione ad iuris observantiam. In qua diffinitione illa particula, Mandatum Principis, habet vim generis, & aliæ vim differentia; nam dicitur. Datum petenti, ut distinguatur à motu proprio. Dicitur, cum iurisdictione, ut distinguatur à simplici mandato, quod neque est ius, neque confert iurisdictionem, ut si princeps committeret aliquod rescriptum alicui solum ad aliquid exequendum. Denique dicitur. Ad iuris observantiam, ut distinguatur à privilegio, quod cōceditur contra ius c. in ijs. de privilegijs. & c. privilegia d. 3. & ut distinguatur à beneficio quod datur præter ius. l. beneficiũ. ff. de cōstitutionibus principum. & docet Abb. in rub. huius tituli.

Quarta observatio. Rescriptum duplex est, scilicet, gratiæ & iustitiæ. Rescriptum gratiæ est per quod Princeps aliquid gratiose concedit, ut si faciat gratiam de beneficio vacaturo. cap. gratia. isto titulo, lib. 6. Rescriptum iustitiæ est, per quod princeps iustitiæ administrationem concedit, ut in cap. pastoralis. cap. scilicetatus. & cap. super literis. isto titulo.

Quinta & vltima observatio. Licet superior diffinitio rescripti à multis doctoribus tradatur, tamen mihi (si ita fas est loqui) nunquam placuit: existimo enim rescriptum

scriptum male diffiniri, esse mandatum Principis datum petenti, &c. nam non est mandatum Principis, sed litera Principis: aliud enim est mandatum Principis contentum in litera Apostolica, & aliud litera ipsa, quæ mandatum continet. Quod sic esse sic ostendo. Primo ex Felino qui in rubrica de Constitutionibus num. 5. disputans, an scriptura sit de essentia gratiæ Apostolicæ, ponit conclusionem, dicens quod non, quia statim atque profertur gratia ab ore Pontificis, iam datur gratia seu mandatum, & tamen adhuc non datur scriptura seu litera. Ex quibus sic argumentor. Statim gratia à Pontifice prolata iam datur mandatum Principis, datum petenti cum iurisdictione ad iuris observantiam, & tamen adhuc non est rescriptum, ut satis constat, ergo rescriptum non est mandatum, sed potius litera ipsa in qua mandatum continetur. Secundo probatur. Si rescriptum esset mandatum Principis, & non scriptura ipsa sequeretur, quod non esset constituendus titulus de rescriptis, distinctus à titulo de constitutionibus. Patet sequela; quia mandatum Principis continetur sub constitutione, & est constitutio Principis: nam est id quod Princeps per epistolam constituit vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, ut dixi supra titulo de constitutione. Tertio probatur. Demus quod gratia fideliter & iuste fuit impetrata & concessa: & tamen in litera quæ super illa gratia datur, contineatur aliquod vitium quod faciat ipsam nullam. In quo casu sic argumentor. Iudices inferiores iudicabunt hoc rescriptum esse nullum & subreptitium, sed hoc non verificaretur, nisi de litera, ergo sola litera quæ continet mandatum erit rescriptum. Ex quibus colligo, quod in principio diffinitionis non debet dici, Rescriptum est mandatum Principis, sed potius erit dicendum, Rescriptum est litera Principis, &c.

Hic titulus continet 43. capita: habetur in Sexto, &

*Clementinis: & de ipsius materia disputatur. 25. quæst. 1. & 2. per totum. Quod in hoc titulo de ipsis rescriptis disputatur est quomodo rescripta rumpantur, quomodo interpretentur, quid faciendum quando plura imperantur: quomodo quis per rescriptum conuenitur: quomodo alicui per rescriptum beneficium datur, quomodo per rescriptum iudices constituuntur, quæ clausulæ in eis solent appoui, & alia similia. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. De rescriptis, idest de literis Principis, datis petentibus, cum iurisdictione ad iuris obseruantiam & de alijs etiam literis, quæ non sunt proprie rescripta.*

*De consuetudine. Tit. IIII.*

**P**rima obseruatio: Quoniam ius optime diuiditur in scriptum, & non scriptum. §. constat inst. de iure naturali, & actum est in superioribus de scripto, quod continetur in constitutionibus, & rescriptis, agendum est modo de iure non scripto, quod nihil aliud est quam consuetudo. Dicitur autem consuetudo à con, & à nomine assuetudo, quasi dicamus consuetudo est communis assuetudo. Quæ duplex est, alia facti quæ conuenit hominibus & animalibus: hominibus, vt in l. si seruus plurium. §. fin. ff. de legatis primo: & animalibus, vt in. §. Pauonum inst. de rerum diuisione. Alia vero est iuris. Quæ & duplex est alia generalis Regni vel Prouinciæ, & alia particularis alicuius ciuitatis vel oppidi. l. circa. 19. C. de locato. l. an in totum. 3. C. de ædificijs priuatis. In hoc ergo titulo tantum disputatur de consuetudine iuris, siue sit generalis siue particularis. i.

Secunda obseruatio. Consuetudo alia est bona, alia mala: Bona est illa de qua communiter dicitur consuetudo

tudo est altera lex idest vbi deficit lex, habet vim legis, & de qua etiam dicitur, quod est optima legum interpretatio. Mala vero est illa quæ a Doctoribus corruptela solet appellari, quia est contra leges, vel contra bonos mores. Interquas hæc reperitur differentia, quod mala consuetudo nunquam facit ius, quantumuis diuturna sit, sed semper est radicitus extirpanda glossa prima, capite primo, isto titulo Bona vero consuetudo facit ius saltem si duobus vicibus fuerit obseruata. lege tertia in fine. C. de Episcopali audientia capite ita nos 25. questione. 2. Quæ dicitur longa si fuerit decem annorum. §. 1. inst. de vsucapionibus. Et dicitur vetustas si fuerit tanti temporis, vt memoria non extet glossa in rubrica. C. quæ sit longa consuetudo. In hoc ergo titulo de bona, & mala consuetudine disputatur, vt ex diuersis capitibus luce meridiana clarius apparet.

Tertia obseruatio. Omnes Doctores solum definire solent bonam consuetudinem quia mala consuetudo, consuetudo non est, sed corruptela, capite final. isto titulo. Diffinitio autem est huiusmodi Consuetudo est ius non scriptum introductum diuturnis moribus illius populi qui iura condere potest quod pro lege suscipitur cum deficit lex. Hæc diffinitio est omnium exactissima, & conflatur ex illa quæ habetur in capite consuetudo distinctione prima, & ex illa quam ex Ioanne Andrea tradit Abbas in rubrica huius tituli, quarum neutra accurata est, vt ex istius explicatione colligere poteris dicitur enim in ea, quod consuetudo est ius, quia ius est genus ad ius scriptum, & ad non scriptum, quod est consuetudo. Dicitur, non scriptum, vt distinguatur consuetudo a iure scripto, scilicet, à Legibus, Plebiscitis, Senatibusconsultis, Principum placitis, Magistratum edictis, & Responsis  
pru.

prudentum. Dicitur, introductam diuturnis moribus, ad ostendendum discrimen quod reperitur inter legem & consuetudinem, quia lex vno momēto conflatur, consuetudo vero multo temporis spatio. Dicitur, illius populi qui iura condere potest, quia populus qui non potest iura condere, non poterit facere consuetudinem quæ sit ius. Vnde hodie saltim de iure civili, quia populus omnem potestatem condendi leges in principem transtulerit. §. sed & quod principi. Instit. de iure naturali. l. 2. §. hoc autem. C. de veteri iure enucleando. & l. fina. C. de legibus. sequitur quod non possit consuetudinem facere, quæ vim legis possit obtinere, & ius non scriptum appellari. Et denique dicitur in diffinitione, quod pro lege suscipitur cum deficit lex, vt intelligamus bonam & veram consuetudinem non debere legibus obstare, sed potius pro lege sumi, vbi non erit lex.

Quarta obseruatio. Varij sunt effectus & virtutes cōsuetudinis, nam primo supplet, vbi lex deficit. cap. consuetudo. dist. 1. Item inducit extensionem ad similia. cap. cum olim. 6. isto tit. & cap. fin. dist. 11. Item interpretatur legem dubiam. l. si de interpretatione. 36. ff. de legibus. Item imitatur legem. §. ex non scripto. Inst. de iure naturali. Item legem confirmat lege prima. §. sed & si. C. de veteri iure enucleando. Et tandem legem corrigit & emendat. l. de quibus. ff. de legibus. & cap. fin. isto tit.

Hic titulus 11. habet capita, habetur in Sexto, & in Extrauagantibus communibus, non vero in Clementinis: & de eius materia disputat cap. consuetudo. dist. 1. Quod in hoc titulo disputatur de cōsuetudine est, quid possit fieri consuetudine, quæ consuetudines valeant, quæ consuetudines possint intromitti & seruari, & an consuetudo deroget iuri, vel inducat peccatum. Sensus denique nostræ rubricæ est huiusmodi, de consuetudi-



ne, idest, de communi hominum assuetudine seu usu, siue bono fuerit siue malo, nam de utroque ut diximus, in hoc titulo disputatur.

*De postulatione Prælatorum. Tit. V.*

**P**rima obseruatio. Notandum est ex Rubr. in præfenti, & eod. tit. lib. 6. & ex Abb. eadem rubr. in principio, quòd quia visum est de utroq; iure, scilicet scripto & non scripto, videndum est de ministris qui eadem iura tuentur. l. 2. ff. de origine iuris. & cap. vbi periculum. §. præterea. de electione. lib. 6. Et quia ibi iudices seu ministri tribus modis assumuntur, scilicet, per postulationem, electionem, & translationem: ideo de ijs tribus, in tribus titulis sequentibus agendum erit, ita tamen ut à postulatione ducamus initium. Est tamen differētia inter tria prædicta quòd per postulationem de nouo quis promouetur. Via tamē extraordinaria, & per electionem etiam de nouo quis promouetur, via tamen ordinaria. At vero per translationem non de nouo quis promouetur, sed iam promotus ab vna Ecclesia ad aliam transfertur, ut infra dicemus. Quid tamen sit Prælatatus vide in titulo de supplenda negligentia prælatorum, obseruatione. 2.

Secunda obseruatio. Postulatio duas habet significationes. Prima est qua significat querelam vel petitionem factam in iudicio contra aliquem. Secunda est qua significat petitionem illorum qui petunt in Prælatum illum qui habet aliquod impedimentum, in quo nisi dispense-tur à superiori, scilicet, à Pontifice, non potest promoueri. In hoc ergo titulo solum disputatur de postulatione, in secunda significatione.

Tertia obseruatio. Postulatio diffinitur à glo. in cap. vnico isto tit. lib. 6. hac ratione postulatio est petitio gra-

tia a superiori facta. Sed tamen hæc definitio, vt de se patet non est recta. Quare aliter, & recte cum Abb. in præfenti rub. poterit definiiri. Postulatio est petitio gratia a superiori facta de promouendo aliquem ad prælationem ad quam de iure communi propter defectum aliquem vel impedimentum eligi seu promoueri non poterat.

Quarta observatio. Licet olim iura promiscue vterentur his vocabulis postulatio, & electio, vt patet in cap. statuimus distinctione. 61. & cap. literas distinctione. 63. hodie tamen maxime differunt: Quare quinque proponere possumus differentias. Prima est quod postulatio est inuenta propter incapaces, & ineligibiles, electio vero ad promouendum capaces, de quo vide lexicon iuris verbo, postulatio. Secunda est quod postulatio solum potest confirmari à Papa quia solus ipse potest remouere impedimenta iuris communis, electio vero potest confirmari ab alijs inferioribus glossa in rubrica, lib. 6. in fine. Tertia est quod per solam electionem iniatur vinculum matrimonij spiritualis inter electum, & suam Ecclesiam: non vero per solam postulationem inter postulatum, & suam Ecclesiam glossa in verbo eligo capite vnico, libro. 6. Quarta est quod postulatio dependet à gratia superioris, si vult postulatum confirmare, vel reijcere, electio vero non, sed debet superior necessario electionem si bona fuerit confirmare, vt colligitur, ex Ab. hic numero. 1. Quinta est quod in postulatione non potest compelli superior, vt confirmet, tum quia est Papa, tum quia postulatio est gratia: at vero in electione, quia qui confirmat non semper est Papa potest compelli: & si distulerit confirmationem, post ei præfiniri tempus, intra quod confirmet, quo transacto deuoluitur confirmatio ad superiorem, glossa in rubrica. hoc titulo libro sexto. Inter quas differentias hanc

hanc solam affinitatem seu conuenientiam animaduertas volo, quod quemadmodum qui potest eligi, non potest postulari, & si postuletur postulatio est nulla: ita etiam qui potest postulari nō potest eligi, & si eligatur electio erit etiam nulla, gloss. verbo eligo capite vnico, libro. 6.

Quinta obseruatio. Sex sunt genera personarum quæ propter aliquod impedimentum non possunt eligi, sed debent postulari, vt docet Lexicon iuris verbo postulatio: nam primo Archiepiscopus ad alium Episcopatum vel Archiepiscopatum nō potest eligi, sed debet postulari capite bonæ, el. 2. infra hoc titulo. Item Episcopus ad alium Episcopatum vel Archiepiscopatum capite etsi vnanimiter, isto titulo. Item Laicus ad dignitates capite Osus. 61. distinctione. Item clericus in minoribus ordinibus constitutus, capite, præterea, de ætate & qualitate. Item illegitime natus capite innotuit de electione. Item qui non est in ætate legitima capite cum incunctis, & capite cum nobis. de electione.

Hic titulus sex habet capita: habetur in sexto, & extrauagantibus communibus solum: & de eius materia agitur in capite. Osus capite nullus, &c. Episcopus distinctione. 61. capite literas. distinctione. 63. & c. fraternitatem distinctione. 71. Quod in hoc titulo de postulatione disputatur est ostendere quis sit impostulabilis, quis priuetur potestate postulandi, à quo, & quomodo fieri debeat postulatio, quæ postulatio debeat admitti vel reijci, & quod Archiepiscopus, & Episcopus non possunt eligi, sed debent postulari. Sensus ergo rubricæ est huiusmodi. De postulatione Prælatorum, idest de petitione, qua aliqui petunt à superiore in Prælatum, illum quem (propter aliquod impedimentum dispensabile) eligere non possunt,

## De electione &amp; electi potestate. Tit. VI.

**P**Rima observatio. In hoc titulo solum erat agendum de electione prælatorum, si seriem rubricarum consideremus. Nam in titulo antecedenti agitur de postulatione prælatorum, & in subsequenti, de translatione eorundem: unde in hoc titulo qui medius est solum videbatur agendum de electione prælatorum. Sed tamen quia ipsi electi potestatem habent, ne esset necessarium aliam rubricam constituere, de electi potestate: proinde in præsentis simul agitur de electione & electi potestate. Sed dices: quare ergo in titulo superiori non agitur de postulatione, & postulati potestate, & in titulo subsequenti, de translatione & translati potestate, cum tam postulatus, quam translatus habeat potestatem quemadmodum & electus? Respondetur hoc ideo esse quia potestas postulati & translati, eadem est cum potestate electi, & ideo sufficere de potestate unius disputare in vno titulo, ut intelligatur de potestate aliorum esse disputatum.

Secunda observatio. Diffinitio electionis talis est. Electio est vocatio alicuius personæ idoneæ ad prælationem vel fraternam societatem. In qua diffinitione, vocatio, est genus, & aliæ partes sunt differentiæ: nam dicitur, alicuius personæ idoneæ, ut distinguatur electio à postulatione, nam in electione vocatur persona idonea ad dignitatem, in postulatione vero vocatur, non idonea, ut diximus titulo superiori. Dicitur, ad prælationem, ut comprehendamus electionem cuiuscunque prælati, siue sit Episcopus, siue Archiepiscopus. Et denique dicitur, vel fraternam societatem, ut comprehendamus electionem canonicorum, quæ fit ab alijs canonicis qui videntur fratres vel socij, potiusquam prælati, vel ut comprehendamus etiam electionem Collegarum, quæ aliquem

aliquem eligunt in Collegam sui Collegij, vel alias si-  
miles electiones.

Tertia obseruatio, Hoc nomen potestas quinque ha-  
bet significationes, seu quinque modis sumitur, vt ha-  
betur. l. potestatis. ff. de verborum significatione. Pri-  
mo modo accipitur quatenus est in magistratibus res-  
pectu inferiorum, qua ratione appellatur imperium. l.  
imperium ff. de iurisdictione om. iud. Secundo, vt est  
in parentibus respectu filiorum, & sic appellatur patria  
potestas. inst. de patria potestate, in principio. Tertio,  
vt est in dominis respectu seruorum, & sic appellatur  
dominium. l. i. ff. de peculio. Quarto accipitur pro actu  
possidendi seruum qui noxam fecit, quando contra  
dominum suum noxali actione agitur. l. quoties in  
principio. ff. de noxalibus actionibus ibi. *Sed non alius  
condemnabitur quam si in potestate habet*, id est ex noxali  
actione non condemnabitur dominus si actu non pos-  
sidet seruum. Quinto accipitur etiam pro actu possi-  
dedi re à dño suo. l. sequitur. §. quod autē. ff. de vsuc.  
In hoc ergo tit. solū accipitur potestas in prima signi-  
ficatione, scilicet, pro imperio seu potentia ipsius ele-  
cti. Vnde non inepte Prætores seu magistratus potesta-  
tes vocantur, vt docet Calepinus in verbo potestas.

Quarta obseruatio. Potestas electi in prima signifi-  
catione seu, quod idem est imperium ipsius electi, po-  
test sumi tripliciter, scilicet, vel ante confirmationem  
vel post confirmationem, & ante consecrationem, vel  
post vtrumque. Quæ distinctio multū expedit ad cog-  
noscendam cuiuscunque electi potestatem. In hoc er-  
go titulo ijs tribus modis de potestate electi disputa-  
tur, vt patet ex capite qualiter. capite bonæ memoriæ

capite, transmissam, & ex multis alijs infra hoc titulo.

Quinta obseruatio. Ex Abbate in hac rubric. dicendum est, quod quanuis rubrum huius tituli solum promittat disputare de electione, & electi potestate, nihilominus tamen disputat etiam, de forma, loco, & tempore electionis, & de his qui possunt vel non possunt eligi, de quibus personis iam egimus in titulo superiori obseruatione vltima, vnde iste titulus plus continet in nigro quam in rubro.

Hic titulus continet 60. capita: habetur in 6. Clementinis, extrauagantibus Ioannis. 22. & in extrauagantibus communibus, & de eius materia agitur in distinctione 60. 61. 62. 63. & 69. & 1. quaestione. 6. 8. quaestione. 1. & quaestione. 3. per totum. Quod in hoc titulo disputatur de electione, & potestate electi est, primo qui possunt eligere, & qui possunt eligi, secundo quomodo fiant electiones, & in quo loco, & tempore, tertio quid iuris sit si eligatur indignus, quarto quando cassari debeat electio, quinto quam potestatem habeant eligentes ad eligendum vel irritandas electiones aut opponendi in eas, sexto quam etiam potestatem habeat electus, siue ante confirmationem vel consecrationem siue post, & denique alia multa disputantur quae commode non possunt recenseri. Sensus denique nostrae rubricae est huiusmodi. *De electione*, idest de vocatione alicuius personae idoneae in praelatum vel locium, *Et de electi potestate*, idest de imperio seu potentia quam ipse habet, de his quae facere potest.

## De translatione Episcopi. Tit. VII.

**P**rima observatio. Quoniã egimus de postulatio-  
ne & electione, & illi qui sunt in aliqua Ecclesia  
sive per postulationem sive per electionem, pos-  
sunt illam relinquere, & ad aliam transferri, ideo  
agendum est de translatione. Quæ ita diffinitur.  
Translatio est de sede in sedem facta commutatio.  
Vel ita, est mutatio ab vna Ecclesia ad aliam maio-  
rem auctoritate superioris facta. In qua diffinitione  
*mutatio*, est genus, nam id quod hic appellatur trans-  
latio varijs in locis dicitur mutatio, vt capite, muta-  
tiones. 7. questione. 1. Et dicitur, *ab vna Ecclesia ad aliam  
maiores*, quia de Ecclesia maiori ad minorem non po-  
test fieri translatio, capite, legimus. distinctione. 93.  
Et denique dicitur, *auctoritate superioris facta*, quia si  
fiat propria auctoritate est nulla, & ipse transiens  
vtraque carebit Ecclesia, capite, quanto. isto titulo,  
imo erit adulter in matrimonio spirituali, sicut qui  
se transfert ad aliam vxorem relicta priori, est adul-  
ter in matrimonio carnali, capite, sicut. 7. quæstio-  
ne. 1. & denique præsumitur ambitio. cap. si quis Epis-  
copus, 7. q. 1.

Secunda observatio. Quamuis iste titulus, tantum  
loquatur de translatione episcopi, nihilominus tamen  
alij præter Episcopos possunt transferri, sicut Cardi-  
nalis, cap. dilectus. 1. de præbendis, vel Archiepiscopus  
cap. bonæ, secundo de postulatione Prælatorum, vel  
Abbas. cap. cum venerabilis de consuetudine, vel præ-  
positus. c. dudum. 1. de electione. Et denique quicunq; be-  
neficiatus potest trãsferri c. admonet, de renũtiatione.

Et hinc est, quod in aliquibus, codicibus inscribitur, iste titulus, *de Translatione Episcopi vel electi*, ut docet gloss. marginalia in hac rubrica. Et certe hæc lectura videtur accommodata. Tum quia licet fere in toto titulo agatur de translatione Episcopi, tamen in principio cap. disputatur de translatione cuiusdam Archiepiscopi. Tum etiam quia translatio non solum fit de Episcopo, sed etiam de quocunque alio electo vel postulato. Sed dices si tam electus quam postulatus potest ad aliam Ecclesiam transferri, quare in illis antiquis codicibus, tantum dicitur, *de translatione Episcopi vel electi*, & non dicitur, *de translatione Episcopi vel electi vel postulati*. Respondeo, hoc ideo esse quia sæpe hæc vocabula, electio & postulatio, antiquitus confundebantur, & vnum pro alio, vel vnum pro utroque capiebatur cap. statumimus. dist. 61. & cap. literas. dist. 63. & sic in illis antiquis codicibus sub nomine electi comprehendebatur postulatus.

Tertia observatio. Dux sunt causæ translationis, scilicet, utilitas, & necessitas, utilitas est causa translationis cum aliquis infructuosus est in sua Ecclesia, & transfertur ad aliam in qua utilior speratur. Necessitas vero, ut cum aliquis in sua Ecclesia persecutionem patitur: tunc enim iuste ad aliam transfertur, ne forte ab inimicis occidatur. Et quamvis hæc duo vera sint, ut patet in cap. mutationes. 7. quæst. 1. Nihilominus tamé alij alias tres assignant causas, scilicet, leuitatem, cupiditatem, & humilitatem. Sed hæc si caste loquamur non sunt causæ translationis de qua in hoc titulo disputatur. Sed potius sunt causæ transitus religiosorum ab vna religione ad aliam: nam præter necessitatem, & utilita-



utilitatem hæ sunt causæ propter quas religiosi ab vna religione ad aliam migrant . Sed dices quare solliciti sunt Doctores in assignatione causarum translationis? non ne possent Prælati transferri libere, & sine causa. Respondeo, quod non: nam quemadmodum matrimonium carnale etiam quoad thorum, non potest dissolvi sine legitima causa, ita etiam matrimoniū spirituale, quod est inter prælatum & suam Ecclesiam, sine legitima causa dissolvi non poterit. dict. cap. sicut. 7. quæst. 1.

Quarta observatio. Quoniam egimus de translatione Episcopi non erit abs re videre quid sit Episcopus, & vnde dicatur. Dicitur autem à quibusdam vocibus Græcis, scilicet, ab epi, quod est super, & scopus, quod est intendens: quasi dicatur Episcopus est superintendens, quia superintendit, & inspicit vitam, & mores suorum inferiorum. cap. qui Episcopatum. 8. q. 1. & cap. clericos. dist. 21. Est autem episcopus successor Apostolorum superintendens inferioribus, nõ vt illis præsit, sed vt illis profit, nec minus quam à tribus episcopis ordinatus: quæ definitio colligitur ex ijs capitibus. cap. in nouo. dist. 21. cap. qui episcopatum. 8. quæst. 1. & cap. corepiscopi. dist. 68. Ordo autem episcoporum quadripartitus est, vt docet Magister sententiarum in. 4. dist. 24. aut enim est Patriarcha, idest summus patrum: aut Archiepiscopus idest princeps episcoporum: aut Metropolitanus, qui præest metropoli, sic dictus à mensura ciuitatum, aut denique est simplex episcopus qui præest vni tantum diæcesi. dict. cap. clericos, distinctione, 21. pro quorum maiori claritate aduertendum est, quod in iure ciuili, dicuntur episcopi qui

præfunt pani, & rebus venalibus. l. vltima ff. de mun-  
neribus, & honoribus: ex quo forte factum fuit, quod  
nostri summi sacerdotes Episcopi appellentur cū præ-  
fint pani diuino ac cælesti, & cæteris rebus, quæ in Ec-  
clesia reperiuntur.

Hic titulus habet. 4. capita. & non continetur in. 6.  
neque in Clementinis: de eius tamen materia dispu-  
tatur. 7. quæst. 1. per totum, & 21. quæst. 2. etiam per to-  
tum, & distin 7. fere per totum. Quod in hoc titulo de  
translatione Episcopi disputatur est, quod Patriarcha  
priuabitur ab Episcoporum confirmatione si Archie-  
piscopum transferat ad sedem Episcopalem, & quod  
solus Papa potest transferre, nam si quis sua authorita-  
te se transferat priuatur vtraque Ecclesia. Sensus ergo  
huius rubricæ est. *De translatione Episcopi*, idest de mu-  
tatione seu translat Episcopi quando authoritate su-  
perioris, scilicet summi Pontificis à sua Ecclesia transf-  
fertur in aliam.

*De Auctoritate & vsu pallij. Tit. VIII.*

**P**Rima obseruatio. Quia aliqui ex postulatis, ele-  
ctis, vel translatis aliquando vtuntur pallio,  
quod est ornamentū maximè auctoritatis, proin-  
de videndum est de auctoritate, & vsu pallij. In qua  
rub. auctoritas nihil aliud significat quam, quandam  
maiestatem, & honorem alicuius personæ aliquo ac-  
cidenti causatam. Vsus vero significat operationem  
cum aliqua re, seu, quod idem est alicuius rei con-  
tractationem. Ex quibus collige, quod in hoc titulo  
tractantur duo, scilicet, de auctoritate pallij, & de  
vsu pallij. De auctoritate, idest quam auctoritatem  
habeat

habeat pallium, & quibus illam conferat, capite. 1. capite. nisi. capite ad honorem, & capite cum sis. infra. isto, titulo. De usu. idest qui illo uti possint, quibus locis, & quibus temporibus, ut in dict. cap. 1. dict. cap. ad honorem. cap. ex tuarum, & capite, cum sis. Sed si volueris scire formam tradendi pallium, & quibus diebus liceat uti pallio. Vide glos. ver. ad honorem in. d. c. ad honorem infra.

Secunda observatio. Quamvis omnes communiter legant pallium, tamen non est scribendum cum. i. sed cum, e, ut docet Ab. in rub. isto titulo, & licet communiter scribatur duplici. L. tamen non est scribendum nisi simplici. L. ut docet Zacharias in annotationibus super Abbatem forte, ut ipse dicit, ut distinguatur paleum, de quo agitur in presentia, ab illo pallio, quo hominum corpora communiter teguntur, de quo nos non disputamus. Quare verius existimo cum Abbate & Zacharia dicendum esse paleum non vero pallium ut communiter dicitur.

Tertia observatio. Videamus unde dicatur paleum & quid sit paleum. Paleum ergo dicitur à palis humeris quoniam est spallarum vel humerorum ornamentum, nam ponitur loco pallij super humeralis quo utebatur Summus sacerdos in. l. veteri. Et hanc existimo veram etymologiam palei, quæ est eiusdem Zachariæ in supradictis annotationibus: ubi quasi reprehendens etymologias quas ibi tradit Abbas, docet, quod cognoscere vocabulorum interpretationes, potius pertinet ad humanistas quam ad Legistas. Quare quid sit paleum videamus. Paleum ergo est insigne ornamentum Archiepiscopi de corpore Beati Petri

assumptum in signum plenitudinis pontificalis officij. Dicitur in hac differentia, *insigne ornamentum Archiepiscopi*, quia solus ipse, & superiores, scilicet primates Patriarchæ, & Papæ possunt de iure uti pallio, episcopus vero solum ex priuilegio. cap. cum in iuuetute, de presumptionibus dicitur, *de corpore Beati Petri assumptum*, idest de altari vbi est situm corpus Beati Petri, nã in eo altari benedicitur & consecratur à Papa, & ab eo loco accipitur ab Archiepiscopo si præsens est, vel ab alio pro ipso si est absens, glossa verbo corpore in cap. significasti de electione. Denique dicitur, *in signum plenitudinis pontificalis officij*, quia per pallium confertur plenitudo Pontificalis officij, & nomen Archiepiscopale, vt habetur in. c. nisi, infra isto tit.

Quarta obseruatio videamus denique quænam sit forma pallij, de qua dicendum est, esse albi seu pallidi coloris, figuræ rotundæ, quæ clauditur ex parte posteriori, extensum circa brachia, & habens quatuor cruces nigras, tres priores cum aculeo, seu acu, & vltimã sine illo. Prima est in pectore, super brachium sinistrum. Tertia retro. Et quarta super brachium dextrũ. De quibus crucibus alij dicunt, quod significat mortificationem vitiorum: alij quod significant quatuor passionem, nam prima inquit, significat gaudium, secũda spem, tertia dolorem, & quarta timorem, & quia magis debemus gaudere, sperare, & dolere, quam timere, ideo quarta quæ significat timorem depingitur sine aculeo. Alij denique dicunt has quatuor cruces significare quatuor virtutes Cardinales, scilicet, primam significare iustitiam, secundam fortitudinem, tertiam prudentiam, & quartam temperatiam, & quia tempe-

temperantia non excedit, sed potius alias temperat, proinde quarta caret aculeo. Hæc docet Ab. in rub. isto titulo.

Hic titulus continet. 7. capita: & habetur solum in extrauagantibus communibus: & de eius materia tractatur. dist. 100. per totum & c. in Galliarum. 25. quæst. 2. Quod in hoc titulo, de pallio, & eius authoritate, atque usu disputatur iam retulimus supra in prima obseruatione: sensus tamen rubricæ erit, *de authoritate, & usu pallij*, idest de maiestate & honore pallij, & de modo & facultate vtendi pallio.

### De Renuntiatione. Tit. IX.

**P**rima obseruatio, Quoniã beneficia vel dignitates quæ adquiruntur postulatione, electione & trãslatione aliquãdo amittuntur per renuntiationem ab illis qui vtuntur pallio, quam ab alijs: ideo agendum est de renuntiatione. Renunciare autem duas habet significationes: nam primo significat iterum nunciare seu referre vt quando nuncius missus reddit, & narrat responsum sibi datum, dicitur renunciare. Secundo significat cedere, remittere, refutare, seu resignare, vt cum aliquis non vult vti re sua vel iure suo, dicitur renunciare. Vnde communiter docetur in. cap. quam periculosum. 7. quæst. 1. liberum esse vnicuique iuri suo renunciare, idest remittere ius suum: licet hoc non verificetur in materia beneficiâli: non enim potest quis renunciare beneficium vel dignitatem sine superioris licentia, ex eo forte, quia inter prælatum & ecclesiam contrahitur matrimonium spirituale. In

hoc ergo titulo non sumitur renunciare seu renunciatio in prima significatione, sed solum in secunda.

Secunda observatio. Renunciare in prædicta significatione duobus modis potest sumi. Primo modo in communi, prout respicit quamcunque rem quæ potest ab aliqua persona renunciari. Alio modo in particulari prout respicit solum beneficia vel præbendas, vel dignitates ecclesiasticas. In hoc ergo titulo non sumitur renunciatio primo modo, sed secundo, non enim agimus hic de renunciatione cuiuscunque rei, sed de renunciatione beneficiorum, præbendarum, vel dignitatum ecclesiasticarum.

Tertia observatio. Renunciatio sic diffinitur ab Antonio Timotheo in additionibus ad institutiones Lanceloti isto titulo. Renunciatio est rei vel iuris spontanea refutatio. Sed hæc diffinitio licet optima sit non est à nobis amplectenda, quia traditur de renunciatione in communi, & sic erit diffinitio communis Legis & Canonistis, & omnibus alijs renunciationibus. Quare aliter erit diffinienda, ut diffinitionem tradamus competentem solum illi renunciationi de qua in hoc tit. disputatur. Quam sic tradit expositio titulorum Sebastiani Brantij in expositione huius tituli. Renunciatio est resignatio iuris sibi competentis ex postulatione, electione, & translatione: quæ certe diffinitio accommodata non est, nam sequeretur ex ea, quòd si aliquis renunciaret beneficio acquisito per institutionem vel collationem non esset renunciatio, quia non renunciaret iuri competenti ex electione, postulatione vel translatione. Quare sic erit optimè definienda: Renunciatio est resignatio iuris sibi competentis circa beneficia

ficia Ecclesiastica. In qua definitione debet sumi beneficium in latissima significatione, vt in glos. verbo beneficium. reg. 1. de iur. lib. 6. Imo in tā lata significatione vt comprehendat etiam Papatum, nam Papa potest etiam Papatui renunciare. ca. 1. de renunciatione, libro 6.

Quarta obseruatio: Causæ legitimæ renunciationis Episcopi sunt sex, scilicet, debilitas corporis, defectus scientiæ, conscientia criminis, irregularitas personæ, malitia plebis, & graue scandalum, quæ recitantur in cap. nisi cum pridem. isto tit. & possunt his duobus verbis comprehendēdi. Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis. Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit. Et nota, quòd assignauimus causas legitimas renunciationis, quia cognitis legitimis, facilè erit illegitimas cognoscere, argum. textus in prin. inst. de his qui sui vel alieni iuris sunt Et nota etiam quòd assignantur in d. c. nisi cum pridem. solum causæ renunciationum Episcoporum, & non aliorum inferiorum, fortè quia aliorum causæ debēt esse variæ ac multiplices, vel quia in hoc tit. potissimè disputatur de renunciatione Episcoporum.

Hic titulus continet quindecim capita: habetur in Sexto & Clementinis, & de eius materia tractatur in 7. quæstione. 1. & quæstione. 2. & 17. quæstione. 1. & 21. quæstione. 2. Quod in hoc titulo disputatur est, generaliter docere, quòd sine superioris licentia non potest quis beneficium renunciare, qua obtenta renunciare cōpellitur. Et docet etiam qui possunt renunciare, & quòd si semel sponte renunciauerint nō possunt regulariter reassumi, & quòd renunciatio in manu  
laici

laici fieri non potest, & denique ex quibus causis Episcopus renunciare potest. Sensus ergo rubricæ talis erit. *De Renunciatione*, idest de spontanea beneficii refutatione.

*De supplenda negligentia Prælatorum. Tit. X.*

**P**rima observatio. Quia visum est de vno modo quo quis remouetur ab administratione Ecclesiastica, scilicet, de renunciatione videndum est de alio, scilicet, de negligentia, & quia de ea possemus dubitare an posset suppleri: proinde agendum est de supplenda negligentia prælatorum, vt docet glo. in rub. lib. 6.

Secunda observatio, tria sunt explicanda ad huius tituli intelligentiam. Primo quid sit supplere. Secundo, quid negligentia, & tertio, quid sit prælatus. Ad primum ergo accedentes supplere est facere id, quod ab aliquo fieri debuit, & tamen minime factum fuit vel quia noluit, vel quia non potuit, vt quando inferior non confert sua beneficia, & propter eius negligentiam conferuntur à superiori, tunc superior dicitur supplere. capite. licet, infra isto titulo. Ad secundum dico, quod negligentia est omisio eius, quod fieri potuit, & debuit, vt docet Lexicon iuris verbo negligentia: & nota ad negligentiam duo requiri, scilicet posse & debere: quorum altero deficiente non datur negligentia. Vnde negligere significat quasi nec legere, sed potius contemnere vel non curare, vt docet Isidorus etymologiarum lib. 10. Ad tertium denique accedentes dico, quod prælatus si stricte sumatur est quicumque



cunque in Ecclesiasticis habet iurisdictionem contentiosam, vt docet Ab. in cap. 2. de iudicijs. cap. requisiti de testamentis, & cap. de multa de præbendis. Si vero in lata sumatur significatione comprehendit Episcopos Abbates, Priores, Archipresbyteros, Archidiaconos, & vsque ad simplicem curatum. cap. tua de clerico ægrotante, & in glossa verbo prælati. cap. cum nullus lib. 6. Et aduerte, quod in isto titulo accipitur Prælatus in ampla significatione, nam cuiuscunque Prælati negligentia est supplenda per superiorē. cap. 2 & cap. fin. isto titulo.

Hic titulus habet. 5. capita. & continetur in. 6. & Clementinis & de eius materia tractatur d. 84. & 86. & cap. negligere. 2. quæst. 7. Quod in præsentī titulo disputatur est quo casu Abbas non benedictus poterit suos monachos benedicere, & quod superior supplet negligentiam inferiorum etiam regularium in non conferendo beneficia intra tempus Lateranensis Concilij, & denique, quod licet non valeat prouisio facta à negligente postquam est in negligentia, tamen de misericordia potest tolerari. Sensus huius rubricæ est, *de supplenda negligentia Prælatorum*, idest de modo quo superior supplet seu facit id quod à suis inferioribus factum non fuit, cum tamen deberet fieri, & facere potuerint.

*De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum. Tit. XI.*

**P**Rima obseruatio. Duo in huius tituli expositione pertractantur primum est de temporibus ordinationum, & secundum de qualitate ordinandorum

dorum, sed de primo prius videamus: de quo dicendum est, quod vel ordinans est Papa, vel Episcopus, vel Abbas qui sit sacerdos & benedictus ab Episcopo. Si est Papa potest omni ordine & quocumque voluerit tempore clericos ordinare: nam tempus non est de substantia ordinum, sed est constitutum de lege positiua quæ non ligat Summum Pontificem vt docet Abbas cap. 2. isto titulo, & 25. q. 1. cap. ideo. Si est Episcopus (qui sumitur vt comprehendit Patriarchas, Archiepiscopos, Metropolitanos, & simplices Episcopos) vel loquimur de minoribus ordinibus, vel de maioribus, si de minoribus potest illos conferre quocumque voluerit, cap. quoniam. dist. 75. & glossa, verbo, tempore. c. ordinationes eadem dist. & etiam diebus Dominicis & festiuis cap. de eo, isto titulo, & glossa in rubrica, libro. 6. Si vero de maioribus loquamur, potest illos conferre solum sex temporibus, scilicet, in Sabbatis quatuor temporum, & in Sabbato sancto, & in Sabbato ante Dominicam de Passione, vt in dicto cap. de eo, isto tit. Denique si de Abbatibus sermo fiat, dicendum est, quod ordines sacros conferre non possunt, neque indistinctè omnes minores, nisi de hoc habuerint speciale priuilegium. cap. Abbates. de priuilegijs, libro 6. quo casu priuilegij tenor seruandus erit. glossa in dicto cap. Abbates. verbo indulto. Poterunt tamen sine priuilegio illis in quos quasi episcopalem habent iurisdictionem, conferre primam tonsuram, cap. 1. distinctione. 69. & dicto cap. Abbates. de priuilegijs, libro. 6. poterunt etiam Lectoratum conferre, c. p. cum contingat, de ætate, & qualitate, Præterea poterunt Psalmistatum, id est, officium cantandi (quod etiam à solo

à solo presbytero potest conferri) cap. Psalmista. dist.  
23. & deniq; poterūt cōferre ostiariatū. gl. v. lectores. c.  
quoniā dist. 69. Alios vero duos minores ordines, sci-  
licet, Acoliti, & Exorcistæ conferre non possunt, vt  
patet ex eadem glossa, dicta distinctione 69. & glos. in  
cap. i. eiusdem distinctionis, verbo, tonsura. Tempus  
autem conferendi dictos ordines ab Abbatibus, est  
omne tempus, exceptis diebus Dominicis, & festiuis.  
Et diximus nos loqui hic de Abbatibus, qui sint sacer-  
dotes, & iā benedicti, quia aliàs nō poterūt hos mino-  
res ordines cōferre, c. cū contingat, de ætate & qualitate.

Secunda obseruatio. Pro eadem prima parte rubri-  
cæ considerandum est, in hoc titulo, non solum di-  
sputari de ordinatione inferiorū clericorum, qui sunt  
vel in minoribus ordinibus, vel in sacris, sed etiam  
disputari de ordinatione Episcoporum & Archiepis-  
coporum, vt patet in capite si Archiepiscopus, & ca-  
pite, ne Episcopi, infra isto titulo. Est autem ordina-  
tio, ordinum datio, ordo verò, vt docet Medices 2.  
parte de definitionibus, capite. 48. est signaculū quod-  
dam, quo, & per quod spiritualis potestas, seu officiū  
tribuitur ordinato.

Tertia obseruatio. Vt ad secundam tituli partem  
descendamus, animaduerte, quòd qualitas in præ-  
senti significat quodcumque accidens efficiens per-  
sonam, quæ debet ordinari, quæ aliquando est bo-  
na, vt quod ordinatus sit fidelis, probus, pudic-  
cus, rite ordinatus, & similia: aliquando mala,  
vt si sit excommunicatus, inuocatus, criminofus,  
prohibitus ordinari, male ordinatus, & similia.  
In hoc ergo titulo in hoc sensu disputatur de qua-  
litate

litate ordinandorum, siue illa fuerit mala, siue bona, vt patet in cap. ex tenore. cap. ad aures, & cap. si Archiepiscopus isto titulo. Animaduertendum tamen est, quod licet in rubro solum dicatur de qualitate ordinandorum, idest de qualitate illorum qui ordinandi sunt, nihilominus etiam disputatur de qualitate ordinatorum, idest de qualitate eorum qui iam sunt ordinati, vt patet in c. cum quidam, vbi agitur de suspensione ordinati, & in cap. quod translationem, vbi agitur de interdictione cuiusdam Graeci ordinati sine licentia Episcopi Latini cui erat subiectus. Vnde propter hanc rationem possemus dicere nigrum huius tituli esse generalius, & vniuersalius rubro: quemadmodum è contrario docet glossa istius tituli in libro. 6. quod ibi rubrum est generalius nigro, ex eo quia rubrum illius tituli, scribitur sicut in praesenti, & tamen ibi nihil de temporibus ordinationum disputatur.

Hic titulus continet. 17. capita: habetur in sexto, & non in clementinis: de eius materia tractatur, distinctione. 21. 24. 25. 50. & 51. & 9. quaestione. 1. & 2. & 15. quaest. 8. per totum. Quae vero praeter explicata in obseruationibus in hoc titulo, continentur, scilicet, vtrum ex consuetudine possint dari ordines extra tempora statuta: qui moneri debent, & qui prohiberi ne promoueantur: qui & à quibus ordines dentur: & denique quibus poenis afficiuntur indebite ordinati, & ordinantes. Sensus denique huius rubricae est. *De temporibus ordinationum*, idest quibus temporibus ordines dari debeant, siue dentur à Papa siue à quolibet alio inferiori, & *De qualitate ordinandorum*, idest quales debeant esse ordinandi, vel iam ordinati, & qualiter ordinantur.

## De scrutinio in ordine faciendo. Tit. XII.

**P**rima observatio. Ideò hic disputatur de scrutinio in ordine faciendo, quia supra actum est de ipsis ordinandis, qui examinandi sunt quotiescumque ad aliquem ordinem accedunt ca. nullus. distinct. 24. & scrutari nihil aliud est quàm examinare: sic continentur hunc titulum, glossa in rub. & Hostiensis in præsentis. Circa quam continuationem animadvertendum est, quòd quamvis ex ea videatur sequi, in hoc titulo agendum esse de scrutinio seu examinatione illorum qui ad ordines suscipiendos promouentur: nihilominus tamen solum agitur de scrutinio quod fit ab Archiepiscopo, quãdo suffraganei præsentant illi Episcopum electum ut ipsum consecret: tunc enim ipse Archiepiscopus percontatur à suffraganeis, an sciant, illum quem præsentant esse dignum cui ipsi respondent dignum esse: & talis interrogatio adhibita responsione, dicitur scrutinium, & de tali scrutinio in hoc titulo disputatur, ut patet in nigro.

Secunda observatio. Quamvis ex superiori observatione iam facilis sit huius tituli expositio cùm in ea visum fuerit, de quo scrutinio in præsentis disputetur. Nihilominus tamen videndum est quid & quod duplex sit scrutinium. Scrutinium ergo (quod derivatur à verbo scrutator scrutaris, quod significat inquirere) sic diffinitur ab Hostiense in Summa isto titulo: Scrutinium est inquisitio seu examinatio per illum habita ad quem spectat. In qua diffinitione

C                      notat

notat idem Hostien. ideo dici: *per illum habita ad quæ spectat*, quia si per alium fiat non valet, c. licet, de officio Legati: & traditur hæc definitio de scrutinio in communi, & sic comprehendit illud de quo in hoc titulo disputatur.

Tertia observatio: Scrutinium multis modis dicitur, ut patet per Host. in Sum. isto tit. n. 2. & per gl. ver. scrutinijs. c. in electionibus, de elect. li. 6. Sed illis omisis, hanc libuit scrutinijs diuisionem proponere: Scrutinium triplex est, aliud ad ordinem suscipiendum, aliud ad beneficiū conferendum, & aliud ad delictum puniendum: scrutinium ad ordinem est quod fit de vita & moribus illius, qui aliquo ordine insignitus est, d. c. nullus. dist. 24. sub quo continetur scrutinium, de quo in hoc titulo disputatur: nam per illam interrogationem Archiepiscopus petit de vita & moribus Episcopi consecrandi: scrutinium ad beneficiū est quod fit de illo, cui confertur aliquod simplex beneficium, vel præbenda, vel anima: cura, vel canonia, vel dignitas, vel aliud simile, quæ omnia nomine beneficij complectuntur, ut in reg. beneficium. de reg. iur. lib. 6.) siue fit per institutionem, collationem, electionem, postulationem, & translationem, & tam in confirmatione, quàm in consecratione. Scrutinium denique ad delictum puniendum est quod fit per inquisitionē, denunciationē, & accusationē, ut docet Host. in d. n. 2. vers. sextū. Nā quādo iudex crimen inquirat, vel ex officio, vel ex denunciatione, vel accusatione, talis inquisitio dicitur scrutinium, quia delictum scrutatur & inquit.

Hic ti-

Hic titulus continet vnum caput: non habetur in Sexto neque in Clementinis, & de eius materia tractatur dist. 24 per totum. c. qui Episcopus, dist. 23. & c. qui in aliquo, dist. 51. Quod de scrutinio in presenti disputatur solum est, quod quando Archiepiscopus percōtatur alijs Episcopis, vtrūm sciant esse dignum illum Episcopum, quem volunt consecrare, poterunt sine peccato respondere esse dignum quamuis id non sciant: nam satis est ipsos nescire esse indignū ad hoc vt dignum impossint affirmare. Sensus nostræ rubricæ est, *De scrutinio in ordine faciendo*, id est de interrogatione Archiepiscopi, facta alijs Episcopis per quā scrutatur & inquirit de vita & moribus Episcopi quem volunt consecrare.

*De ordinatis ab Episcopo qui renunciauit Episcopatu.* Tit. XIII.

**P**Rima observatio. Quoniam in superioribus & sequentibus titulis ordinandorū, disputationē prosequimur, ideo non abs re inserit hæc rubr. de ordinatis ab episcopo, qui renūciauit episcopatu. In qua quidē rub. aliqui addūt hoc verbū (vel excōmunicato) & dicunt de ordinatis ab Episcopo qui renūciauit episcopatu, vel excōmunicato. Quæ certe particula iure optimo addēda est, imo in aliquibus antiquis Codicibus reperitur, ne aliās nigrum huius tituli sit generalius rubro, cum in eo duo solum capita contineantur: alterum disputans de ordinato ab Episcopo qui episcopatu renūciauit, & alterum de ordinato ab Episcopo excōmunicato.

Secunda observatio. Omnes dictiones huius rubricæ iam sunt in superioribus explicatæ: nam de ordinatis diximus toto titulo de temporibus ordinationum. De Episcopo diximus in titulo de translatione Episcopi, observatione vltima: de renūciatione etiam disputauimus in titulo de renunciatione, in observatione. 3. & denique de Episcopatu in sequenti observatione dicemus. Quare solum observa, Episcopum duobus modis Episcopatu posse renūciare, vel loco tantum, & talis Episcopus poterit omnes ordines conferre, nam manet Episcopus & quoad habitum & quoad exercitium: vel potest renūciare loco simul & dignitati, & iste nullum potest ordinem cōferre, quia solum in habitu remanet Episcopus: nam exercitio priuatus est eo ipso quòd dignitati renunciauit, vt colligitur ex capite. 1. isto titulo, & ex Abbate in eodem cap. 1. num. 1. Observa etiam, quòd si Episcopus nullo modo episcopatu renunciauerit, excommunicatus tamen fuerit, quod poterit (quāuis male faciat) omnes ordines conferre, licet cum ordinatis ab eisdem non dispensetur in eorum ordinum administratione, nisi ignorauerint Episcopum eos ordinantem esse excommunicatum, vt patet in cap. 2. isto tit.

Tertia observatio. Quia in hoc titulo, & multis alijs antecedentibus, & subsequētib; agitur de ipsis ordinatis, & in titulo de temporibus ordinationū obseru. 2. diximus quid esset ordo, idèd vidèdum est quotuplex ille sit, & hoc secundum nostrorum opinionem, qui contra Theologos dicunt primam con-

suram



suram & episcopatum esse ordines. Hostiensis ergo  
in Sum. isto tit. n. 1. nouē constituit clericorum ordi-  
nes in Ecclesia militante, sicut nouem sunt ordines  
Angelorū in Ecclesia Triumphante, scilicet, Tonsu-  
ratus, Ostiaratus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolita-  
tus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, &  
Episcopatus. Ex quibus tonsuratus seu prima tonsu-  
ra est ordo & congrua dispositio ad alios ordines,  
vt docet Ricardus de Mediauilla in 4. d. 24. ar. 1. dub.  
1. Alij quatuor ordines sequentes sunt ordines mi-  
nores, & alij tres subsequentes sunt ordines maio-  
res, seu sacri, & denique vltimus est Episcopatus qui  
additur à Canonistis in c. clericos, d. 21. & c. Diaconus  
d. 93. imo etiam Magister Senten. in 4. d. 24. Episcopa-  
tum ordinem appellat. Sed offert se grauis difficul-  
tas in præfenti, scilicet, quare Psalmistatus, seu Can-  
toratus (nam idem sunt Cantor & Psalmista, c. Psal-  
mista d. 23.) non numeratur inter istos ordines, cum  
etiam sint ordo, vt patet ex dicto cap. clericos, d. 21. &  
ex glos. ver. primum, c. illud, d. 77. & ex glos. ver. Ab-  
bati. c. cum contingat, de ætate & qual. Cui difficul-  
tati tripliciter respondeo. Primo, quod etiam si sit or-  
do, ideo non numerari inter alios, quia Doctores  
solum connumerant ordines qui conferuntur cū so-  
lemnitate, qualis non est Psalmistatus, seu Cantora-  
tus, vt docet glos. ver. Psalmista, c. clericos, d. 21. Secū-  
do respondeo, ideò non numerari, quia per primā  
tonsuram etiam fit aliquis psalmista, seu Cantor. di-  
ctā glos. in verbo psalmista, eodem capite, clericos, di-  
stinct. 21. Imo videntur esse idem, si consideremus

quomodo confunduntur inter se, in d. glos. & in gl. verbo Abbati, d. c. cum contingat, de ætate & qualitate. Tertio respondeo cum Ricardo in. 4. d. dist. 24. ar. 1. dub. 2. ad secundum, qui docet, psalmistatum, seu cantoratum non esse ordinem distinctum a lectoratu, sed esse officium annexum ordini lectoris: itaque existimat psalmistatum seu cantoratum, & lectoratum esse eundem ordinem, appellatum tamen distinctis nominibus. Nam quando ille qui legit verbum Dei legit cantando, dicitur Cantor, seu Psalmista, quando vero submissa voce legit, dicitur lector, & certe hoc videtur consonum rationi, nam legere verbum Dei cantando, & legere summissè nõ debent constituere distinctos ordines.

Hic titulus duo continet capita, non habetur in Sexto vel Clementinis, de eius tamen materia tractatur 2. q. 1. per totum, & c. ventum. 1. q. 1. & c. Deibertum, 1. q. 7. Et quod in toto isto titulo disputatur, iam diximus in secunda observatione. Sensus tamè illius erit huiusmodi (De ordinatis ab Episcopo qui renunciauit Episcopatu) id est, de his qui ordines susceperunt ab eo qui iam non erat Episcopus, sed potius episcopatu renunciauerat, quando ordines contulit.

*De ætate & qualitate, & ordine præficiendorum.*

**Tit. XIII.**

**P**rima observatio. Quoniam visum est in superioribus de ordinandis, videndum est iam de præficiendis, & quia in ijs maxime requiruntur & considerantur ætas, qualitas & ordo, ideo rubrica

brica

brica dicit de ætate & qualitate & ordine præficien-  
 dorum, sic continuat glossa in præfenti, & Hostien.  
 in Summa isto titulo. Nota tamé quòd aliqui, vt do-  
 cet Abbas in principio huius rubricæ, ponunt hunc  
 titulû hac ratione, de ætate & qualitate ordinando-  
 rum, sed decipiuntur: tum, quia de ætate & quali-  
 tate ordinandorum iam diximus in titulo de tempo-  
 ribus ordinationum, & qualitate ordinandorum, tû  
 est, quia alius est is qui appellatur ordinãdus, & alius  
 is qui dicitur præficiendus: nam ordinandus est is,  
 qui suscepturus est ordinem clericalem, vt primam  
 tonsuram, hostiariatam, vel alios similes, præficien-  
 dus vero est, qui suscepturus est, seu promouendus  
 est ad beneficia Ecclesiastica, vt docet glossa in ru-  
 brica, isto tit. lib. 6.

Secunda obseruatio. Facilis est huius tituli expo-  
 sitio, nam in eo quærentur ista tria, scilicet, de æta-  
 te & qualitate, & ordine illorum qui præficiuntur,  
 idest, promouétur ad beneficia, in hoc tamé sensu  
 quod videamus primo, quænam ætas requiratur ad  
 tale vel tale beneficium, vt quod ad personatum sit  
 necessaria ætas quatuordecim annorum completo-  
 rum, capite indecorum, isto titulo: vel quod ad  
 Episcopatum requiratur ætas triginta annorum,  
 capite cum in cunctis de electione. Secundo videa-  
 mus, quænam qualitates ad idem requirantur, vt  
 quod sit dignus scientia & moribus, qui ad cu-  
 ram animarum promouentur, capite eamte, isto  
 tit, vel quod non sit neophitus, idest nouiter conuer-  
 sus qui est promouendus Episcopus, cap. 1. dist. 43.

Tertiò denique, quisnam ordo requiratur ad tale vel tale beneficium, vt quòd qui est præficiendus Archipresbyter habeat ordinem presbyteratus, ca. i isto tit. vel qui est præficiendus Episcopus sit Diaconus & sacerdos, cap. i. dist. 60. & cap. ex literis, de excessibus prælatorum, vel saltim sit Subdiaconus vt probatur in c. à multis, infra isto tit.

Hic titulus continet quindecim capita. Habetur in Sexto, & Clementinis: non tamen assignant Doctores vbi in Decreto de eius materia pertractetur. Quod verò in eo de ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum disputatur, præter iam dicta in secunda obseruatione est, vt vnusquisque habeat ordinem quem supponit sua dignitas, & minori quatuordecim annorum regimen Ecclesiæ non committatur, & generaliter tractatur de his qui possunt præfici vel non præfici, sine dispensatione, si sine dispensatione. Sensus rubricæ facilis est, nam dicitur, *De ætate & qualitate, & ordine præficiendorum*, idest cuius ætatis: cuius vitæ & moris, aut cuius ordinis debeat esse is, qui ad tale vel tale beneficium, aut dignitatem promouetur.

*De Sacra Vnctione. Tit. XV.*

**P**Rima obseruatio. Hæc rub. sic cõfirmari potest scilicet, ideo agendum esse de sacra Vnctione, quia actum fuit de ordinandis & præficiendis, quorum aliqui Oleo, vel Chrismate vnguntur. Sic Glossa in præsentis. Ad cuius explicationem tria videamus. Primo quid sit Sacra Vnctio. Secundo

cundo quo fiat, & tertio quotuplex illa sit. Ad quorum primū respōdemus sacram vnctionem esse materialem delibationem sacri olei vel Chrismatis secundum formam traditam ab Ecclesia: quæ diffinitio traditur ab Host. in summa isto titulo, nu. 2. Ad secundam dicimus sacram vnctionem fieri aliquando oleo tantum, aliquando chrismate tantum, & aliquando oleo, & chrismate simul, vt apparebit in secunda obseruatione. Oleum tamen debet esse oleū oliuarum sanctificatum seu consecratum ab episcopo, vt docet Ricardus in. 4. dist. 23. ar. 1. dub. 3. & cap. quod in dubijs, de consecratione Ecclesiæ vel altaris: & §. scire infra isto titulo, Chrisma autē est quid compositum ex dict. oleo, & balsamo, vt patet in d. §. scire. Balsamum vero, vt docet Ab. in præsent. §. eod. versi. ultimo. Est liquor quidam qui emanat de quibusdam arboribus dū putantur, quæ arbores sunt viti similes habentes altitudinem duorum cubitorum, & folia rutæ similia, & nunquam cadentia, & vocantur etiam balsamo, vt docet Anglicus libr. 17. cap. 18. Ad tertium denique dicimus sacram vnctionem esse duplicem, scilicet exteriorē. Exterior est vnctio materialis, & visibilis inungens corpus, & significans interiorem vnctionem. Interior vero est vnctio spiritualis, & inuisibilis inungens cor, & interiorius operans dict. §. scire, isto tit. & cap. vnctio, de poenitentia dist. 2. In hoc tamen tit. solum agitur de vnctione exteriori, & sic diffinitio sacræ vnctionis supra tradita solū eam cōprehendit: de interiori vero solum quid sit docet summus Pōtifex in d. §. scire

Secunda obseruatio . Videamus in particulari quot vnctiones in Christi Ecclesia reperiuntur quæ omnes in hoc titulo vel late explicantur, vel breuiter attinguntur: sunt autem decem, scilicet, summi Pontificis, Episcopi sacerdotis, Ecclesiæ, Altaris, Calicis, Regis, Baptismi Confirmationis, & Extrema vnctionis . Summus Pontifex inungitur in capite cum chrismate. §. vnde. isto titulo, Episcopus inungitur à Metropolitanano vel à Papa in capite, & in manibus, & cum chrismate. §. scire. versic hoc vnguento, isto titulo, Sacerdos inungitur ab Episcopo in manibus solum, & cum oleo, vt notat Host. in summa isto titulo, numero . 3. Ecclesia inungitur chrismate ab episcopo cum dedicatur, cap. nemo de consecratione dist 1. & cap. quanuis distinctione. 68. Altare inungitur prius oleo, & deinde chrismate, cū consecratur ab episcopo, vt docet idem Host. titulo de consecratione ecclesiæ vel altaris in summa numero. 10. Calix inungitur chrismate quando benedicatur ab episcopo, vt docet idem Host. eod. numero. 4. Rex inungebatur in capite, sed modo in brachio, & humero vel in armo: si erat Imperator à Papa, si non, à Metropolitanano, & cum oleo solum. §. vnde versic. principis isto titulo. Baptizatus quatuor accipit vnctiones à sacerdote, duas ante baptismum, scilicet, in pectore, & in scapulis cum oleo tantum: & duas post Baptismum, scilicet, in vertice, & in fronte, & cum chrismate tantum. §. quia vero isto titulo. Confirmatus inungitur à solo episcopo in fronte, & cum chrismate. §. per frontis, etiam isto titulo

tuio Infirmus denique graui infirmitate oppressus, qui recipit extremam vñctionem inungitur in oculis, auribus, naribus, ore, & in manibus, & in aliquibus prouincijs etiam in renibus, vel scapulis, & pedibus, & hæc vñctio fit oleo tantum, siue à sacerdote siue ab episcopo. c. presbyteros. c. illud. dist. 95.

Hic titulus, habet vnicum caput multos continens. § §. non habetur in. 6. neque in Clementinis, de eius tamen materia tractatur. distinctione. 64. & 65. per totum & distinctio. 95. & 96. etiam per totum. Quod in eo de sacra vñctione disputatur iam habetur in secunda obseruatione. Sensus vero ipsius talis est, *de sacra vñctione*, idest de sacri olei vel chrismatis delibatione secundum formam, & consuetudinem ecclesiæ, à certa persona, certæ rei vel personæ facta.

*De Sacramentis non iterandis. Tit. XVI.*

**P**Rima obseruatio. Licet ista rubrica videatur extra propositam iuris materiam, re tamen attentius considerata, optimo in loco de ea disputatur, nam quemadmodum post rubricam antecedentem de sacra vñctione, recte sequeretur alia, de sacra vñctione non iteranda ita etiam recte sequitur de sacramentis non iterandis: nam si visum fuerit an iterentur sacramenta in quibus ipsa sacra vñctio reperitur, etiam visum erit, an ipsa sit iteranda vel nō. Et hæc continuatio mihi aliquantulum placet, licet nullibi legerem. Hæc autem rubrica licet sic communiter legatur, tamen in aliquibus vetustioribus Codicibus legebatur de Sacramentis iteran-

iteran-

iterādis vel non: & in alijs, de sacramentis iterādis, vel non iterandis quæ lecturæ cum rubricæ sensum non mutant parui sunt momenti.

Secunda obseruatio, huius rubricæ occasione vidēdū est, vnde dicatur sacramētū, quid sit sacramētū & quotuplex sit. Dicitur ergo sacramētū à sacro secreto Nā sacramētū est quasi sacrum secretum, vt docet Magister in. 4. d. 1. & habetur in cap. multi. r. q. 1. Difinitur vero hac ratione, sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt docet idem Magister ead. dist. & dicitur in cap. sacrificium de conse. dist. 2. Denique sacramenta sunt septem, scilicet, Baptismus, Confirmatio, Pænitentia, Eucharistia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium, vt diffinit sancta Mater Ecclesia in Concilio Tridentino sessione 7. canone. 1. & cap. omnia sacramenta. 1. q. 1. quæ hoc carmine comprehenduntur *Ab. & Host. in præsentī, scilicet. Ablao Firmo, Cibo Riget, vxor, Ordinat, vngit.*

Tertia obseruatio. Sacramenta prout ad præsentem rubricam spectat, alia sunt iterabilia, alia non. Iterabilia sunt Pænitētia, Eucharistia, Extrema vnctio, & Matrimonium. Non iterabilia sunt, Baptismus Confirmatio, & ordo. Vnde *Ab. in hac rub. versic. tertio quæro, ponit hūc versum. Fons, Ordo, Chrisma, nam cetera sunt iteranda.* Hæc autem ideo non iteratur quia in ipsis character imprimitur, in alijs vero nō. Est autem character signum spirituale, & indelebile impressum animæ in sacramento Baptismi vel Confirmationis, vel ordinis. Vt docet D. Thom. 3. p. quæst. 63 art. 5. Soto in 4. distinctione. 1. quæstio. 4. art.



art. 1. & Navar. in manuali. cap. 22. num. 2. Ex quibus obiter animaduerte, quod sacrae vnctiones quæ in sacramentis reperiuntur partim iterantur, & partim non iterantur, nam illa quæ reperitur in Extrema vnctione iterabilis est, aliæ vero quæ reperiuntur in Baptismo Confirmatione, & ordine iterari non possunt.

Quarta obseruatio. Iterare est idem, quod iterum dare, aut actum geminare seu duplicare, aut triplicare etiam, vt docet Lexicō iuris verbo, iterum, vnde non iterare erit non geminare: quare dicere in hoc tit. de sacramentis non iterandis, erit dicere de sacramentis non iterum dandis seu de sacramentis quæ non geminantur. Ex quibus aperte sequebatur agendum esse in hoc tit. de Baptismo Confirmatione, & Ordine. Sed nihilominus tamen, nihil disputatur de sacramento Baptismi, & pauca dicuntur in primo cap. de Confirmatione, & nonnulla in primo, & vltimo de sacramento ordinis. De alijs vero sacramentis quoniam iterabilia sunt nihil disputatur, nam hoc esset contra institutum rubricæ in qua tantum dicitur de sacramentis non iterandis.

Hic titulus, habet tria capita, non habetur in 6. vel Clementinis, & de eius materia disputatur. cap. Ecclesijs dist. 68. cap. saluberrimum. 1. quæst. 7. & ca. quibus de consecratione dist. 4. Quod vero de sacramentis non iterandis in præsentis disputatur est primo prohibere iterationem ordinis, & confirmationis, secundo prohibere iterationem benedictionis sacrarum vestium, & consecrationis altaris. In quibus

bus præcipue, docet Sūmus Pontifex supplendū esse quod deerit in sacramento ordinis, potius quam iterandum. Sensus ergo nostræ rubricæ est. *De sacramentis non iterandis*, id est de sacramentis quæ nō possunt iterari seu iterum dari.

*De Filijs presbyterorum ordinandis vel non  
Titulus. X V I I.*

**P**rima obseruatio. Quoniam postquam egimus de ordinandis posset aliquis dubitare an sint aliqui, qui ordinari non possint, ideo aggredimur disputationem non ordinandorum, inter quos, quia non inferiorem obtinent locum filij presbyterorum, agendum est prius, de filijs presbyterorum ordinandis vel non. Sed maxime obseruandum est pro huius rub. expositione, quod quāuis rubrum dicat, *de filijs presbyterorum*, nihilominus etiam agitur de alijs filijs illegitimis aliorum hominum, & hæc est causa propter quam in sexto, sic scribitur hæc rubrica, scilicet, *de filijs presbyterorum, & alijs illegitimis natis*. Et præterea, quamuis dicat, *non ordinandis*, disputat etiam de non præficiendis. Quare sic poterit rubrum extendi, vt quæ continentur in nigro facile comprehendat, scilicet. *De filijs presbyterorum vel laicorum, legitimis vel illegitimis, non ordinandis vel non præficiendis*. Est tamen in præsentī animaduerten dū, quod pro huius rubricæ declaratione non obseruamus aliquid de hac dictione, presbyter, quoniā de eo disputabimus

tabimus in libro tertio titulo. 34. obseruatione. 2.  
Secunda obseruatio. Filij presbyterorum in duplici  
sunt differentia. Alij enim sūt legitimi, qui ante or-  
dines sacros, vel fuerunt adoptati vel de legitimo  
matrimonio habiti: & hi possunt omnibus, ordini-  
bus ordinari, & omne Ecclesiasticum beneficium  
etiam in Ecclesia patris obtinere. c. ad hæc infra isto  
tit. & glo. ibi in verbo obtinere, licet nunquam pos-  
sint immediate patri in beneficio succedere. cap. ad  
extirpandas isto tit. & eadem glo. in dict. verbo obti-  
nere. Et dixi ante ordines sacros, quia postea, neque  
possunt adoptare, vt docet Christophorus Porcus  
versu. hinc insurgit dubiū in. §. sed illud inst. de ado-  
ptionibus, neque etiam possunt matrimonium con-  
trahere, vt de se patet. Alij filij presbyterorum  
sunt illegitimi, siue habeantur ante ordines sacros  
siue post, quos ipsi nepotes appellat, de his enim  
communiter dicitur, sæpe sacerdotes solent filios  
appellare nepotes: & hi nec possunt ordinari, ne-  
que præfici, capite primo, isto titulo, vbi genera-  
liter prohibetur omnibus illegitimis, excepto casu  
quo ingrediantur religionem, vel fiant canonici  
regulares, nam tunc poterunt ordinari, licet præla-  
tionem habere non possint.

Tertia obseruatio. Tres sunt causæ, propter  
quas filij illegitimi prohibentur præfici, & ordi-  
nari, quæ assignantur ab Hostiens. in summa, is-  
to titulo, numero sexto, versicul. quæ est causa.  
Prima est dignitas, & excellentia ordinis, &  
dignitatis Ecclesiasticæ, quæ turpibus, & in-  
famibus

famibus committi non debet. cap. inter dilectos, de excessibus prælatorum. l. neque famosis. C. de dignitatibus lib. 12. Secunda est detestatio criminis paterni, quod plerumque detestatur in filiis. l. isti quidem. ff. de eo quod metus causa, & cap. vergentis de hæreticis. Tertia denique est timor paternæ incontinentiæ cap. literas isto titulo, & innuit tex. in cap. si infra eod. Sed aduertendum, hic potuisse nos proponere filiorum amplam diuisionem, quam consulto prætermittimus, vt illam in tit. qui filij sint legitimi proponamus.

Hic titulus, habet. 18. capita: habetur in 6. nō vero in Clementinis, & de eius materia disputatur, dist. 56. per totum. Quod vero de huius rubricæ materia in præfenti dicitur, est primo generaliter ostendere quod illegitimus non debet ordinari neque præfici. Et secūdo, quod nullus filius præsertim illegitimus potest in Ecclesia patris præfici, & si præficiatur debeat remoueri. Aliquibus tamen exceptis casibus, & modis, quibus, & ordinari, & præfici, & patri in beneficio succedere possit. Sensus ergo nostri tituli erit huiusmodi. *De filiis presbyterorum ordinādis vel nō, idest an sint ordinandi vel præficiendū filij illegitimi maxime presbyterorum.*

*De seruis non ordinandis, & eorum manumissione. Tit. XVIII.*

**P**rima obseruatio. Quoniam in hac non ordinandorum disputatione quæ in superiori, & sequentibus titulis continuatur visum fuerit de

de illegitimitate personarum, quoad impedimentum originis: videndum est in presenti titulo de seruitute, quæ est impedimentum conditionis: & ideo ponitur hæc rubrica de seruis non ordinandis, & eorum manumissione. Ad cuius exactam expositionem videndum erit, vnde dicatur, & quid, & quotuplex, sit seruitus, tum etiam vnde dicatur manumissio, & quid, & quotuplex illa sit.

Secunda observatio. In primis igitur sciendum est, quod omnes homines de iure naturali liberi nascebantur, & quod libertatem de iure gentium seruitus inuasit. §. manumissio. inst. de libertinis. Et ideo diffinitur, seruitus est constitutio iurifgentium qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur. §. seruitus. inst. de iure personarum. Seruus autem erit qui iure gentium vel civili dominio alieno contra naturam subijcitur. Qui serui dicuntur à seruitute non quidem, quia seruiant, nam famuli etiam seruiunt, sed quia quando capiebantur in bello voluerunt Imperatores ne interficerentur, sed potius seruariantur, & ideo dicti fuerunt serui. §. serui inst. de iure personarum, & quia in bello manu capiebantur aliquando etiam dicuntur mancipia. Sunt autem in triplici differentia: alij enim nascuntur serui, quos, scilicet pariunt Ancillæ, alij fiunt serui de iure gentium, scilicet, ex captiuitate: alij denique fiunt de iure civili quando, scilicet, homo maior viginti annis, & liber, ad pretium participandum sese venundari patitur. §. ultimo inst. de iure personarum. In hoc ergo titulo, de omni-

D

bus

bus his seruis sine discrimine loquimur.

Tertia obseruatio. Manumissio inuēta fuit de iure gentium in seruitutis remediū, & ideo manumissio dicitur de manu missio, idest liberatio à manu, & potestate domini. Vnde sic diffinitur manumissio est datio libertatis inst. de libertinis in principio. Libertas autē est naturalis facultas eius, quod cuiq; facere libet, nisi, quod vi aut lege prohibetur. inst. de iure personarum in principio. Quare manumissus erit liberatus à manu, & potestate domini, qui proprio nomine libertus appellatur Est enim libertus qui à iusta seruitute manumissus est inst. de libertinis in principio. Vbi nota, quod libertus, & libertinus minime distinguntur, vt notat Lexicon iuris in verbo libertinus, vbi hac de causa dicit Accursium esse vnum ex imperita multitudine, sed male, nam bonus aliquando dormitat Homerus. Manumissiones autem tot sunt, vt Iustinianus in. §. multis instituta, de libertinis enumerans multas manumissiones, dicat se alias multas prætermittere. Quauis posset aliquis dicere, illas non esse multas manumissiones, sed solum multos modos manumittendi: vide tamen Hostiens. in summa isto titulo, numero. 12. vbi omnes enumerat. In hoc tamen titulo, indistincte nomine manumissionis vtimur.

Quarta obseruatio. Pro maiori nostræ rubricæ expositione videamus quomodo seruus possit ad ordines peruenire: pro quo indistincte dicimus nullum seruum, nisi manumittatur posse ordinari,

capite. 1. 2. & 3. distinctione. 54. & capite. 1. & capite, consuluit, isto titulo. Et hoc tam propter clericalem dignitatem, quam propter seruorum vilitatem, capite, admittuntur, dict. distinctione. 54. Sed dices quid erit si ordinentur. Respondeo, quod ordinati erunt, vt colligitur ex cap. 2. isto titu. Quare ex dictis facile respondere poteris ad quæstionem, an seruus possit ordinari: nam reddit duplicem sensum: primo an seruus possit ordinari, idest an iura permittant seruis ordines conferri, & in hoc sensu ordinari non possunt, vt supra diximus, & sic loquuntur omnia iura quæ dicunt illos non posse ordinari. Secundo reddit hunc sensum idest an si de facto seruis ordines dentur, ipsi illos possint recipere ita vt remaneant ordinati, & in hoc sensu serui bene possunt ordinari, sicque loquuntur omnia iura quæ asserunt seruos ordinari posse. An autem postea debeant deponi, & ad seruitutem reddi, vel potius sint manumittendi, vide in glossa verbo deponantur, capite. de seruorum isto titulo, & in glossa verbo reddi, cap. frequens, distinctione 54.

Hic titulus, continet. 8. capita, & neque in. 6. neque in Clementinis habetur, de eius tamen materia disputatur in distinctione. 60. per totum. Quod de seruis non ordinandis dicitur in hoc tit. est præcipere ne ordinentur nisi prius manumittantur, & docentur alia ipsorum manumissionem concernentia. Sensus vero rubricæ est, *De seruis non ordinandis*, idest de seruis, qui ordinari nõ debent. Et eorum manumis-

scilicet, idest de liberatione eorum à potestate domini vel post ordines susceptos, vel ante ordinis susceptionem.

*De Obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non*  
*Tit. XIX.*

**P**rima obseruatio. Postquam egimus de seruitute, agendum est de alio ordinandorum impedimento, scilicet, de obligatione ad ratiocinia: ideo ponitur rubrica de obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non. Obligatus autem dicitur qui vinculo iuris adstringitur ad aliquid soluendum vel faciendum: nam obligatio in principio inst. de obligationibus diffinitur hac ratione: obligatio est iuris vinculum quo necessitate adstringimur ad aliquid soluendum vel faciendum.

Secunda obseruatio. Ratiocinia sunt rationes seu rationum redditiones ad quas aliquis obligatur ex administratione rei priuatæ vel publicæ. Sic Host. in summa isto. tit. n. 1. & Abb. in hac rub. Obligati autem ad ratiocinia sunt illi qui alienam administrationem susceperunt, vt syndicus vniuersitatis, executores sententiarum, executores testamentorum, procuratores, actores, tutores, curatores, & curiales. Qui omnes ordinari non possunt nisi deposito onere, & redditis rationibus suorum officiorum, c. vnico isto tit. & c. præterea dist. 51. In quibus autem casibus, non redditis rationibus possint ordinari, vide gl. in presenti ver. ratiocinia, & Host. vbi su. n. 5, & Ab. n. 3.



Tertia observatio. Causæ quare obligati ad ratiocinia non sunt ordinandi quinque sunt. Prima est quia frequenter contrahunt irregularitatem ex officio suo. c. si quis, & c. ult. d. 51. Secunda quia multum molestatur Ecclesia cum talis repetuntur c. designata, & c. præterea ead. d. Tertia quia præsumitur contra eos quod non causa religionis ordinentur, sed ut fugiāt ratiocinia. c. legem. d. 53. Quarta quia Ecclesia tristatur de his cum repetuntur. d. c. designata. d. 51. Quinta denique est propter voluptates quas forte habuerunt in suis officijs. c. præterea dict. dist. 51.

Hic titulus, continet vnicum caput, non habetur in. 6. neque in Clementinis, & de eius materia disputatur. d. 51. & 53. & 56. per totum. Quod autē in præfenti tit. disputatur iam est dictum in secunda observatio. Sensus nostræ rubricæ talis est, *de obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non*, idest quando, & quomodo possint ordinari qui publicam vel priuatam habent administrationem.

*De corpore vitiatis ordinandis vel non. Tit. 20.*

Prima observatio. Post obligationem ad ratiocinia agendū est iam de quarto ordinandorū impedimento, scilicet, de vitio corporis, quod nō solū impedit promouendū, sed etiā aliquādo deijcit iā promotū. c. exposuisti. isto. tit. Vnde constituitur, rub. de corpore vitiatis ordinandis vel nō. Sed aduertendū est, quod sub hoc nomine vitiū corporis tria cōtinetur, scilicet, debilitas corporis, deformitas cor

poris, & impotentia corporis. Debilitas est quando retinet quis membrum, sed habet illud inefficax, vt manum aridam, oculum cæcum, crus cōfractum. Deformitas est quando habet aliquid contra naturam à quo videatur deformatis, vt sex digitos, nubem in oculo, vel si sit gibosus vel tortus. Impotentia est, vt si careat brachio, vel manu, vel pede qui appellatur mutilatus. Hæc docet Host. in summa isto. tit. n. 1. 2. & 3. In hoc ergo. tit. quando dicit rubrica de corpore vitiatas, de omnibus his vitijs intelligitur.

Secūda obseruatio. Corpore vitiatas in triplici sunt differentia: alij enim sunt qui non impediuntur ordinari, vt sunt omnes qui vel ab inimicis, vel propter necessitatem sine culpa sua habent vitium, vel mutilati sunt mēbro non efficiēte notabilē deformitatē vt si sine culpa amiserit virilia. c. ex parte. el segūdo isto. tit. vel partē digiti. c. vlt. etiam isto. tit. Alij sunt qui impediuntur ordinari, sed solet cū illis dispensari, vt sunt illi qui culpa sua habent vitiū nō cōtinens notabilē deformitatē, vt amputata virilia, quia putabāt placere Deo. c. significauit isto. tit. vel partem digiti amputatam in duello. c. 1. eod. titu. Vel è contra qui sine culpa sua habet vitiū continens notabilem deformitatem, vt digitum abscissum propter morbi vel maximē nubem in oculo arguimento. c. cum de tua isto. tit. Alij denique ita impediūtur, vt cū illis dispēsari nō possit, vt illi qui nō habēt manū, vel habent illā omnino sicca. c. exposuisti isto. tit. In hoc ergo. ti. de his omnibus corpore vitiatas disputatur.

Tertia obseruatio. Huiusmodi impedimenta, vt

melius

melius diiudicetur arbitrio, & inspectioni oculorum superioris subijci debent, quia non ita facilius subijciuntur auribus, quã oculis, argumento. l. i. ff. de vete in spiciendo, & §. vlt. inst. de gradibus cognation. Animaduertendũ tamen est in præsentibus rub. fabulosum esse ridiculũ muliercularũ dictũ existimantium non posse ordinari in sacerdotes, neque Missæ sacrificiũ celebrare, illi qui cũ habeant amputata virilia saltem testiculos siccos in saculo secũ non deferant: quod forte dicunt, quia odio ipsæ prosequuntur homines qui illos secum non deferunt.

Hic titulus, continet. 7. capita, non habetur in. 6. vel Clementinis, de eius tamẽ materia disputatur d. 55. per totũ. Quod in hoc tit. de corpore vitiatis exagitur est qui corpore vitiati possint sine dispensatione ordinari vel administrare in ordine suscepto, & qui requirant dispensationẽ, & qui neq; cũ dispensatione possint. Quia, scilicet nõ possit cũ ipsis dispensari. Sensus rubricæ est, *de corpore vitiatis ordinandis vel non*, id est qui corpore vitiati possint vel non possint ordinari, vel in ordine suscepto administrare.

*De Bigamis non ordinandis. Tit. XXI.*

**P**rima observatio. Post impedimentũ vitij corporalis agendũ est de bigamia quæ inter alias irregularitates seu impedimenta ordinandorum nõ minima est irregularitas seu irregularitatis causa: tam ad beneficia quam ad ordines Ecclesiasticos suscipiendos. Sic cõtinuatur hæc rubrica ab Host. & glos. isto tit. Sed aduerte, quod quanuis ex rubro

videatur sequi solum esse disputandum de bigamis, nihilominus etiam disputatur de non bigamis qui poenas bigamorum incurunt: vt patet in capite, nuper, & cap. à nobis. isto. tit.

Secunda obseruatio. Bigamia duobus modis sumitur, primo modo proprie, & stricte, alio modo improprie, & large. Primo modo diffinitur ab Host. hic n. 1. Bigamia est defectus ordinandi ex secundis nuptiis proueniens. Secundo modo potest dici defectus ordinandi proueniens ex varijs causis, scilicet, quia ordinandus contraxit cū corrupta, vel vidua, vel cū aliqua ante baptismū, & cū alia post, vel quia castitatē promissam violauit, vel quia qui habuit duas mulieres, cum vna aut cum duabus solum de facto contraxit, vel denique, quia suam vxorem adulteram cognouit post adulterium. Similiter etiā bigamus (qui sic appellatur à bis, quod est duo, & gamos, quod est mulier vel nuptiæ, quasi vir bis nuptus) duobus modis dicitur, scilicet, proprie seu stricte, & improprie seu large. Bigamus proprie est qui duas legitimas successiue habuit vxores. Bigamus vero improprie est, qui cōtraxit cum vidua vel corrupta. c. seriatim dist. 32. vel qui habuit vnam ante baptismum, & aliam post. cap. acutius, & cap. vna dist. 26. vel qui castitatem promissam violauit. cap. quotquot. 27. quæst. 1. vel qui habuit duas mulieres, & si cum vna aut cum duabus solum de facto contraxit. cap. Christiano d. 34. vel denique qui vxorem cognouit post adulterium. c. si cuius vxorem d. dist. 34. In hoc ergo titulo tā bigamus quā bigamia vtroq; capiuntur modo.

Sed

Sed est animaduertendum, quod sicut bigamus dicitur qui habuit duas uxores, ita monogamus qui habuit vnam, & trigamus qui habuit tres, & quadrigamus qui quatuor, & sic de alijs.

Tertia observatio: Si quis dubitet an bigamus si actu ordinetur recipiat ordinem. Respondeo quòd sic, vt docet Abbas cap. super eo. num. 2. isto tit. Nam quamuis prohibitum sit bigamum ordinari, cap. 1. isto titulo, tamen si actu ordinetur recipit characterem & ordinem vt dixi: sed non poterit administrare sine dispensatione, cap. lector distinctione. 34. Vnde tam ad suscipiendos ordines quàm ad administrationem eorum quos suscepit in bigamia indiget bigamus Papali dispensatione, vt docet idem Abbas. dicto cap. super eo. num. 6. Sed dices, quid ergo erit de ordinante bigamum sine dispensatione. Respondeo, quòd priuabitur potestate ordinandi & indigebit etiam dispensatione ad vltius ordinandum, dicto cap. super eo. isto tit.

Quarta & vltima observatio est, quatuor esse causas propter quas bigamia est irregularitas seu impedimentum ad suscipiendos ordines, quæ assignantur ab Abbate in hac rub. & ab Hostiense in Summa §. Et cui. de temporibus ordinationum, & à glossa 1. dist. 26. in principio. Prima est propter defectum sacramenti, idest propter defectum vnitatis sacramenti, quia bigamus diuisit carnem suam, cap. acutius. dist. 26. & cap. debitum. isto tit. Hoc autem sacramentum cuius vnitatem nō obseruat bigamus, est quoddam mysteriū quod in matrimonio repræsentatur,

scilicet, vnitas vnus Ecclesie ex omnibus gentibus collecta, & vni viro Christo subiecta, quæ in matrimonio bigami nõ reperitur, ex eo quia bigamus diuisit carnem suam, cum vel mulier nõ sit vnica vni ci, vel ipse non sit vnus vnus, sicut Ecclesia est vnica vnus Christi, & Christus est vnus vnus Ecclesie, de quo vide tex. in d. c. debitum. isto tit. & glos. ibi in ver. sacramentum. Secunda causa est propter prerogatiuam ordinis, cap. vna, & c. qui sine crimine. ead. d. 26. Tertia est quia præsimitur incõtinens, qui vel vna mortua transit ad aliam, vel communi- cat cum incontinenti, vt cum vidua. ca. proposuisti, dist. 82. Quarta denique est, quia clericus debet esse hortator viduitatis, & virginitatis, quod nõ erit, qui ad secundas nuptias se transtulit, vel cum vidua cõtraxit, d. c. vna, d. 26. vel alia similia fecit, ex quo sit bigamus.

Hic titulus habet septem capita, & habetur solũ in Sexto, & de eius materia agitur dist. 26. & c. si quis §. quid ergo. dist. 34. & c. quicumque. dist. 77. & 28. quæst. vltima, per totum, quod præcipue in hoc titulo disputatur est. Primo, quod bigamus non potest ordinari. Secundo, an & quando liceat cum eo dispensare. Tertio, qui cum non sint bigami, pænas bigamorum incurrunt. Et denique qui bigami censeantur. Sensus nostræ rubricæ est huiusmodi, *De bigamis non ordinandis*, id est, an bigami possint ordinari, vel si ordinati fuerint administrare, tam cum dispensatione, quàm sine illa.

*De clericis peregrinis. Tit. XXII.*

**P**rima observatio est, quòd inter eos qui ordinari prohibentur, enumerantur peregrini, de quibus ultimo loco erit disputandum: quare peregrinatio etià erit ordinandorù, vel promovendorù impedimentù: non quidè in hoc sensu, quòd in sua diœcesi vbi ià aliquis nō est peregrinus, impediatur promoveri, idèd quia peregrinatus est, vel peregrinaturus est, sed in hoc sensu quod peregrinus in illa terra in qua est peregrinus, scilicet, extra diœcesim suam non promoveatur, vt patet in toto isto tit. Quomodo autem & quando promoveri possint. vide per Hostiensem in Summa isto tit. nu. 3.

Secunda observatio est, clericù esse omnè habētē ordinē aliquē Ecclesiasticù, siue minorē siue maiorem à prima tonsura vsque ad Episcopatù, cap. clericos, dist. 21. c. clericum. dist. 72. & c. de persona. 11. q. 1. Cleros enim latinè dicitur fors, dicto. cap. clericos. ead. dist. 21. Et ita clericus est in sortem Domini electus, in sortem autem Domini electi sunt omnes qui ordinem habent Ecclesiasticum, quorum signum est Corona rasa in summa parte capitis ad modum spheræ posita, cap. duo sunt. 12. q. 1. Cum ergo in hoc titulo de clericis peregrinis loquimur indistincte clerici nomen erit accipiendum: quamvis communiter videamus apud vulgum clerici nomen solum accipi pro presbytero seu sacerdote, dicitur autem sacerdos, quasi sacra dans, vt docet Isidorus, libro. 7.

*Etymolog. c. 12.*

Tertia observatio. Peregrini dicuntur in præsen-  
ti om-

ti omnes qui nō sunt de Episcopatu ordinantis, qui à tali Episcopo recipi non debēt ad ordines vel beneficium, vel Ecclesiastica sacramenta, vt cap. 1. & 3. & per totum. dist. 71. Quibus etiam neque celebrare neque prædicare permittitur. c. vlti. de regularibus in extrauagātibus communibus. Sed dices quare nostra rubrica post nomen, *peregrinus*, non addit *non ordinandus*, ita vt diceret, *De clericis peregrinis non ordinandis*. Respondeo, quia ex serie titulorum iam colligebatur, & sapienti pauca.

Quarta obseruatio. Quatuor sunt causæ propter quas clerici peregrini ordinari prohibentur. Prima est ne Episcopus illos ordinās ponat manum in subditos alienos, cap. illud. dist. 71. Secunda est quia peregrinantes sæpissimè sunt criminosi vel alio modo irregulares. distin. 33 per totum. Tertia est, quia sæpè mentiuntur, dicendo se habere alios ordines, vt ad maiores promoucantur, ca. duæ. 19. quæstione. 1. Quarta denique est, quia peregrinus inobediens præsumitur respectu sui Episcopi, præsertim si non apparet de licentia ordinandi, cap. non oportet de consecra. dist. 5. Ex ijs, quæ in expositione huius tituli dicta sunt, & quæ dicuntur in titulo de Clericis peregrinantibus, colliges differentiã quæ inter hos duos titulos reperitur, quæ est huiusmodi, quòd iste agit de clericis peregrinis respectu ordinum, an scilicet possint vel non possint ordinari: at vero in illo alio tit. agitur de ijsdè clericis peregrinis seu peregrinantibus respectu litiũ, quatenus ratione peregrinationis gaudēt vel nō gaudēt aliquibus litigant ũ suffragijs



gijs. Hic tit. quatuor habet capita, & neque habetur in Sexto neque in Clementinis, tractatur tamen de eius materia in dist. 71. & 72. per totum, & 98. & 7. quæst. 1. in multis capitibus. Quod in hoc titulo de clericis peregrinis disputatur est: primò, quòd clerici peregrini ordines quos habent debent probare, si voluerint in eis administrare, & secundò quòd non debent ulterius ordinari neque præfici sine consensu suorum prælatorum. Sensus igitur nostræ rubricæ est, *De clericis peregrinis*, id est, de clericis extra suam diocesim constitutis ordinandis vel non.

*De officio Archidiaconi. Tit. XXIII.*

**P**rima observatio. Finito tractatu ordinandorù, agendum est de officijs superiorum habentium Ecclesiasticas dignitates, & quia dignitas Archidiaconi maior est post Episcopalem, agendum erit prius de eius officio: quare proponitur rubrica de officio Archidiaconi, in cuius expositionem videndum erit, quid sit Archidiaconus, & quale eius officium. Sed quia necessarium est aliqua de officio in cõmuni cognoscere, ut ad Archidiaconi, & aliorum officium descendamus, idèò videndù erit, quid & quotuplex sit officium.

Secunda observatio est ex Ambrosio Calepino, verbo officium, ubi dicit, officium in cõmuni dici quasi officium vna litera mutata propter decorè sermonis: vnde officium generatim erit congruus actus vniuscuiusque personæ, seu erit id quod quisque efficiere

ficere

ficere debet pro conditione personæ, vbi nota verbum pro conditione personæ, nam quando Leno insidiatur pudicitie, vel latro furatur, dicuntur facere suum officium: Officium autem sic in cõmuni sumptum est duplex, scilicet, in habitu & in actũ. In habitu est illa potentia, qua aliquis facit id quod facere debet, vt potentia iudicis, sacerdotis, serui, sartoris, agricolæ, & aliorum similium ad faciendum id, quod quisque in suo statu facere debet, & de hoc officio loquimur quando Hispanè dicimus, *tiene por officio*, ò *tiene tal officio*. Officium vero in actũ est ipsemet actus, quo aliquis facit id quod facere debet, vt actus iudicandi in iudice, celebrandi in sacerdote, seruiendi in seruo, &c. Et de hoc officio loquimur quando Hispanè dicimus, *haze su officio*. Præterea officium tam in habitu quam in actũ est multiplex, ac pene infinitum, nam quotquot sunt conditiones hominum, ministeria & superiorum, & inferiorum dignitates, administrationes, vel seruitia, tot sunt officia tam in habitu quam in actũ. Vnde erit impossibile sufficientem proponere officij diuisionem. Quare descendamus ad officia Ecclesiastica, quorum à nobis nunc suscipitur disputatio, & primo loco de officio Archidiaconi tractemus.

Tertia observatio. Archidiaconus dicitur ab Archos, quod est princeps, & Diaconus, quasi dicatur princeps Diaconorum, & verè est prior, & princeps Diaconorum, & Subdiaconorum, sicut Archiepiscopus est princeps Episcoporum

porum, capite Cleros, distinctione 21. Est tamen Archidiaconus is, qui in Ecclesia Cathedrali certam dignitatem adeptus est, cuius ratione debet esse Diaconus, & inter Diaconos prioritatem obtinere, & post Episcopum in iurisdictione priorem esse, & vicarium illius. Sic diffinit Hostiensis in Summa, isto titulo, numero. 1. Est etiam primus in Ecclesia post Episcopum, & oculus Episcopi appellatur, in cap. ad hæc, infra isto titulo.

Quarta observatio: Officium Archidiaconi multiplex est, primo corrigere & emendare quæ indigēt correctione, si Episcopus non potest, c. 1. isto tit. Secundo iurgia, & lites clericorū omnium audire, c. per lectis, d. 25. Tertio, instituere, seu eligere, c. si in plebibus, d. 63. Quarto, pænas imponere, ca. licet, inf. de panis. Quinto, beneficijs privare, c. referēte, de præben. Sexto excommunicare, suspendere, visitare procuraciones, & obsequia debita à subditis recipere, c. dudum, el segūdo, de elect. Septimo, curam animarum exercere, c. cum in cūclis. §. inferiora, de elect. Et deniq; in omnibus Episcopi vicem gerere, c. 1. & c. ad hæc, isto tit. Animadvertite tamē, Archidiaconū dici etiam Episcopi vicarium, c. 1. & 7. isto tit. & dici etiam visitatorem, c. non debere, dist. 80. Hispanè verò dici. *Arce diano.*

Hic titulus habet decem capita, non habetur in Sexto, vel Clementinis, disputatur tamen de eius materia in capite, per lectis, distin. 25. & cap. honoratus, distin. 74. & capite, finali, dist. 94. Quod de Archidiacono in præsentī agitur, est ostendere quæ ad  
 eius

eius officium pertineant, & quæ non: de quibus omnibus iam loquuti sumus in superiori obseruatione. Sensus rubricæ facilis est, nam dicit, de officio Archidiaconi, id est, quæ sint illa quæ ad eius obligationem vel munus spectent.

*De officio Archipresbyteri. Tit. XXIII.*

**P**rima obseruatio. Agendum est de officio Archipresbyteri, quia post Archidiaconum secundus est in dignitate: vel vt dicit glossa in presenti rubrica, quia post Archidiaconum secundum facit gradum, ita vt sit proxime sub eius iurisdictione & potestate, & præsit omnibus presbyteris & presbyteralibus officijs cap. 1. isto tit. Sed dices, quare Archipresbyter est minor Archidiacono, & continetur sub eius iurisdictione. Cuius ratio dubitandi est, quia potius deberet esse e contrario, nam Archipresbyter debet esse presbyter, & præsit presbyteris, Archidiaconus vero sufficit quod sit Diaconus, & præsit Diaconis. Respondéo, Archidiaconum, & Archipresbyterum duobus modis posse ad inuicem comparari, vno modo ratione iurisdictionis, & in rebus contentiosis, alio modo ratione ordinis, & in rebus Diuinis seu spiritualibus & animarum. Et primo modo Archidiaconus est maior, & Archipresbyter continetur sub illo. Secundo vero modo e contra se res habet, nam Archipresbyter est maior, & Archidiaconus sub illo continetur, argumento cap. puta. 2. q. 7. & docet glos. verbo, subesse, cap. 1. isto titulo, & hoc modo soluitur ratio dubitandi.

Secunda observatio. Archipresbyter dicitur ab Archos, & presbyter, quasi princeps presbyterorum, qui à quibusdam appellatur Decanus, c. in capite d. 50. & c. ad hæc, de officio Archidiaconi: forte quia olim Archipresbyter solum præsidebat decem presbyteris, vt docet Lexicon iuris, verbo Decanus: quæ admodum in militia Decanus est qui præest decem militibus, & sic accipitur in tit. C. de Decanis, lib. 12. Archipresbyter est vicarius Episcopi, circa diuina, quia illius in spiritualibus curam subleuat, vt colligitur ex ca. officium, isto tit. Qui etiam duplex est scilicet urbanus seu ciuitatensis, & ruralis. Urbanus est qui in vrbe Episcopi vicem sustinet circa diuina quando Episcopus est absens, velleius curam minuit quando est præsens, d. c. officium isto tit. Ruralis est qui plebi præest, & ibi presbyterorum & vulgi sollicitudinem in spiritualibus loco Episcopi gerit, cap. vlt. isto tit. In hoc ergo tit. de vtroque Archipresbytero loquimur, vt patet in omnibus illius capitibus.

Tertia observatio. Archipresbyteri officium est diuidendum quemadmodum ipsum Archipresbyterum diuisimus: erit enim aliud officium Archipresbyteri urbani, & aliud Archipresbyteri ruralis, de quorum priori vide, c. officium, isto tit, & de posteriori vide, c. vlt. etiam istius tit. vbi late ista duo officia continentur, & tam acute vt si vellem hic illa recte proponere esset necessarium illa duo capita ad verbum transcribere, qui certè incredibili molestia legentes afficeret. Postremo tamen nota Archipresbyterum esse eum qui Hispanè dicitur, *Plebano*, vel. *Arcipreste*.

Hic titulus quatuor habet capita, non habetur in Sexto, neque in Clementinis, & de eius materia tractatur in c. perlectis. d. 25. Quod autem de Archipresbytero hic disputatur est. Primò, quod nã sit officium Archipresbyteri ciuitatensis, & secundò quod nã sit officium Archipresbyteri ruralis. Solum vero rubricæ clarus est, nã dicit, de officio Archipresbyteri, id est, quæ ad eius officium spectent siue fuerit ciuitatensis, siue ruralis.

*De officio Primicerij. Tit. XXV.*

**P**rima observatio. Nunc sequitur disputemus de officio primicerij, quia primus est post Archipresbyterum, absente enim ipso Archipresbytero, primicerius est primus in choro & cantu, sic ab Abb. continuatur hæc rubrica. Primicerius tamen multa significat, nam tres habet significationes. Primo significat illum qui primo scriptus est in matricula notariorum, quemadmodum secundicerius, dicitur, qui secundo loco in eadem matricula scriptus est. l. ult. C. de domesticis & protectoribus, lib. 12. Secundò significat illum qui primò portabat cereum in aliquo festo, & erat constitutus in dignitate, glos. in rub. C. de primicerio. lib. 12. Tertio significat generaliter omnem primum in aliquo collegio seu communitate. Vnde D. Augustinus in sermone. 12. Diuum Stephanum appellat primicerium Martyrum, & multi Diuum Petrum Apostolorum primicerium vocant. Quarto denique significat apud Canonistas illum qui in Ecclesia primus est in choro & cantu post

Post Archipresbyterū. Vnde in aliquibus Ecclesijs dicitur cantor, siue præcentor, qui habet sub se succentorem, vulgo, *Sochantre*. c. inter dilectos, de excessib. prælat. ab alijs dicitur etiam *Cabiscolus*, siue magister scholarū. c. 2. de calūniato. In hoc ergo tit. solū accipitur primicerius in quarta significatione.

Secunda obseruatio est, officium primicerij esse primo præsidere docendo diaconis & reliquis inferioribus: secundò disciplinæ & custodiæ eorum insistere: tertio vt diaconis donet lectiones quæ ad nocturna officia clericorum pertinet: quarto, vt de singulis studium habeat, & absque vlla vacet negligentia. c. vnico, isto tit. in quo omnia ista officia continentur: aliqua alia si volueris vide in c. perlectis. distin. 25. Aduertendum tamen, primicerium esse qui Hispanè vocatur *Chantre*, è *Cantor*.

Hic titulus vnicum habet caput: non habetur in Sexto neque in Clementinis, & de eius materia agitur in c. clericos. d. 21. c. perlectis. d. 25. & d. 97. per totum. Quod vero noster tit. disputat de primicerio iam dixi in 2. obseru. Sensus ergo rubricæ facilis est, cum dicat, de officio primicerij, id est, quæ ad eius spectant officium.

*De officio Sacristæ. Tit. XXVI.*

**P**rima obseru. Viso de officio primicerij videndum est de officio Sacristæ. Dicitur autē Sacrista à sacer, sacra, sacrum, & sto, stas, quasi dicamus: Sacrista est sacris stans, qui idem est quod Thesaurarius, ita vocatur in capite perlectis. distinctione, 25. est etiam idem quod Cimiliarcha, &

ita appellatur in l. fin. §. fin. C. de bonis authoritate  
iudicis possidendis. Est ergo sacrista Thesaurarius, si  
ue Cimiliarcha ille qui in Ecclesia (cum sit Archi-  
diacono subiectus) habet curam, & custodiam sa-  
crorum vasorum, & vestimentorum Ecclesiasticorum &  
totius thesauri Ecclesiastici, nec non eorum, quæ ad lu-  
minaria pertinent, siue in cera siue in oleo consistant.

Secunda observatio ex sacristæ definitione, seu  
descriptione colligendum est illius officium: nam  
in ea enumerantur, quæ ad eius officium pertinent,  
præter quæ vide textum in cap. perlectis. dist. 25. vbi  
inter ea quæ ad sacristæ officium spectant, enumeran-  
tur: ordinatio Hostiarum basilicarum, incensi præpa-  
ratio, cura Chrysmatis conficiendi, cura baptisterij or-  
dinandi, & præparatio luminarium tam in sacra-  
rio, quam in sacrificijs. Nota tamen, hunc esse quem  
Hispane vocamus, *Sacristan*, ò *Thesoro*.

Hic titulus vnum habet caput: non habetur in Sex-  
to, neque in Clementinis, & de eius materia agi-  
tur in d. c. perlectis, dist. 25. Quod vero in eo disputa-  
tur de sacrista, iam habetur in superiori observatione.  
Sensus etiam rubricæ facilis est, nam dicit, *De officio  
Sacristæ*, id est, de his quæ ad eius curam seu officium  
spectant.

*De officio Custodis. Tit. XXVII.*

**P**Rima observatio est, agendum esse de officio Cu-  
stodis, postquam egimus de officio Sacristæ, quæ  
custos est, quasi minister sacristæ vt docet Ab-  
bas in



bas in continuatione huius rubricæ. Custos autem duobus modis sumi potest, scilicet, in communi, & in particulari. In communi significat illum qui rem aliquam tuetur, & curat, vt custos ostij, qui curat, ne aliquis ingrediatur domum, custos horti, qui prohibet aliquem in horto damnum facere. Custos viarum, qui vias tuetur, & sic de alijs, vt docet Calepinus in verbo custos. In particulari vero sumitur pro hoc vel illo custode. In hoc ergo titulo non disputatur de custode in communi, sed in particulari, scilicet, de custode rerum sacrarum, quæ in Ecclesia continentur.

Secunda obseruatio. Custos de quo in præsentia agitur secundum Hostientem in Summa isto tit. nu. 1. hac ratione potest definiri. Custos est is, cui ea quæ Ecclesiæ competunt, custodienda committuntur, c. 1. isto tit. Officium autem custodis est primò obedire Archidiacono cui subest: secundò horis Canonicis tintinnabula, iubente Archidiacono, pulsare: tertio, omnia ornamenta, linteamina, & utensilia Ecclesiæ custodire: quarto lampades & lanternas vigilanter incendere, vel extinguere: quinto incensum, & luminaria curare: Sexto panem & vinum ad missam celebrandam habere: septimò denique, omnes oblationes, eleemosynas, & decimas, absente Episcopo, de licentia Archidiaconi inter fratres diuidere. Hic titulus duo habet capita: & licet non habeatur in Sexto, vel Clementinis, habetur tamen in extravagantibus communibus, & de eius materia tractatur in dist. 95. Quod autem de custode in præsentia

disputatur iã exprimi in superiori obseruatione, Sen-  
sus tamen rubricæ erit, *De officio Custodis*, id est, de his  
quæ spectant ad officium illius cui committuntur cu-  
stodienda ea quæ sunt Ecclesiæ.

*De officio vicarij Tit. XXVIII.*

**P**rima obseruatio. Hucusque actum est de his  
qui seruiunt Ecclesiæ nomine proprio, modo  
iam agendum est de his qui seruiunt nomine  
alieno, scilicet, de vicarijs & delegatis. Sic glossa,  
& Host. in præfenti cõtinuant hãc rubricam. Videamus  
ergo quid, & quotuplex sit vicarius. Primum ta-  
men sciendum est vicarij nomen generaliter sum-  
ptum, significare eum qui vicem alicuius gerit, seu  
qui loco alterius substituitur, vt docet Calepinus,  
verbo, vicarius. Sciendũ etiam est, aliter sumi à Legi-  
stis, & aliter à Iuris Canonici interpretibus, vt ex se-  
quentibus apparebit.

Secũda obseruatio: Vicarij in iure civili in tripli-  
ci sunt differẽtia, nam alij sunt quidam iudices ordi-  
narij, qui eligebantur in certum tempus, vt vices or-  
dinariorum videntium & præsentium supplerent,  
& de his habetur titulus. C. de officio vicarij. Alij  
sunt qui appellabatur suffragi, & gerebãt vices mor-  
tuorũ & absentium, qui omnia poterant agere, quæ  
pertinebant ad iurisdictionem, præter vltimum in sup-  
plicium & membri abscissionem, vel. 2. C. de officio  
eius & per totam glossam illius tituli. Alij denique  
sunt qui non dicuntur absolute vicarij, sed serui vic-  
carij, qui sunt serui seruatorum, id est serui aliorũ ser-  
uatorum,

uorum maiorum in familia. l. Seruos. ff. de legatis. 3.  
& hinc ducit originem sanctissima illa consuetudo  
quod Summi Pontifices appellant se vicarios, hoc  
est, seruos serui Diui Petri, qui vocat se seruū Chri-  
sti in suis Canonicis. In hoc tamen tit. de nullo isto-  
rum vicariorum disputatur.

Tertia observatio: Vicarij in Iure Canonico multi-  
plices sunt, de quibus quatuor potuicolligere diui-  
siones, quas omnes proponere placuit, ne aliquid ne-  
cessariū ad huius tit. intelligentiam intactum præter-  
mittamus. Prima est, vicarios alios esse qui seruiūt  
in diuinis quales sunt illi qui à Rectoribus Eccle-  
siarum ponuntur, vt pro ipsis seruiant in Eccle-  
sia, de quibus in præsentititulo disputatur, Alios  
verò qui seruiunt in iurisdictione, qui Hispanè vo-  
cantur, *Prouisores*, de quibus agitur toto isto titu-  
lo, libro sexto. Et sumitur hæc prima diuisio ex no-  
stra rubrica. Secunda est, vicarius, alius est princi-  
palis, qui constituitur ab Episcopo in capite suæ  
diocesis, & alius Foraneus qui constituitur ab Epi-  
scopo in aliquo particulati oppido qui aliter dicitur  
Decanus ruralis. Hæc diuisio habetur in Clemen-  
tina, etiam si principalis, de rescriptis. Tertia est  
vicarius, alius est perpetuus, alius temporalis. Per-  
petuus est qui canonicè constituitur in Ecclesia Par-  
rochiali auctoritate Episcopi, & certam habet por-  
cipere portionem, c. ad hæc, isto tit. Temporalis est,  
qui ad tempus vel ad aliquos actus constituitur,  
de quo in cap. peruenit. l. 2. de appellat. Et hæc  
diuisio habetur in glossa, verbo, perpetuis. Cle-

mentina vnica isto tit. Quarta denique est vicarius, alius est specialis, alius generalis: specialis est, qui ad certum locum, certum articulum vel actum constituitur, de quo & de generali agitur, in capite sua nobis isto titulo. Generalis vero est, qui ad omnia constitutus est, vt vicarius curiæ Episcopalis, qui aliàs vocatur officialis, & quis constituit vnum confessorium cum suo Episcopo appellatur etiam Ordinarius, vt docet Hostiensis in Summa hoc titulo, nu. 2. In hoc tamen titulo principaliter agitur de vicarijs in diuinis, de illis, scilicet, qui habentur in r. diuis. huius obseruationis, vt notat glot. in hac rubr.

Quarta obseruatio: Officiũ vicarij, de quo in præfenti tit. disputatur, & vt ex eod. tit. colligitur est vt deferuiat personis & Ecclesijs, ca. provideas. eodem tit. & vt curam habeat animarum, ideo non dicitur in cap. si vicarium debere esse presbyterum, & si noluerit, compellendũ, per subtractionem prouentuum vel ipsarum vicariarum. *de iurisdictioe sup. tit. 1.*

Hic titulus habet sex capita. Habetur in Sexto, & Clementinis, & de eius materia agitur, capite in noua. 16. quæst. 7. & capite finali. dist. 94. & capite 1. distinctione. 94. Quod vero de vicario hinc disputatur explicauimus iam in superiori obseruatione: præter quæ etiam dicitur, quòd nullus potest habere plures vicarios, neque vnus vicarius alium substituere, & denique quòd vicarius ab Episcopo constitutus, non potest ab alio inferiori remoueri, & quòd vicarius Papæ non habet iurisdictionem extra urbem. Sensus denique nostræ rubr. facilis est, scilicet;

*De officio vicarij, idest de officio eius qui in diuinis vicem alterius gerit.*

*De officio & Potestate Iudicis Delegati.*

*Tit. XXXIX.*

**P**rima obseruatio, viso de his qui gerunt vices alienas in diuinis officijs, & iurisdictione voluntaria, videndum est de his qui gerunt vices alterius in iudicijs, & iurisdictione contentiosa, & quia delegatus (saltem Papæ) est maior quolibet ordinario, vt habetur in capite. sanè, el legundo isto titulo, ideo videndum est de officio delegati, ponitur que rubrica solum, *de officio & potestate iudicis delegati*, quanuis etiam de subdelegato, & de Arbitris, & de assessoribus aliqua disputentur. In cuius expositionem de tribus agendum erit, scilicet, de officio, de potestate, & de iudice delegato.

Secunda obseruatio. Ad intelligentiam illorum duorum verborum, scilicet officij, & potestatis obseruatũ est hoc nomẽ officij, vt dixi supra de officio Archidiaconi obseruatio. 2. significare id quod aliquis facere debet, quod diuisum fuit in officijũ habitũ, quod est illa potẽtia qua aliquis facit id quod facere debet, & officijũ actu, quod est actus, seu exercitiũ faciẽdi id, quod quis facere debet. Ex quibus breuiter dico, quod quãdo in rub. ista dicitur de officio, & potestate, nomine officij debemus intelligere officijũ in actu, & nomine potestatis officijũ in habitu: quasi dicamus, de officio, & potestate, idest de exercitiõ iurisdictionis datæ ipsi delegato, & de potestate

seu imperio sibi dato ad exercendam talem iurisdictionem. Et certe in iudice delegato hæc duo dantur, scilicet, potentia ad exercendam iurisdictionem quam imperium vel potestatem appellauimus, in titulo de electione, & electi potestate obseruatione. 3. & exercitium iurisdictionis. Quare, vt intelligeremus de his duobus in hoc titulo, disputari ponitur rubrica sub his verbis. *De officio & potestate iudicis delegati.* Sed quamuis iste modus dicendi verus sit, & tot doctorum, vt difficile esset illos recensere alium non multum dissimilem libuit proponere breuitatis gratia, & est huiusmodi. In iudice delegato duo multum inter se diuersa possumus considerare, alterum est quid ipse debeat facere, & alterum quid possit facere: nam sæpe contingit, vt aliquis iudex, vnum possit facere, & aliud debeat facere, aliquando enim non omne, quod licet honestum est. Ex quibus duobus primum illorum, officium dicitur, & secundum potentia appellatur, vt igitur intelligeremus, in hoc titulo de vtroque disputari, dicitur in nostra rubrica, de officio, & potestate iudicis delegati.

Tertia obseruatio. Hoc verbum delegare duobus modis sumitur, scilicet, proprie, & minus proprie: proprie significat debitorem dare suo creditori alium debitorem qui pro se soluat, seu, vt clarius loquar est alium pro se debitorem dare. l. delegare, & l. si tilius. ff. de nouationibus, quod vulgo mercator: salsignare dicunt, & sic delegatus erit ille debitor qui ponitur loco prioris debitoris. Minus proprie vè-

ro significat superiorem iudicem constituere, & ponere aliū iudicem, qui loco ipsius iurisdictionem administret, vt. l. 1. in fine. ff. de damno infecto, & l. 4. §. fin. ff. de officio eius, & sic delegatus erit iudex qui ab alio iudice loco ipsius ponitur ad ius dicendum aliquibus. In hoc ergo tit. non accipitur delegatus in prima significatione, sed in secunda.

Quarta obseruatio. Iudex delegatus in decretalibus, & Codice semper delegatus appellatur: in Pandectis vero appellatur iudex, cui mandata est iurisdictione, vt patet toto titulo. ff. de officio eius cui mandata est iurisdictione, & denique in glossa magna versic. & multi sunt iudices in Clementina prima de appellationibus, & in multis alijs locis Iudex extraordinarius appellatur. De eo tamen quocunque appelletur nomine tres tradit. definitiones dict. glossa in dict. Clementina prima de appellationibus. Prima est Godofredi quæ est huiusmodi delegatus est is, cui à Papa vel ab alio ordinario seu Principis delegato causa dicenda, & cognoscenda committitur. Secunda est delegatus est cui committitur causa decidenda seu exequenda vices alterius representans, proprium in iurisdictione nihil habens, & hæc est in Hostiens. in summa in titulo, numero 1. Tertia est Speculatoris. ff. de officio eius in principio quæ ita se habet, delegatus est qui ex commissione alterius alicuius causæ iudicialem cognitionem consequitur. Ex his ergo definitionibus elige quam malueris: nam omnes optimæ sunt. Sed dices, quid est iudex sub dele-

dele-

delegatus. Respondeo. Iudicem subdelegatum esse delegatum delegati idest, Iudicem delegatum ab eo qui etiam est delegatus, & ideo dici subdelegatum. De quo non constituitur distinctus titulus quia idē fere ius est de ipso atque de delegato, quare de ipso in hoc tit. disputatur, vt patet, cap. si pro debilitate, cap. cum te consulente. cap. cum causa, & cap. super questionum cum omnibus suis paragraphis.

Quinta obseruatio Videamus, quodnam sit officium ipsius delegati: & breuiter dico eius officium nihil aliud esse quam diligenter obseruare formam mandati, & secundum eius tenorem procedere. l. diligenter. ff. mandati, & cap. cum dilecta de rescriptis. Et ratio est manifesta, nam ipse nullum habet officium, nisi quod in mandato seu rescripto committitur, & ita ex tenore mandati colligitur officium, vt patet per totum titulum. Ex quo fit, vt nullus ei parere teneatur nisi ostenso mandato. c. cum in iure in fra isto tit.

Hic titulus, cōtinet. 43. capita, habetur in 6 & Clementinis, & extrauagantibus communibus: de eius materia disputatur. cap. quia sunt. dist. 28 & cap. quorundam. dist. 74 & cap. 1. & 2. dist. 94 & cap. igitur. 15 quæst. 2. Quod in præsentis titulo, de ipso delegato disputatur est primo, & præcipue videre quænam sit potestas, & iurisdictio delegatorum, & subdelegatorum Secundo de literis seu rescriptis quæ ad ipsos impetrantur, & earum clausulis. Tertio quomodo expiret delegatorum iurisdictio, & quando transeat ad successorem. Quarto quid iuris sit, & quomodo



do valeat sententia ipsorum quando in vno negotio plures fuerint constituti. Et denique alia multa quæ ipsorum delegatorum concernunt iurisdictionem. Sensus huius rubri est. *De officio, & potestate iudicis delegati*, idest de potentia tam in actu quam in habitu illius iudicis, qui ex commissione alterius, alicuius causæ cognitionem iudiciale[m] consequitur.

*De officio Legati. Tit. XXX.*

**P**rima obseruatio. Quia incepta est disputatio de iudicibus qui superiorum vices gerunt, & egimus de delegato, qui primus est, vt diximus in superiori rubrica: ideo disputare debemus de legato cuius officium in aliquibus simile est officio delegati, vnde inscribitur rubrica, *de officio legati*. Aduertendum tamen est aliud esse legatum, & aliud legatus (quod pro tyronibus dico, & nihil mirum, nam si aduertas totum opus pro tyronibus est) legatum enim est donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præstanda. s. legatum inst. de legatis, de quibus habetur vnus titulus in institutionibus, & tres in digestis. Legatus vero est homo missus à superiore, vt à Principe ad ius dicendum vel ad aliquid exercendum in aliqua prouincia, vt patet toto isto tit. Hic ergo non disputamus de legatis primo modo sumptis, sed de legatis, secundo modo acceptis.

Secunda obseruatio, est alios esse legatos de quibus in Iure Ciuili, alios de quibus in Iure Canonico disputatur: nam legati de quibus Ius Ciuile agit: alij erant

erāt qui mittebātur ab Imperatore ad regēdas suas prouincias, qui præfides seu legati Cæsaris appellabantur, vt in l. i. & l. legatus. ff. de officio præfidis. Alij erant qui mittebantur a populo etiam ad suarum prouinciarum gubernationem, quos populus ex senatoribus, & consularibus sorte eligebat, vt explicat Tiraquellus de iure primogenitorum. q. 17. opin. i. nu. 65 & de his loquitur tex. in l. obseruare. §. post hæc, & in l. solet §. legatos. ff. de officio proconsulis, qui vocabantur legati consulares, non quia essent consules, sed quia ornabantur insignijs consularibus. Alij erant legati prouinciales qui à Prouincijs Romā mittebantur, vt l. tutor. in fine. ff. de iureiurādo. Alij denique erant legati proconsulis quibus pro consul post ingressum suę prouincię determinatam assignabat iurisdictionem. l. aliquando. ff. de officio proconsulis.

Tertia obseruatio. Legati de quibus Ius Canonicum disputat, in duplici sunt differentia, alij enim sunt quidam Nuntij, & non iudices, quos Papa mittit ad aliquod nudum ministerium exercendum, de quibus in cap. ius gentium dist. i. & ca. nobilissimus d. 97. Alij vero sunt iudices ordinarij, quos Papa constituit in certa prouincia. In hoc ergo titulo solū disputamus de legatis hoc secundo modo, vt ex omnibus tituli capitibus apparet: qui etiam sunt in triplici differentia, vt sequenti obseruatione dicemus.

Quarta obseruatio, legatum de quo in præsentibus disputamus, & de quo omnes communiter loquuntur sic diffiniri potest, legatus est iudex missus ab

Apostolo.

Apostolica Sede cui aliqua Prouincia vel terra re-  
gēda committitur in spiritualibus, & Ecclesiasticis.  
Qui triplex est, scilicet, legatus de latere, legatus na-  
tus, & legatus missus. Legatus à latere, est quilibet  
Cardinalis si legatus constituitur: nam cum Cardi-  
nales sedeant ad latus Papæ si fiant legati, accommo-  
dato nomine dicentur legati de latere quasi assump-  
ti de latere Papæ ad legationem, de quibus capite. i.  
libro. 6. isto titulo, & capite. fundamenta de electio-  
ne eod. libro. 6. Legatus natus est qui simul atque  
promotus est ad aliquam Ecclesiam ipso iurē est le-  
gatus in sua prouincia, vt Archiepiscopus Ebor-  
censis in Anglia, de quo est tex. in capite. accepta de  
restitutione spoliatorum. Et Archiepiscopus Can-  
uariensis etiam in Anglia, de quo in capite. i. isto ti-  
tulo. Et Archiepiscopus Remensis in Gallia de  
quo in cap. cum Bertoldus de reiudicata. Et Archie-  
piscopus Pisanus in Italia, vt docet Innocentius in  
c. volentes isto. tit. Et Archiepiscopus Nicosiniensis  
in Regno. Cypri. Et denique Archiepiscopus Nes-  
nensis in Regno Poloniae. Legatus denique Missus  
est, qui neque est Cardinalis, neque legatus Natus,  
qui alio nomine vocatur Nuntius Sedis Apostolicæ  
de quo agitur in cap. volentes isto. titu. qualis est is  
quem habemus Madriti.

Hic titulus, habet. 10. capita, habetur in. 6. non  
vero in Clementinis, & de eius materia disputatur,  
distinct. 94. & 97. per totum, & capite. quanto, distin.  
63. & cap. peruenit. 11. questione. 1. cap. in primis. 2.  
quæst. 1. cap. in nouo, dist. 21. & cap. hoc quippe. 3. q. 6.

Quod

Quod vero in presenti de legato dicitur est, quam potentiam, officium, seu iurisdictionem habeat, & quando illa finiatur, & alia similia. Sensus tamen rubricæ est, *De officio legati*, id est de potentia seu iurisdictione iudicis ordinarij missi à Sede Apostolica ad aliquam prouinciam in spiritualibus, & Ecclesiasticis gubernandam.

*De Officio iudicis Ordinarij. Tit. XXXI.*

**P**rima obseruatio. Quoniam vidimus supra de officio legati, qui est quidam particularis iudex ordinarius, propterea in hoc tit. videndum est de officio iudicis ordinarij in genere seu in cõmuni, ideoque rubrica absolute dicit de officio ordinarij. Qui potest hac ratione diffiniri. Iudex ordinarius est qui vices proprias repræsentans exercet iurisdictionem datam à lege, Principe, consuetudine, vel communitate, quæ diffinitio ex se manifesta est, & per quam satis apertè distinguitur Iudex ordinarius à delegato, qui proprias vices non repræsentat sed vicem alterius gerit, vt dixi supra tit. de officio, & potestate iudicis delegati.

Secunda obseruatio. Iudex ordinarius à quatuor constitui potest, vt colligitur ex sua diffinitione, scilicet à Principe, vniuersitate, consuetudine, & lege: à Principe, vt à Papa. cap. 1. de officio legati. vbi ipse iudicem legatum cõstituit. Ab vniuersitate, vt cum vniuersitas canonicorum eligit sibi Priorem, vt in c. cum in Ecclesijs de maioriore, & obedientia. A consuetudine.

suetudine, vt quando ex ipsa consuetudine primates habent aliquid præcæteris Episcopis, nam in eo ex consuetudine sunt iudices ordinarij, ca. conquestus. 9. q. 3. & c. duo simul isto. tit. Denique à lege, vt quando virtute alicuius legis alicui competit iurisdictionis, vt. l. & quia. ff. de iurisdictione omnium iudicum. In hoc ergo tit. agitur de iudice Ordinario in distincte sumpto, & non considerando à quo sit constitutus.

Tertia obseruatio. Quoniam in hoc. tit. agitur de ordinario in communi enumerandi sunt hic omnes iudices ordinarij, suo ordine. Primus ergo illorū est Papa, c. per principalē. 9. q. 3. qui dicitur ordinarius ordinariorum. Secundus est legatus respectu prouinciae sibi cōmissae, quia in ea vices habet Papæ. Tertius est primas seu Patriarcha qui iudex est Archiepiscoporum, & Episcoporum suffraganeorum. Quartus est Archiepiscopus qui iudex est suffraganeorum suae prouinciae. Quintus est Episcopus qui iudex est Abbatum, Archidiaconorum, Archipresbyterorum, priorum, & Clericorum suae diæcesis. Sextus est Archidiaconus qui iudex est Archipresbyterorum. Septimus est Archipresbyter qui iudex est presbyterorum. Denique possunt præter istos connumerari Abbates officiales Episcopi, & si qui sunt alij prælati Ecclesie Collegiatae, vt docet glo. verbo loci. c. quāquam de vsuris lib. 6. Inter quos semper maior supplet inferioris negligentiā capite, quāto infra isto. ti. & à minori ad maiorē gradatim appellatur. ca. duo simul etiam isto tit. In hoc ergo. titu. de aliquibus istorum ordinario-

nariorum disputatur præsertim tamen de Episcopis.  
 Quarta obseruatio. Quinque sunt genera perso-  
 narum quæ fieri iudices ordinarij prohibentur pri-  
 mo enim prohibentur serui. l. quod attinet. ff. de reg.  
 iur. Secundo foemina. c. mulier. 33. q. vlt. nisi sit Re-  
 gina vel comitissa, vel habeat administrationem, vt  
 Abbatisa. c. dilecta de maiestate, & obediētia. Ter-  
 tio minores viginti annorum nisi fiat à Principe,  
 nam tunc idoneus censetur cuiuscunque sit ætatis.  
 1. disputari. C. de crimine sacrilegij. Quarto ignari,  
 & improvidi. c. cū R. Canonici de officio, & pote-  
 state: Quinto denique illi qui fama laxi sunt. cap. in  
 fames. 3. q. 7. vt excommunicatus. Schismaticus, vel  
 hæreticus. c. qui sedem infra isto titu. c. audiuius.  
 24. q. 1. & c. excommunicamus. de hæreticis.

Quinta obseruatio est, officium ordinarij esse va-  
 rium ac multiplex, quemadmodū sunt varij ac mul-  
 tiplices Iudices ordinarij, quod hic proponere non  
 possumus, tum quia esset tempus immensum conlu-  
 mere, tum etiam, quia quando disputauimus de ali-  
 quibus iudicibus ordinarijs in particulari, etiam dis-  
 putatum fuit de eorum officijs. Nihilominus tamen  
 poteris legere Hostiens. in summa isto. titu. §. quid  
 pertinet.

Hic titulus, continet. 20. capita: habetur in 6. &  
 Clementinis, & in extrauagantibus communibus.  
 & de eius materia agitur. 3. q. 7. & 9. q. 3. & 10. q. 1. 2.  
 & 3. & 18. q. 2. per totum, & c. incerta. 30. q. vlt. & ca.  
 quia suscepti. 3. q. 5. Quod vero in hoc tit. disputatur  
 est videre de ordinariorum potentia, & officio, &  
 quomo-

quomodo inferiorum supplicent negligentiam. Sen-  
sus vero rubricæ erit, *de officio iudicis ordinarij*, id est de  
potentia, & iurisdictione illius iudicis qui proprias  
vices representans exercet iurisdictionem datam à  
lege Principe, consuetudine, vel communitate.

*De officio iudicis. Tit. XXXII.*

**P**rima observatio. Quoniam egimus in particula  
ri, & in specie de officio iudicis ordinarij, & de-  
legati agendum est iam de officio generali, &  
cõmuni delegato, & ordinario, & ideo rubrica abso-  
lute ponitur, *de officio iudicis*, neq; delegatũ neq; ordi-  
narium exprimendo, ex eo quia officium de quo tra-  
ctat commune est vtrique, vt patet in nigro.

Secunda observatio. Iudex dicitur à ius dicere,  
quasi dicamus iudex, est ius discens, seu iuste iudi-  
cans. Diffiniri tamen poterit hac ratione. Iudex est  
qui ex iurisdictione propria aut delegata ius habet  
cognoscendi super causas litigiorum vel litigantiũ.  
Potest etiam alio modo diffiniri, vt docet Medicus.  
2. p. c. 18, n. 32. Iudex est vir bonus iuris dicendi, &  
æquitatis statuendæ peritus, ad id muneris publica  
auctoritate vocatus.

Tertia observatio. Variæ sunt iudicum diuisio-  
nes. Prima est, iudex, alius est ordinarius, alius de-  
legatus, & hi sunt multiplices de quibus iam su-  
pradictum est. Secunda est, iudex alius est compe-  
tens, alius incompetens: competens est qui causæ iu-  
risdictionem habet cum exercitio, etiam si possit per  
exceptionem elidi. Incompetens est iudex nõ suus, id est

qui nō est iudex rei vel personæ iudicādē. Tertia est iudex alius est cōpromissarius, alius nō. Cōpromissarius qui etiā dicitur Arbitrator est ille qui ex cōpromisso id est ex consensu partiū, & litigantium electione de causa cognoscit, & nullam habet iurisdictionem nec propriā nec delegatā. l. i. ff. de arbitris. Non cōpromissarius est qui habet iurisdictionē vel propriā vel delegatā. Quarta est iudex, alius est Cartularius, alius non cartularius. Cartularius erat olim ille iudex qui ab Imperatore priuilegiatus erat, vt qui vellet corā eo litigare possent, sed ipse non poterat cogere aliquem ad litigandum coram se, qui dicuntur hodie iudices ordinarij creati à comite Palatino, vt docet glossa magna in Clementina. i. de appellationibus versi. & olim. Nō cartularius erat omnis alius iudex cui nō eo modo dabatur iurisdictione. Quinta est, iudex alius est Pedaneus, alius non Pedaneus, Pedaneus est qui de minutis, & infimis causis cognoscere potest licet sit ordinarius. Nō Pedaneus est qui de maioribus cognoscit. Ultima deniq; diuisio, est iudex alius est à quo: & alius ad quem: de quibus dicam in tit. de appellationibus.

Quarta observatio est, officium iudicis inter alia esse dare advocatum parti quando ipsa illum habere non potest, quo casu etiam domesticum dare poterit. c. i. isto titu. & etiam quod fiat litis contestatio siue illa fuerit necessaria quādo imploratur officium iudicis nobile, siue quando imploratur mercenariū cap. 2. isto titulo. Est autem officium nobile quando neque iure actionis neque iure obligationis, sed



à se ipso iudex interponit suam authoritatem siue i d fiat motu proprio siue parte petente, vt quando pupillus misericorditer implorat beneficium restitutionis in integrum, tunc iudex interponit suum officium nobile, quia tali casu neque iudex est obligatus, neque ibi est aliqua actio. Officium vero mercenarium est, quod deseruit actioni intentatæ, vt si peto à te decem ratione mutui, iudicis officium, quod deseruit mihi condemnando aduersarium meum, est officium mercenarium.

Hic titulus, duo continet capita, & neque habetur in.6. neque in Clementinis, & de eius materia agitur.c.infames.3.q.7. Quod de iudicis officio in isto tit. dicitur, iam habetur in quarta obseruatione. Sensus vero rubricæ est, *De officio iudicis*, idest de his quæ ad cuiuscunque iudicis officium spectant.

*De maiestate, & obedientia. Tit. XXXIII.*

**P**rima obseruatio. Quoniam ex prælatis Magistratibus seu iudicibus de quibus supra disputauimus, alij sunt maiores, & alij minores: & maioribus obedientia debetur tam à nobis quam ab alijs inferioribus iudicibus: ideo in præsentì videntur est de eorù maiestate, & de obedientia illis debita: proindeque ponitur rubrica de maiestate, & obedientia, idest de maiestate seu excellentia illorù iudicù seu prælatorù, & de obedientia illis exhibenda ab inferioribus: nã maxime necessarium est in Ecclesia militante maiestatem, & obedientiam reperiri, vt & ordo maiorum, & minorum reperiatur quæadmo

dum in triumphante, vt probatur in ca. ad hoc. d. 89.  
 Secunda obseruatio. Notandum est maioritatem  
 esse excellentiam vnius personæ vel rei circa aliam  
 personam vel rem: quæ quinque modis contingit,  
 vt docet Ab. capite. statuumus notabili. 2. Nam alia  
 est maioritas ordinis, de qua in d. c. statuumus isto ti-  
 tu. secundum quam Episcopus est maior presbytero pres-  
 byter diacono: diaconus subdiacono: subdiaconus  
 Acolito: Acoliticus Exorcista: Exorcista Lectori, Le-  
 ctor Ostiario, & Ostiarius Tonsurato. Alia est ma-  
 ioritas dignitatis, vt ea dudum, de electione secun-  
 dum quam Archidiaconus est maior Archipresbyte-  
 ro, & Canonista est maior legista, vt docet Aretinus  
 in capite, clerici, de iudicijs. Alia est maioritas anti-  
 quitatis seu senectutis. l. semper. ff. de iure ita muni-  
 citatis, secundum quam scholasticus antiqui habent ius  
 petendi Patentem, & faciendi conuicia seu dandi  
 matrâcas scholasticis nouioribus, & secundum hanc  
 etiam procedit regula, qui prior est tempore potior  
 est iure cap. qui prior de reg. iur. lib. 6. Alia est maio-  
 ritas prælationis vel administrationis seu iurisdictio-  
 nis, vt in capi. transmissam, de electione secundum  
 quam Papa est maior legato, legatus primatice seu Pa-  
 triarcha Patriarcha Archiepiscopo, Archiepiscopus  
 Episcopo & Episcopus suis inferioribus. Alia deni-  
 que est maioritas consecrationis, vt in ca. aqua de con-  
 secratione Ecclesiæ vel altaris, secundum quam Epis-  
 copus consecratus est maior Episcopo solum electo,  
 & Ecclesia consecrata est maior Ecclesia solum be-  
 nedicta.

Tertia observatio. Obedientia est subiectio à mi-  
nori, maiori præstanda in præcepto, & reuerentia, &  
iudicio consistens. Ex qua diffinitione colligitur  
obedientiam dependere à maiestate, ex eo enim,  
quòd aliquis maior est debetur ei obedientia in præ-  
cepto, & reuerentia, & iudicio consistens, nam de-  
bet minor parere iustis præceptis ipsius reuerentia-  
re, & colere eum, & denique iudicio, & consilio  
eius stare. Hic tamen breuiter aduertendum est  
quod quanuis ista rubrica, dicat de maiestate, &  
obedientia in abstracto, nihilominus tamen dis-  
putat etiam de personis maioribus quæ sunt obe-  
diendæ, & de his quæ debent obedire, & de pœnis  
imponendis quando fuerint inobedientes.

Hic titulus, habet. 17. capita; habetur in sexto,  
& extrauagantibus, communibus, & Ioannis. 22.  
licet enim habeantur in Clementinis; de eius ma-  
teria agitur distinctione. 21. 22. 93. 96. 99. per totum,  
& in multis alijs locis. Quod in hoc titulo, dispu-  
tatur de maiestate, & obedientia est agere de obe-  
dientibus, & inobedientibus, & eorum pœnis, &  
eui teneantur obedire, & quod secularis potestas est  
inferior, & tenetur obedire Ecclesiasticæ. Sensus Ru-  
bricæ est, *De maiestate, & obedientia*, id est de excellen-  
tia, & superioritate maiorum in ordine ad in-  
feriores, & de obedientia inferio-  
rum in ordine ad ma-  
iores.

## De treuga, &amp; Pace. Tit. XXXIII.

**P**Rima obseruatio. Quoniã maiores, quibus obediendum esse diximus in tit. superiori rixas inferiorum debent componere. capite. 1. & per totum, dist. 90. ideo agendum est de treuga, & pace quoniam his mediantibus rixas componunt, & omnes quæstiones ad concordiam reuocant, eritque videndum quid sit pax, & quid & quotuplex sit treuga.

Secunda obseruatio. Treuga (quæ apud bonos auctores induciæ solet appellari) est securitas ad res & personis præstita discordia nondum finita: sic diffinit glossa ver. treugas. c. 1. isto. tit. Medices. 2. p. de diffinitionibus. ca. 35. nu. 3. & lexicon iuris in verbo treuga: quæ diffinitio optima est licet alij aliter diffiniant, dicendo, treugam esse quasi quandam pacem ad tempus factam, quæ certe non est tam accurata diffinitio sicut prior, nam ista solum est quædam descriptio fundata in similitudine quæ reperitur inter treugam, & pacem, scilicet, quod sicut pax est cessatio belli, ita etiam treuga. Præterea treuga duplex est, alia conventionalis, & alia Canonica. Conventionalis est quæ ex conventionem partium recipit formam, quemadmodum quilibet contractus. l. contractus. ff. de reg. iur. Canonica est quæ per canones statuta est, ut colligitur ex toto isto titulo, qualis est, quod diebus dominicis non fiat pugna. In hoc ergo titulo non agitur de treuga conventionali, sed de Canonica, quæ quia statuenda est

est super tempus belli discordia nondum finita, ut dicitur in definitione: idem explicat iste titulus, inter quas personas vel res, & quibus diebus (dum bellum geritur) sit à Iure Canonico statuta treuga, & qua pœna puniantur treugam frangentes, ut patet in duobus tituli capitibus.

Tertia observatio: Pax sic diffinitur: Pax est vinculum amicitiae & concordiae, cap. noui. de iudicijs, quæ definitio sane accurata est, licet alij, ut Medices d. 2. p. c. 35. n. 1. diffiniant pacem hac ratione. Pax est finis discordiae, quam defendit idem Medices, d. n. 1. Sed his omiſſis in præſenti duo obiter videnda sunt, alterum est, quisnam sit effectus treugæ & pacis: & alterum qua pœna puniantur treugam & pacem frangentes. Et ad primum dico, effectum treugæ & pacis esse tuitionem & securitatem rerum & personarum, ut patet in cap. 2. isto tit. Ad secundum vero respondeo, pœnam frangentium treugam & pacem de Iure Canonico esse excommunicationem, qua feriuntur, nisi post trinam monitionem satisfecerint damno propter fractionem illato, ca. 1. isto tit. at vero de iure Ciuili esse pœnam capitis. l. si. in si. ff. de re militari.

Hic titulus duo habet capita, & solum habetur in Extrauagantibus communibus, & de eius materia agitur in dist. 90. per totum. & cap. si quis romipetas, & c. illi. 24. q. 1. Quod autem in præſenti disputatur, iam habetur in superiori obseruatione. Sensus vero rubricæ est, *De treuga*, id est, de securitate rerum & personarum, discordia nondum finita, & *De pace*, id est.

de vinculo amicitie, & de fine discordie, & de pæ-  
nis eorum qui pacem & treugam frangunt.

*De pæctis. Tit. XXV.*

**P**rima observatio. Præmissis tractatu de treuga  
& pace, agendum est de pæctis, quoniam per  
pactum treuga firmatur, & pax reformatur, ut  
docet Hostiensis in summa, isto tit. in prin. Præterea  
quia agendum est de iudicijs, & vocati ad iudicia,  
quandoque paciscuntur, qui transgunt, ideo an-  
te tractatum de iudicijs agendum est de pæctis, &  
transactionibus: prius tamen de pæctis, quia pactum  
est quid generalius transactione, ut infra dicemus.

Secunda observatio: Pactum dicitur à patione,  
seu à pace, & actu, nam post quæstiones & certami-  
na ad pacis actum veniunt paciscentes per pactum,  
l. 1. §. conventiones, ff. de pæctis, & l. si voluntate. C.  
de rescindenda venditione. Vel dicitur pactum à per-  
cussione palmarum, nam veteres, quædo paciscebân-  
tur, ad invicem percutiebant sibi palmas in signum  
fidei nō violandæ. Unde legitur in Genesi. 21. quod  
Abraham & Abimelech percusserunt iædus.

Tertia observatio. Multæ sunt pacti definitiones,  
quarum tres tradit Medicus. 2. p. de definitionibus,  
cap. 46. num. 1. 8. & 11. Prima est: pactum est duorum  
pluriumvè, in idem placitum consensus, l. 1. ff. de  
pæctis. Secunda: pactum est duorum consensus atq;  
que conuentio, l. pactum, ff. de pollicitationibus.  
Tertia denique, quam ipse dicit esse secundum Ca-  
nones, est huiusmodi: pactum est inter partes ex pæ-  
ce con-

re eōueniens scriptura legibus ac moribus compro-  
 bata. Sed his omīssis proponamus & explicemus dif-  
 finitionem quam tradit Hostiensis in Summa, isto ti-  
 tulo, num. 1. Pactum est consensus duorum vel plu-  
 rium in idem dandum vel faciendum alteri ab alte-  
 ro verbis expressus animo obligandi. In qua defini-  
 tione dicitur, pactum esse cōsensu duorum vel plu-  
 rium, vt distinguatur à pollicitatione, quæ est vnus  
 promissio, l. pactum, ff. de pollicitationibus. Dicitur  
 in idem dandum vel faciendum, quia si duo consen-  
 tiant in hac veritate, quòd homo est animal rationa-  
 le, vel quòd Deus est Trinus & vnus, non erit pa-  
 ctum. Dicitur alteri ab altero, quia si tu & ego pacif-  
 camur, quòd Ticius dabit Seio centum, non valet pa-  
 ctum. Dicitur, verbis expressus, quia non sufficit ge-  
 nere mente, nisi exprimatut ore, l. quid, ff. de verbo-  
 rum obligationibus. Deniquè dicitur, animo obligā-  
 di, quia si causa doctrine aliquis pactum proponeret  
 non esset pactum. l. obligationum substantia, ff. de  
 actionib. & obligationib.

Quarta obseruatio: Explicandæ sunt in præsep-  
 ti quædam voces ad pacti naturam intelligen-  
 dam necessariæ, quæ sunt conuentio, promissio,  
 pactum, transactio, & pollicitatio. Conuentio est  
 nomen generalissimum, quod adaptatur ad om-  
 nia illa, quæ contrahentes inter se conueniunt,  
 l. prima, paragrapho, conuentionis, & l. con-  
 uentionum, ff. de pactis. Promissio est quid  
 inferius conuentione, sed vniuersalius pacto,  
 nam promissio comprehendit pactum, & stipula-  
 tionem

tionem, & pollicitationem, l. sciendum, §. dictum.  
 ff. de ædilitio edicto Pactum vt diximus est consen-  
 sus plurium in idem dandum vel faciendum. l. 1. ff.  
 de pactis, & comprehendit omnem contractum vt  
 docet Abbas cap. 1. isto tit. num. 4. Transactio est pa-  
 ctio non gratuita de re dubia, & lite incerta. l. 1. ff.  
 de transactionib. sed de ipso titulo sequenti disputa-  
 bitur, pollicitatio deniq; est solius offerētis promif-  
 fio. l. pactum. ff. de pollicitationibus.

Quinta obseruatio. Multæ sunt pactorum diuisio-  
 nes: nam primò pacta alia sunt utilia, alia inutilia.  
 Item alia pariunt actionem, alia perimunt actionē,  
 alia elidunt actionem, alia denique eandem infor-  
 mant. Item alia sunt nominata, alia innominata.  
 Item quædam sunt expressa, quædam tacita. Item  
 alia inter præsentēs, alia inter absentes. Item alia  
 sunt pura, alia in diem, alia sub cōditione. Item quæ-  
 dam publica, sunt, quædam verò priuata. Item  
 quædam sunt in rem, quædam in personam. Itē, alia  
 sunt in dando, alia in faciendo. Item alia contra le-  
 ges, alia secundum leges, & alia præter leges. Item  
 alia sunt certa, alia obscura, leu ambigua. Item alia  
 fiunt in continenti, alia ex interuallo. Et denique  
 alia sunt mala quæ sunt simplices conuentiones, &  
 alia vestita quæ præter simplicem conuentionem or-  
 nantur, seu vestiuntur vndecim modis, scilicet, re,  
 verbis, consensu, contractus coherentia, literis, rei in-  
 teruentu, rei principio, autoritate legis, solutione, fi-  
 ne rei, & iuramento, de quibus disputat idem Host.  
 isto tit in Sū. na. §. superest, & glos. verbo quinimo,  
 l. iij.



l. iuris gentium, §. quinimò, ff. de pactis, ubi late omnes isti modi explicantur & citatur textus, unde colliguntur.

Hic titulus habet octo capita, & habetur in Sexto non verò in Clementinis, de eius vero materia agitur, c. in multis. 22. q. 4. Quod vero de pactis in præfenti disputatur est ostendere quæ pacta sint valida, & quæ inualida, præsertim in materia Ecclesiastica. sed sus autem rub. facilis est, *De pactis*, id est, de consensu duorum vel plurium in idem dandum, vel faciendum.

*De transactionibus. Tit. XXXVI.*

**P**rima observatio, Hæc rubrica iam est cõtinuata ex dictis in superiori, nam cum egimus de pactis in genere, vel in communi, agendum est de transactione, quæ est quædam species pacti, nã se habent pactum, & transactio tanquam genus & species, & sic pactum comprehendit transactionem, nã omnis transactio pactum est, non tamẽ omne pactum est transactio. Differunt tamen, quia pactum de quo in superiori titulo disputauimus fit de re certa, & indubitata, transactio vero est de re dubia & incerta, lite nondum finita, vt docet glossa in rubrica, isto titulo, ubi ad ostendendam hanc differentiam, hos duos proponit versus. Incerta de re transactio dicitur esse, sed sunt certè pacta favore rei.

Secunda observatio: Videamus vnde dicatur transactio, dicitur ergo à trans & ago, seu à tras & actio, quia

quia qui transigit, transit, seu recedit ab actione, nã transactio est quasi actionis transitio. Ex qua etymologia facile colligitur, quod si solus actor propriè loquendo est transactor, quia solus ipse transigit transfundo seu recedendo ab actione, nam solus ipse habet actionem, reus vero cum illa non habeat improprie transactor est. l. 1. C. de transactionibus. Est tamen notandum, quod tam actor quam reus amittunt per transactionem omnia iura, actiones, & instrumenta, quæ de re transacta habebant: sed hoc in materia beneficii non procedit, nam super beneficijs Ecclesiasticis omnis transactio sapit simoniam, c. cõstitutus, cap. super, & cap. præterea, isto titulo, neque etiam procedit in matrimoniali, nam super matrimonio transigere non licet, capite ultimo, isto titulo, & cap. penult. de in integrum rest.

Tertia observatio. Dux possunt tradi definitiones transactionis. Prima, quam tradit Abbas in rubrica huius tituli est huiusmodi: Transactio est pactio non gratuita de re dubia, lite incerta, quæ sic explicatur: nam in ea, pactio, seu pactum, est genus, ut iam supra diximus, & aliæ partes habent locum differentia: nam dicitur, non gratuita, quia in transactione semper aliquid datur, vel promittitur, vel retinetur, l. transactio. C. de transactionibus. Dicitur, de re dubia, ut distinguatur à pacto quod est de re certa. Et denique dicitur, lite incerta, quia si post sententiam iustè & indubitanter prolata à qua nõ esset appellatũ, fieret transactio, non valeret, l. eleganter, §. si post rē, ff. de cõd. in deb. & l. post rem, ff. de transact.

transact. Ex quibus manifestè colligitur per transactio-  
nem litigantes finem imponere litibus, effectus enim  
transactionis est finem litibus imponere, cum sit re-  
medium finiendarum litium, tam presentium quam  
futurarum, l. fratris. C. de transactionib. & l. elegan-  
ter. §. si quis. ff. de condict. indebiti. Secunda definitio  
quam tradit Medicus. d. 2. p. c. 47. n. 3. est huiusmodi:  
Transactio est de re dubia, & lite incerta, neque fini-  
ta, non gratuita pactio aliquo dato vel retento, vel  
promisso, vel remisso, seu permissio, quæ definitio pa-  
rum differt à superiori.

Hic tit. habet undecim capita: non habetur in Sex-  
to, neque in Clementinis, & de eius materia disputa-  
tur, §. q. 2. Quod autem de transact. in nostro tit. tracta-  
tur est, quæ transactio valeat, & quæ non, & super  
quibus rebus possit transigi, fere generaliter prohi-  
bendo transactionem in rebus spiritualibus, & eccle-  
siasticis. Sensus vero rubricæ est huiusmodi, De trans-  
actionibus, id est de pactis, factis super re litigiosa in-  
ter ipsos litigantes, vel ante litem, vel saltim ante fi-  
nem litis.

De postulando. Tit. XXXVII.

**P**rima observatio est, quod quia vocati ad iudi-  
cia non semper pacifice utuntur, vel transigunt, sed po-  
tius querunt advocatos vel procuratores, qui pro  
ipsis postulent, idè agendum est de postul. tum etiã, quia  
eum agamus de preparatorijs iudiciorum debemus etiã  
de postulando agere, quod est unum eorum quæ intro-  
ductoria sunt ad iudicia. Est tamen animadvertendum  
postulare duas habere significationes, ut dixi in tit.  
de postu-

de postulatione prælatorum. Prima est, qua significat petere in prælatum illum qui habet aliquod impedimentum, in quo nisi dispenseret, promoveri non potest. Secunda est qua significat proponere desiderium suum in iudicio coram iudice contra aliquam personam. In hoc tamen titulo non sumitur postulare primo modo, sed secundo.

Secunda observatio, Postulare sic diffinitur ab Abbate, isto tit. num. 1 Et Othomano de verbis iuris, verbo, postulare, & habetur l. 1. ff. de postulando, c. in famas, 3. q. 7. & in glos. verbo, postulare, c. ult. isto ti. Postulare est exponere desiderium suum vel amici sui in iudicio apud eum qui iurisdictioni præest, vel alterius desiderio contradicere. Quæ diffinitio in duas partes est diuisa, ad explicandas duas postulationes, scilicet, postulationem actorum in agendo, & reorum in respondendo. Nam illa prima pars, scilicet, *exponere desiderium suum, vel amici sui apud eum, qui iurisdictioni præest*, ponitur pro actore, qui si est principalis actor proponit desiderium suum, si vero est aduocatus, vel procurator, proponit desiderium amici sui. Secunda vero pars, scilicet, *vel alterius desiderio contradicere*, ponitur pro reo, siue contradicat per se, siue per aduocatum vel procuratorem, dummodo id fiat etiam in iudicio coram eo, qui iurisdictioni præest. Vbi aduerte, quod ex eo quod dicitur, in iudicio, colligitur, quod consulens in camera non dicitur aduocatus, vt docet Abbas in hac rub.

Tertia observatio. Videamus qui prohibeantur postulare, & ex l. 1. ff. de postulando, sunt in triplici differen

feren

ferentia: alij enim sunt qui neque pro se, neque pro alijs postulare possunt, vt minor decē & septem annorum, & omnino surdus: alij sunt qui pro se ipsis solum postulare possunt, vt mulier, cæcus, ipso iure infamis, de capitali crimine damnatus, & qui locauit operas suas vt pugnaret cum bestijs in arena. Alij deniquē qui solum pro se & pro certis personis postulare possunt, vt qui per sententiam est infamis, vt omnes illi qui prohibētur postulare per legem senatusconsultum, Plebiscitum, Prætoris edictum, & Principum placitum. Certæ autem personæ pro quibus eis permittitur postulare, sunt hæc, liber, parens, patronus, patronorum defensor, vxor, socer, socrus, nurus, vitricus, nouerca, priuignus, priuigna, pupillus, pupilla, furiosus, furiosa, fatuus, & fatua. Ex quibus collige, qui sunt illi qui postulare possunt, nam omnis qui postulare non prohibetur, postulare potest, cum non postulare sit edictum prohibitorium.

Hic titulus habet tria capita, non habetur in Sexto, vel Clementinis, & de eius materia agitur, 3. quæstione 7. & 15. quæstione, 3. & cap. denique. 14. quæst. 5. & cap. nemo, de consecratione. dist. 1. Quod vero in hoc titulo disputatur est, quomodo clericis, & monachis & Canonicis regularibus prohibeatur, vel permittatur postulare. Sensus autem rubricæ est, de postulando, id est, de exponendo, seu proponendo desiderio coram iudice contra aliquam personam.

De procuratoribus. Tit. XXXVIII.

**P**rima observatio. Agendum est iam de procuratoribus, quiavt diximus in super. rub. illi qui veniunt in iudiciū procuratores constituūt. Et ideo videndum est, vnde dicatur procurator, quid sit, quotuplex sit, & quæ sit differentia inter ipsum, & negotiorum gestorem, syndicum, & economū, Actorem, Defensorem, Commissarium, Vicecomitem, & Vicedominum, proponendo istorum definitiones.

Secunda observatio. Procurator dicitur à dictione pro, & à nomine curator, curatoris, quasi dicimus procurator est quasi pro alio curator, idest, pro domino rerū vel negotiorum, quia loco ipsius procurat res & negotia sua. Diffinitur autem hac ratione ab Abb. in hac rub. & à Medices, 2. p. c. 29. nu. 1. & habetur l. 1. ff. de procur. Procurator est qui aliena negotia mandato domini administrat, siue hoc fiat in iudicio, siue extra iudicium. In qua diffinitione relationem, qui, habet locum generis, & aliæ particule locum differentie, nam dicitur, *aliena negotia*, ad differentiam eorum qui propria administrant, qui non sunt procuratores: nomine tamen negotiorum comprehendimus etiam iudicia. Denique dicitur *mandato domini administrat*, ad differentiam negotiorum gestorū, qui siue mandato administrat negotia aliena. S igitur. instit. de oblig. quæ ex quasi. Duo tamen hic obiter animaduertenda sunt, primum est, quod ille qui est procurator, dicitur etiam defensor, cum hac differentia quod si sumatur ex parte actoris dicitur procurator, & si accipiatur ex parte rei, dicitur defen-

defensor, & ideo hæc rub. in. ff. scribitur, De procuratoribus, & defensoribus. Secundum est, proponendam esse definitionem mandati, quoniam de eo mentionem fecimus in definitione procuratoris. Est ergo mandatum officium honestum gratis susceptum exhibendum ab amico, ut colligitur ex titulo. in. ff. de mandato.

Tertia observatio est, procuratorum duas esse species, nam alij dantur ad iudicia, qui debent esse viginti quinque annorum, c. qui generaliter. §. licet. de procuratoribus. lib. 6. Alij ad negotia extra iudicium qui debent esse decem & septem annorum, eodem §. & titulo, libro. 6. Præterea, procuratores ad negotia, alij sunt ad omnia negotia, qui totorum bonorum procuratores appellantur, l. procurator. 63. ff. de procuratoribus. Alij vero unius negotii, aut aliquorum negotiorum, quibus non universitas negotiorum in mandato committitur, sed unum vel alterum. l. 3. §. 1. ff. iudicatum solui.

Quarta observatio est, proponendas esse definitiones, negotiorum gestoris, Syndici, Œconomi, Actoris, Defensoris, Commissarii, Vicecomitis, & Vice domini, ut facilius naturam procuratoris cognoscamus, & quomodo ab his omnibus differat. Tradit autem has omnes definitiones Medic. d. 2. p. c. 19. per totum. Negotiorum gestor est, qui aliena negotia sine mandato administrat. Syndicus est, is qui constituitur ad agendas causas universitatis, seu defendendas præsentis, & futuras sine decreto Œconomi est, dispensator Ecclesie seu defensor, cui res Ecclesie gubernandæ mandantur. Actor est qui constituitur

ad agendum, seu defendendum causam, vel causas  
 Vniuersitatis præsentes tantum & cum decreto. De-  
 fensor, ut dixi, est idem quod procurator, dummo-  
 do habeat mādaturum, nam sine mandato quicumque  
 qui præsstita cautione de iudicato soluendo aliū de-  
 fendit, poterit dici defensor. Commissarius est ille,  
 cui aliquid gerendum cōmittitur. Vicecomes est il-  
 le, cui dominus temporalis committit executionem  
 iurisdictionis suę in aliquibus castris. Vicedominus  
 denique est qui præsist rebus Episcopalibus.

Hic titulus habet quindecim capita. Habetur in  
 Sexto, & Clementinis, & de eius materia agitur, s.  
 q. 3. per totum, & d. 82. per totum, & c. cum simus. 9.  
 q. 3. & c. infamis. 2. q. 7. Quod autem de materia hu-  
 ius rubricæ in nigro disputatur est, primò, quid iu-  
 ris sit de gestis per procuratorem reuocatum, vel nō  
 habentem mandatum. Secundo disputatur etiam de  
 procuratore in causa matrimoniali. Tertio de Syn-  
 dico aliqua pertractantur. Et denique, an procura-  
 tores possint appellare, vel filius familias possit esse  
 procurator, & alia similia. Sensus verò rubricæ est  
 huiusmodi, *De procuratoribus*, id est, de his qui aliena  
 negotia mandato domini administrant.

*De Syndico. Tit. XXXIX.*

**P**rima obseruatio. Hæc rubrica continuari po-  
 test ad præcedentem, sicut continuatur glossa  
 in præsentem, nam dicit, viso de procuratore qui  
 gerit negotia domini, meritò agendū est de syndico  
 qui



gerit negotia vniuersitatis. Ex qua continuatione infert Abbas in d. rubrica, quod etiam de iure Canonico differentia est inter syndicum & procuratorē, quod etiam colligit ex diuersitate titulorum, nam si non essent diuersæ res, non ponerentur diuersi tituli, neque diuersis nominibus nominarentur, argum. l. si idem Codicilli. C. de codicil. Et differentia est, quod syndicus constituitur ab vniuersitate, procurator verò à domino. l. i. ff. de procuratorib. Vnde inferunt Doctores, quod quoties dicitur in iure, causam vniuersitatis agi per procuratorem debere exponi, id est per syndicum, vt c. quia in causis. de procur. & c. cum causam, de iuram. calumniæ, nam non voces attendendæ sunt, cum de ipsa re constat, s. siquidem in nomine, inst. de legatis.

Secunda obseruatio est, syndicum esse nomē Græcum quod latinè significat defensorem vniuersitatis, l. munerū. s. defensores. ff. de munerib. & honor. nam dicitur syndicus, id est, singulorum causas dicens, quia eius officium est agere vel defendere nomine vniuersitatis, causas ipsius præsentēs, vel emergentes, glos. verbo. generaliter. cap. vnico, isto titulo. Diffinitur autem prout diffiniuimus titulo superiori, scilicet, syndicus est ille, qui constituitur ad agendas causas vniuersitatis, seu defendendas præsentēs & futuras sine decreto, l. i. & l. item eorum, ff. quod cuiusque vniuersitatis. Vniuersitas autem, vt docet Host. isto tit. in Summa, s. quid sit vniuersitas, est collectio plurium corporum rationabiliū vno nomine specialiter eis deputato, quæ vniuersi-

tas, quemadmodum necesse habet habere arcam communem, & aduocatum communem, & alia similia; ita etiam necesse habuit procuratorem, defensores, seu syndicum habere communem.

III. Tertia observatio. Iam constat ex titulo superiori, quomodo syndicus distinguatur à negotiorum gestoribus, actoribus, æconomis, & alijs similibus, nam ibi propositæ fuerunt horum definitiones. Unde solum restat observare, quòd syndicus debet eligi ab vniuersitate, in qua ad minus duæ partes adsint, l. nulli. ff. quod cuiusq; vniuersitatis nomine. & debent nomina eorum scribi in instrumento. l. quoties. C. de legationibus. lib. 10. vt appareat, duas partes fuisse præsentis, & nullum illorum eue excommunicatum.

Hic titulus vnicum habet caput: non habetur in Sexto, neque in Clementinis, neque de eius materia alicubi in Decreto disputatur. Quod autem de syndico dicitur est, quòd religiosi debent habere syndicum, qui causas monasterij defendat, & si oportuerit cõstituto salario. Sensus verò rubricæ erit huiusmodi: *De Syndico*, id est de procuratore vniuersitatis.

*De his quæ vi, metusve causa fiunt. Tit. XL.*

PRIMA observatio. Quoniam visum est supra de his quæ fiunt spontanea voluntate, quæ valent, & tenent irrettractabiliter, l. 1. ff. de pactis: ideo disputandum est de his quæ vi, metusve causa fiunt, id est, de illis rebus quæ non spon-

spontanea voluntate fiunt, sed potius propter vim, & metum. Sed dices, quid ergo disputatur de his rebus quæ vi vel metu fiunt. Respondeo, disputari, an valeant vel non: & si valent, an sint retractanda actione quod metus causa, vel potius irretractabiliter tenenda.

Secunda observatio. Quoniam agimus de ijs quæ fiunt vi, & metu, videndum est, quid & quotuplex sit vis atque metus. Vis ergo sic diffinitur, Est maioris rei impetus, cui resisti non potest, l. 2. ff. quod metus causa. In qua diffinitione dicitur maioris rei impetus, quia minor quatenus minor non potest vim inferre. Et dicitur, cui resisti non potest, vel quia difficile resistitur qualis est vis conditionalis cadens in constantem virum, vel quia nullo modo resisti potest, qualis est omnimoda violentia. De vi autem tres possumus proponere divisiones. Prima est vis, alia est absoluta, & alia conditionalis, absoluta est præcisa violentia, seu violentum simpliciter, vt si quis rapiatur ab aliquibus, & omnino nolens in puteum eijciatur. Conditionalis est, quæ cogit non omnino & simpliciter, sed sub aliqua conditione, vt si quis cogatur, quod se eijciat in puteum, vel soluat centum. In hoc ergo titulo disputatur de his quæ fiunt vi, siue vis fuerit absoluta, vt in capite ultimo, siue fuerit conditionalis vt apparet in alijs tituli capitibus. Secunda diuisio, vis, alia est publica, quæ fit cum armis, & appellatur vis armata, alia priuata, quæ fit sine armis, & ista

appellatur non armata. Vnde est titulus. ff. de vi, & vi armata, id est, de vi sine armis, & de vi cum armis. In hoc ergo titulo loquimur de vi, non considerando, si est armata vel non armata. Tertia diuisio est, vis alia est impulsiva, per quã quis cogitur facere quod aliàs nõ faceret: alia ablatiua per quam ab aliquo auferuntur res mobiles, alia expulsiua, per quam quis eijcitur de possessione sua, alia turbatiua, per quam quis turbatur in sua possessione. Et denique alia inquietatiua per quam quis inquietatur vti re sua. Et contra has omnes datur interdicta seu actiones, quibus vtuntur vim patientes contra vim inferentes, vt docet Lexicon iuris in verbo vis.

Tertia observatio. Quid & quotuplex sit metus. Metus ergo est, mentis trepidatio causa præsentis, vel futuri periculi, l. i. ff. quod metus causa, & dicitur metus quasi mentem tenens, vel mentem mouens, quia metus tenet & impedit mentem: qui alijs nominibus appellatur, formido, pavor, & timor: nã si durans & firmus est, appellatur formido, si pauescimus quando illum habemus, vocatur pavor, & si frigescimus tremendo dicitur timor. Metus autem duplex est, alius probabilis seu cadens in constantem virum, alius improbabilis, qui nõ cadit nisi in hominẽ pusillanimũ, & formidolosum, qui timet etiã nõ timẽda. Quando autẽ metus cadens in constantem virum, & quando non potest poni regula generalis sed arbitrio iudicis relinquitur, nam sunt considerãdę qualitates personæ, scilicet, an sit vir vel fœmina, rusticus vel nobilis, puer vel senex, & similia, sæpe enim

enim contingit, ut id quod vni est metus terribilis cadens inconstantem virum: alteri sit leuis, & non cadens in constantem virum. Vide Nauar. in Manua li. c. 22. n. 5.

Quarta obseruatio. Viso de vi & metu. videndum est de ijs quæ vi vel metu fiunt, pro quo dicendum est primo ea quæ fiunt per metum, & vim violentam esse omnino nulla, & excusare facientem, vel potius patientem tam in licitis quam in illicitis seu peccatis: nam qui hanc vim habet, nihil agit, sed potius omnino patitur. c. presbyteros. §. qui autem, d. 50. & colligitur ex cap. maiores. §. item quæritur de baptismo. Dicendum est secundo è contrario ea quæ fiunt per vim, & metum improbabilem, & non cadentem in constantem virum esse omnino valida & non excusare facientem neque in licitis neque in illicitis seu peccatis. capite. cum dilectus isto. tit. Dicendum est, vltimo ea quæ fiunt per metum cadentem in constantem virum regulariter valere, cõpetere tamen illi qui vim passus est, beneficium rescissoriũ per actionẽ, quod metus causa, ad rescindẽdum quicquid per metum fecit. cap. ad audientiam isto. tit. & docet glossa verbo coactus in. cap. Abbas isto. tit. Vnde iste metus excusat facientem in rebus quæ non sunt peccatum, non vero in peccatis: cum potius debeamus omne malum perpeti, quam peccato consentire. cap. sacris. isto. tit. Et dixi regulariter valere: quoniam sunt nouem casus in quibus non valet cõtractus metu factus ac proinde neque indiget rescissione, quos enumerat Host. in summa isto. tit.

numero. 6. & glossa in capite. Abbas isto titulo qui sunt Matrimonium, dotis promissio, Rei Ecclesie, stitice alienatio, iurisdictio metu extorta, Votum, interpositio auctoritatis tutoris, testamentum sententiae pronuntiatio. Et denique procuratoris constitutio: quae omnia si fiant per metum cadentem in constantem virum eo ipso non valent, licet omnes alij contractus valeant.

Quinta observatio Quando dubitant Doctores an aliquid metu gestum sit, necne, intelligendum est quando metus inferatur ab aliqua persona, & eo fine, ut talis res fiat, quae attentissimè nota, nam si alio diverso fine metus inferatur, vel à sola natura inferatur, non procedunt quae in hoc tit. continentur. Verbi gratia. Ex hoc tit. colligitur, quod venditio facta metu cadente in constantem virum, est retractanda actione, quod metus causa. Sed dico, quod hoc est verum si metus fiat ab aliqua persona, eo fine, ut ego vendam, nam si fiat à natura, ut à fame non retractabitur. Praeterea si metus fieret ab aliquo eo fine, ut matrimonium contraherem, & ego tali metu perterritus mea bona venderem, certe non esset retractanda venditio, neque ad id competeret mihi actio, quod metus causa, quia metus non fiet at, ut venderem.

Quinta observatio. Hoc unum, & necessarium animadvertendum est, scilicet, quod ex his quae vi metu ve gesta sunt ipse virum patiens duo habet, scilicet, actionem quod metus causa: & exceptionem, quod metus causa: nam si vult rem gestam defendere, potest intentare actionem, quod metus causa: si vero vult se defendere ab adversario qui agit virtute illius rei quae metu gesta fuit

fuit, habet exceptionem, quod metus causa qua probata repellit agentem.

Hic titulus. 7. habet capita: habetur in. 6 non vero in Clementinis, & de eius materia disputatur. 15. quæst. 6, 20. quæst. 3. 23. quæst. 6. & quæst. 5 per totum & c. in multis. 23. quæst. 3. Quod autem in præfenti, tit. dicitur est an valeant ea quæ metu gesta sunt, ut ingressus religionis, renunciatio beneficii communicatio cum excommunicato, & alia similia. Sensus vero rubricæ est, *De ijs que vi, metus ve gesta sunt, id est de rebus factis vi aut metu, & an valeant vel non.*

*De in integrum restitutione. Tit. XXI.*

**P**rima observatio. Visum est supra de particulari restitutione quæ datur contra ea quæ per metum fiunt, nunc videndum est de restitutione generali per quam subuenitur Ecclesijs, & minoribus iure speciali, & maioribus iusta causa suggerente, ideoque ponitur rubrica generaliter de in integrum restitutione.

Secunda observatio. Restituere duo significat Primo enim significat reddere. Secundo in pristinum statum reducere. Et in hoc titulo accipitur hoc secundo modo. Unde restituere est retro statuere id est re in eum statum reducere in quem fuisset si nihil adversus eam evenisset. l. 2. §. restituas. ff. ne quid in loco publico, & l. restituere. ff. de verborum significatione. Quare restitutio in integrum sic diffinitur, est in pristinum statum repositio. c. si. in fin. 2. q. 3. Vel sic, est reductio in eum statum in quo quis erat ante lesionem, glossa verbo. contra reliquam. e. audistis isto tit. Et hinc dici solet

folet. Res redit, vt pridem, cum status redditur idem.

Tertia obseruatio. Ille qui restituitur in quadruplici sunt differentia, scilicet, minores. 25. annorum. Ecclesia maioris. 25. annorū, & Respub. Minor restituitur in integrum si probauerit minorem ætatem, & læsionem. cap. constitutus isto tit. siue læsus sit ipse, siue eius tutor, vel procurator, quæ restitutio datur officio nobili ipsius iudicis actione deficiente glossa verbo, restituimus. cap. cum venissent isto. tit. Ecclesia etiam restituitur iure minorum, nam semper debet iure minorum illæsa seruari. cap. 1. isto. tit. siue lædatur ipsa, siue eius prælatus, Syndicus, vel æconomus. dict. cap. cum venissent isto. tit. nam delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare c. delictū de reg. iur. lib. 6. Maior. 25. annorum etiam restituitur in integrum iusta causa accedente. l. 1. in fine, & per totum. ff. ex quibus causis maiores. Denique restituitur in integrum Respublica. l. Rempublicam. C. de iure Reipublicæ lib. 11.

Quarta obseruatio. Duo hic vidēda sunt, alterum est contra quem fiat restitutio, & alterum coram quibus iudicibus, & ad primum dico fieri contra illum cum quo contractum est, & contra hæredem, & contra tertium si sciens rem accepit, & si per plures personas res ambulauerit, idem iuris est. l. in causæ prima §. vltimo cum duabus sequentibus. ff. de mino. Præterea restituitur minor contra minorem, & Ecclesia contra Ecclesiam, & sic priuilegiatus contra priuilegiatum. l. verum §. vltimo. ff. de mino. & cap.

audi.



audistis, & c. substituta isto. titul. Et denique contra quamcunque grauem læsionem, siue facta fuerit in contractu, siue in confessione, siue in probationis omissione, siue in temporis fluxu, & hoc siue cõtigerit fragilitate, dolo aduersarij, metu, calliditate, etate, vel absentia. Ad secundum dico restitutionem in integrum peti debere coram iudicibus ordinarijs administrationem habentibus vel eorum delegatis, tam principaliter quam incidenter: coram arbitris vero, & delegatis ordinariorum administrationem non habentium solus incidenter peti poterit, vt docet Host. in summa isto. tit. num. 2. Obiter tamen aduerte, quod eminentia iudicis non impedit restitutionem in integrum, nam etiam aduersus sententiã Papæ restitutio potest postulari. capite. tamen ex literis infra isto. tit.

Hic titulus decem habet capita: habetur in. 6. & Clementinis, & de eius materia agitur. 35. q. 9. & 7. q. 1. & 2. per totum. Quod vero in præsentis disputatur est de restitutione Ecclesiæ læsæ in venditione in negligentia procuratoris, in omissione probationis, & dicuntur etiam aliqua de restitutione maiorum, & minorum. Sensus denique rubricę est huiusmodi. *De in integrum restitutione, id est, repositione rei in priorem statum.*

*De alienatione iudicij mutãdi causa facta Tit. XLII.*

**P**rima obseruatio. Quia supra visum est de remedio restitutionis in integrum per quod prouidetur minoribus, & maioribus, & Ecclesijs, & Rei-

& Republicæ si læsi fuerint: nūc videndū est de re-  
 medio per quod prouidetur illis, in quorum præiu-  
 diciū est facta rei alie ratio causa futuri iudicij mutā-  
 di, ideoq; ponitur rub. de alienatione iudicij mutan-  
 di causa facta.

Secunda obseruatio. Hoc verbū alienatio valde ge-  
 nerale est, nā significat quācunq; conuentionē, pro-  
 missionē, vel nōvsum per quē dominiū trāsferatur.  
 Cōuentionē, vt venditionē permutationē, donatio-  
 nē conductionē. c. nulli de rebus Ecclesiæ, alienādis  
 vel nō. Permissionē, vt quādo aliquis patitur rē suā  
 vsucapi, nā tūc videtur alienare. l. alienationis. ff. de  
 verborū significatione. Nō vsum, vt quādo quis nō  
 vtēdo seruitute illā amittit, nā certe qui seruitutem  
 perdit aliquid alienat. d. l. alienationis ff. eod. Vnde  
 alienatio potest diffiniri, quod sit pactum vel con-  
 sensus seu omnis actus, per quem dominium transf-  
 fertur. l. i. C. de fundo dotali.

Tertia obseruatio. Iudiciū in præsentī potest sumi  
 tā p actione persequēdi debitū, quā pro cōtrouersa  
 corā iudice habita: vnde mutare iudiciū in præsentī  
 nihil aliud erit quā illā actionē vel cōtrouersā quā  
 quis pati debebat in aliū mutare seu trāsferre. Quare  
 quādo tit dicit. *De alienatione iudicij* nādi causa facta,  
 ita erit exponēdus id est de alienatione rei super qua  
 lis futura est, eo fine, & intentione, vt mutetur iudi-  
 ciū seu cōtrouersia à me in aliā personā, verb: gratia  
 habeo fundū super quo Titius vult cōtra me moue-  
 re litē, ego quia litē timeo vēdo fundū, vt sit lis vel  
 actio quæ cōtra me est mutetur in illā personam cui  
 fundum

fundū vēdidi. Hęc autē alienatio duobus modis fit, vno modo quādo qui directe est cōueniēdus in aliū cū effectu transtulit rē de qua erat cōtentio: alio modo quādo fraudulēter recessit à possessione, vt alius forte amicus rē possideat, & iste qui sic alienat quamuis directe non trāstulerit rem, tamē in effectu, quia fraudulēter id fecit, videtur trāstulisse. In hoc ergo tit. vtraque alienatio cōplectitur, nā vt docet Abb. c. i. n. i. isto. tit. propter hos duos modos alienandi, potest actor contra alienantem procedere.

Quarta observatio. Ad hincendā pænam quā incurrit qui alienat causa mutandi iudicium aduertendū est, quod olim ante litis exordium liberū erat vnicuique rem suā alienare, sed quia cōtingebat aliquādo, vt malitiose alienaretur res, super qua timebatur controuersia in odium, & præiudicium actoris, forte tradendo illam alicui potentiori quem actor non poterat conuenire, vel alicui in alia prouincia degenti, vt actor maximis vexaretur expensis: proinde statutum fuit. l. i. ff. isto titulo, vt posset actor aduersus alienantem propter talem alienationē actione in factum ad omne interesse, & damnum, sibi causa talis alienationis illatum, agere. Et hęc est pæna huius interdicti, de alienatione iudicij mutandi causa facta.

Hic titulus, duo tantū habet capita, nō habetur in 6. neq; in Clemētinis, & de eius materia disputatur. n. q. i. Quod vero in eo agitur est, q̄ is in quē alienatio facta est potest cōueniri virtute rescripti impetrati aduersus alienatē, & q̄ clericus nō debet accipere  
 celsio.

cessationem à laico, si fiat causa iudicij mutandi. Sensus vero rubricæ est. *De alienatione iudicij mutandi causa facta*, idest de alienatione rei super qua lis futura est, eo fine vt mutetur actio in eum cui fit alienatio.

*De Arbitris. Tit. vltimus, & XLIII.*

**P**rima obseruatio. Huius tituli tres assignantur continuationes, prima & secunda sumuntur ex Ab. in hac rub. & ex ead. rubrica lib. 6. tertia vero ex Host. etiã in præfenti. Prima est, quod quia egimus de præparatorijs iudiciorum agendum erat de iudicijs, sed quia arbitria sunt redacta ad instar iudiciorum. l. r. ff. de arbitris, ideo prius de arbitris erit agendum. Secunda est, quod quia visum fuit supra de officijs diuersorum iudicum, & de quibusdã alijs, in quibus officium iudicis versatur, & arbitri sunt quodam modo iudices cum assumantur ad contentiones sedandas, merito post tractatum de officijs iudicium proponitur in fine libri titulus de arbitris, in quo agitur de ipsorum officio, & potestate. Tertia est, quod quia egimus de præparatorijs iudiciorum agendum erat de iudicijs, sed quia consueuerunt homines primo recurrere ad amicos, quibus sæpe causas nequeuntibus terminare, ad iudicium peruenitur, ideo ante tractatum de iudicijs, agitur de arbitris. Sed tamen neutra istarum continuationum recta videtur. Prima enim nõ valet, quia, vt in præfenti docet Ab. ex ea sequitur hunc titulum ponendũ esse post titulum de iudicijs, nam accessorium naturã sequitur principalis. cap. accessorium de reg. iur. lib. 6. Secunda etiam non est recta, quia ex ea sequitur

tur

eur hunc titulum proponendum esse post titulos disputantes de officijs iudicum, de quibus supra egimus. Tertia deniq; nō placet quoniā solū cōtinuante hūc titulū ad sequētia, non vero ad pręcedentia, ad quę potius erat cōtinuādus. Quare pro cōtinuatione dicendū est voluisse cōpilatorem in titulo de arbitris, arbitriū suū ostendere, proponendo illū vbi voluit, nō vbi debuit, nā voluit illū proponere in fine huius libri, & debebat illum proponere post titulū de officio ordinarij, vel post titulum de officio iudicis, cū hic de arbitrorū iudicum officio disputetur.

Secunda obseruatio. Pro tit. expositione videndū est quid significet arbitrium, & quid illud sit, de quo dico, arbitrium, quod etiam arbitratus vel arbitramētum dicitur, primo significare libertatem seu voluntatem. Secundo sententiam ab arbitris pronūtiatam quę etiā laudū dicitur. Tertio compromissum seu potestaté arbitrando datā arbitris. Quarto denique significare iudiciū, quod in bono, & æquo cōcipitur, & ex bona fide redditur. In hoc ergo tit. tertio & quarto modo sumitur arbitrium. Et tertio modo sumptū, diffinitur ab Host. sic. Arbitriū est potestas volūtarię data alicui, & recepta ad pronūciandū in lite prout arbitro visum fuerit, aliquādo certa pœna vallata, & certis terminis limitata. Quarto vero modo acceptū sic diffinitur. Arbitriū est actus certarum personarū exequentiū cōpromissam, scilicet, arbitri qui exequitur veritatē inquirendo, vt iudex, actoris qui conatur intētionē obtinere amplificādo causam & deniq; rei qui causam diminuēdo, suā absolutionē

procurat: sunt ergo in actu arbitrii tres personæ, scilicet, arbiter, actor, & reus. Ex quibus colligitur arbitrarium esse rem seu negotium, quod apud iudicem arbitrium agitur, seu quod in potestate arbitri est pro arbitrio, & voluntate iudicandum, unde arbitraria poena, dicitur illa quæ est in arbitrio, & voluntate iudicis.

Tertia observatio. Arbitri nomen multipliciter dicitur. Primo enim aliquando significat iudicem delegatum vel quasi delegatum. l. arbiter. ff. qui satisfacere cogantur. Secundo aliquando significat iudicem ordinarium. l. ante penultima ff. de iudicijs. Tertio etiam significat dispensatorem rei sue. l. in re. C. mandati. Quarto denique significat virum bonum super aliquo negotio a stimando electum. l. si societate ff. pro socio, & l. i. ff. de patris dotalibus. In hoc ergo tit. accipitur aliter in hac quarta significatione, quæ ratione in duas dividitur species, alius enim est arbiter iuris, & alius à partibus electus. Arbiter iuris est quem ius eligit, & sibi causam certam examinandam exprimit, & committit, ut in cap. suspicionis de officio delegati, & talis arbiter in omnibus æquiparatur iudici, sicque ab eius sententia potest appellari. ca. ab arbitris de officio delegati, & ipse etiam in omnibus leges sequitur, & iudex potius est quam arbiter, ut docet glos. in d. c. suspicionis verbo ad quos versi. & isti. Arbiter à partibus electus est qui nullam potestatem habens consensu partium litigantium eligitur, in quem sub aliqua poena compromittitur, ut eius sententia steterit, cum neque propriam, neque delegatam habeat iurisdictionem, & iste est proprie arbiter, alioque nomine vocatur iudex compromissarius,

rius, seu arbiter cōpromissarius. Differt autē arbiter cōpromissarius, à vero iudice, & arbitro iuris, primo quia ille sequitur æquitatē, isti vero sequuntur leges, & secūdo quia à sentētia illius nō potest appellari. l. 1. C. de arbitris, bene vero à sentētia istorū: & ratio est quia sentētia cōpromissarij ipso iure nō tenet, & ab eo quod non tenet nō est appellandū. In hoc ergo tit. de arbitris cōpromissarijs disputatur, qui etiā recepti, dicuntur, vt patet in tit. & rub. ff. de receptis arbitris: ex eo, scilicet, quia recipiuntur à litigatoribus, vel quia partes vicissim in fide arbitri sese recipiunt, vt eius sentētiæ stēt. Possunt autē recipi arbitri in omni re, nisi specialiter prohibeatur. Et cū duo cōmuniter recipiātur si dissentiat, prouidet lex, vt cogat eos Prætor tertiā certā eligere personā cuius auctoritati pareatur. l. itē. §. principaliter ff. de receptis arbitris. Sed dices quid ergo erit Arbitrator. Respondeo arbitratorē esse amicabilē compositorē qui ne sumitur pro re litigiosa, nec vt cognoscat, sed vt pacificet, vt si duo socij velint diuidere bona societatis ad arbitrium Titij, ille Titius dicitur arbitrator.

Hic tit. 14. habet capita, habetur in 6. non vero in Clemētinis, & de eius materia tractatur c. si quis episcopus. §. arbitrari, & c. à iudicib. 2. q. 6 & c. infamia §. tria. 3. q. 7. Quod autē in præsentī de arbitris dicitur est de officio, & potestate ipsorū, & qui possint cōstitui, & quando valeat, vel non valeat arbitrium, & denique quomodo finiatur compromissum. Sensus vero rubricæ est, *De arbitris*, idest de iudicibus ex consensu litigantium electis.

Hic tit. 14. habet capita, habetur in e non vero in  
 Clementina. & de eius materia tractatur c. 1. quia  
 capus. & arbitrat. & c. 2. iudicib. r. d. & c. in sum. &  
 tit. 2. d. 7. Quod autem presens de arbitris dicitur  
 est de officio, & potestate ipsorum, & de potestate  
 sui, & quando valeat, vel non valeat arbitrium, &  
 deinde quomodo fiat, & quomodo nullum. Secus  
 vero iudicium est, & de iudicio, id est de iudicibus  
 & de iudicibus iudicantibus electis.

Fian prima libri decretalium. H a



EXPOSITIO

TITVLORVM

IVRIS CANONICI.

LIBER SECVNDVS

DECRETALIVM.

*De iudicijs Titulus Primus.*



QUONIAM lib. superiori disputavi-  
mus de iudicibus, & eorum officio, &  
potestate, nec non de preparatorijs iu-  
dicatorum: nunc convenienti loco in  
principio huius 2. lib. agendum erit  
de iudicijs: ac proinde sit prima observatio. Hoc no-  
men iudicium quindecim habet significationes, ut  
docet glossa in reg. in iudicijs de reg. iur. libro. 6. &  
glossa in. s. praterca in ff. quibus non est permissum  
facere testamentum, & glossa etiam in rub. extra tra-  
gantium communium, de iudicijs. Primo enim sig-  
nificat actionem. l. in iudicio. ff. familiae hereticum  
da. Secundo litem siue controuersiam. l. r. ff. ad Tre-  
bellianum. Tertio auctoritatem. cap. decernimus,  
Hoc

isto titul. Quarto significat forum. c. quanto, etiam  
 isto tit. Quinto arbitrium. l. arbitrium. ff. qui satisda-  
 recogantur. Sexto ultimam voluntatem testatoris. l.  
 r. C. de sacrosanctis Ecclesijs. Septimo quæstionē. l.  
 fi. C. de ordine iudiciorū. Octavo discretionē. §. præ-  
 terea inst. quibus nō est permillum. Nono sententiā  
 iudicis. l. r. C. de reiudicata. Decimo instatiā vel or-  
 dinationē causæ discutie de in iure corā iudice. l. pro-  
 perādū. C. de iudicijs. Undecimo discussionē causæ  
 vt toto tit. ff. & C. de iudicijs. Duodecimo potestātē  
 iudicantis. l. iudiciū soluitur. ff. de iudicijs. Decimo  
 tertio, perniciem, & damnationem, vt in c. 11. Epist.  
 ad Corinthios ubi, *iudicium sibi manducat, & bibit*. Deci-  
 mo quarto significat pænā c. & purgabit. d. 50 Et de  
 nique. Decimoquinto significat processum iudicia-  
 lem, vt in capite. pia. de exceptionib. lib. 6. Quas om-  
 nes iudicij significationes ijs versibus comprehen-  
 dit glo. in regula, in iudicijs de reg. iur. lib. 6. Actio,  
 lis, author, forus, arbiter, vltima, velle. Quæstio, dis-  
 cre, seu, instan, discussio, posse. Pernicies, pænā,  
 processus iudicialis. In hoc ergo titulo, accipitur iu-  
 dicium præsertim in decima, & vndecima signifi-  
 catione, nam vt docet Ab. in præsent. n. 1. in hac rubri-  
 ca accipitur iudicium pro instantia causæ discutien-  
 dæ, & pro partibus ipsius causæ seu instantiæ. Et vt  
 docet glo. in rub. de iudicijs extrauagantium com-  
 munium tit. iste de iudicijs exponendus est id est de  
 discussione iuris, nam iudicium, dicitur à iuris dis-  
 cussione.

Secunda obseruatio. Iudicium prout in præsentī  
 accipi-

accipitur quinque; habet definitiones, quas tradit Me-  
dices 2. p. de definitionibus ca. 18. Prima est, iudiciū  
est actus triū personarum, scilicet iudicis, actoris, &  
rei, in iudicio contendentiū. Et hinc est, quod in isto  
nostro titu. disputatur de iudice, de actore, & de reo  
quāuis rubrica, *de iudicijs*, absolute dicat. Secūda dif-  
finitio est, iudiciū est inuestigatio quā facit iudex se-  
cundū iurisdictionē per varios modos ad veritatem  
eliciendā, & elicitam custodiendā. Tertia iudiciū  
est, causa in iure reddendo necessario posita cum in-  
terpositione personarum. Quarta iudiciū est dis-  
cussio causæ quæ corā iudice iuridice fit. Quinta, iu-  
diciū est iustitiæ ministratio, quæ fit à iudice in  
causa proposita coram eo. Exijs quinque defini-  
tionibus prima communior est, tu tamen elige quā  
malueris.

Tertia observatio. Proponamus iā iudiciorum di-  
uisiones: quarum tredecim eligere volui, sunt enim  
quā plurimæ illorū species, quæ de causa, vt docet Fe-  
linus in hac rub. n. 3. ponitur iste. tit. *de iudicijs*, in plu-  
rali, & non in singulari. Prima ergo est, iudiciū aliud  
est civile cuius finis est cōmodū partis glo. verbo, cē-  
tua. l. prætor, in principio. ff. de sepulchro violato.  
Aliud criminale quando finis est cōmodū Reipubli-  
cæ, vel Fiscī, sine pæna sit corporalis siue pecuniaria,  
vt docet Ab. ex Anto. in hac rub. n. 5. Aliud veromix-  
tū quādo finis est vtrūque. c. tua de procuratoribus.  
Secūda diuisio est, iudiciū aliud est ordinariū, quod  
coram iudicibus ordinarijs exercetur. Aliud extraor-  
dinariū, quod exercetur corā delegato: glossa verbo

extraordinarium. cap. quoniam contra de probatio-  
 nibus. Tertia diuisio est. Iudicium aliud est seculare,  
 quod coram iudice layco inter seculares exercetur,  
 aliud Ecclesiasticum, quod coram Ecclesiastico tra-  
 ctatur. Quarta est, iudicium aliud est mere tempora-  
 le, quod est quando litigatur de re profana. Aliud  
 mere spirituale quando litigatur de re spirituali. Et  
 aliud temporale annexum spirituali, seu mixtum,  
 quando litigatur de re temporali annexa spirituali  
 qualis est ius patronatus glossa magistra. in capite.  
 pia mentis, 16. questione. 7. Quinta est, iudicium,  
 aliud vniuersale, vt quando agitur vel actione de  
 peculio, vel actione de dote. Aliud generale, quando  
 agitur actione generali tutelæ, vel negotiorum ge-  
 storum vel pro socio, & similibus. Et aliud particula-  
 re, quando agitur ad vnam rem particularem, & de  
 ijs est glossa magna in l. in principio ff. de edendo.  
 Sexta est, iudicium, aliud est inter sanguinem, quan-  
 do agitur de re criminali quæ pertinet ad iudicem  
 secularem, vt est homicidium, vel furtum. Aliud in-  
 ter lepram, quando agitur de aliquo crimine Eccle-  
 siastico, vt de hæresi, vel simonia. Et aliud inter  
 causam, quando agitur de aliqua re media inter  
 has duas, vt de mutuo, vel locato: de quibus om-  
 nibus in cap. per venerabilem qui filij sint legitimi.  
 Septima est, iudicium, aliud est summarium vel  
 extraordinarium, vt est illud in quo proceditur  
 prætermissa subtili ordinis iudicarij obseruatio-  
 ne. Aliud plenarium, seu solenne vel ordinarium,  
 in quo proceditur obseruato solenni iuris ordi-

ne. Octava est: Iudicia alia sunt simplicia in quibus vnus determinate sustinet personam actoris, & alius determinate personam rei. Alia vero duplicia in quibus idem videtur personam actoris & rei sustinere, vt in illis tribus iudicijs, familie heriscūdz, communi diuidundo, & finium regundorum, l. in tribus. ff. de iudicijs. Nona est, iudiciū aliud est incidēs, quod habetur super negotio incidenti, aliud emergens, quod habetur super emergenti: de quibus est glossa magna, in c. i. de ordine cognitionum. Decima est, iudicium, aliud publicum, quod causa iniuriz susceptum est, si eam iniuriam respublica ad se peruenire statuit, quod semper in crimine aliquo cognoscendo versatur. Aliud priuatum, quod rei priuatae causa institutum est. Undecima est, iudiciū aliud est capitale per quod eximitur caput de ciuitate, vt mors, vel exilium. Aliud nō capitale cuius pena est aliqua pecunia, vel corporis conertio. Duodecima est, iudiciū aliud turpe quo reus infamia vel turpitudine afficitur. Aliud non turpe, in quo nec turpitudine, nec infamia notatur. Decimatertia denique est, iudicium aliud prelusorium, & est illud quo aditus ad aliud iudiciū aperitur, vt querela de inofficioso testamento, qua aperitur aditus ad aliud iudicium, scilicet, ad petitionem hereditatis. Aliud non prelusorium, quo aditus, non aperitur ad aliud iudicium.

Hic titulus continet. 21. capita: Habetur in Sexto Clementinis, & Extrauagantibus communibus, & de eius materia agitur 2. q. 1. & 5. q. 4. 14. q. 1. 15. q. 7.

16. q. 6. & 30. q. vlt. Quod autem in hoc titulo de iudicijs disputatur vt diximus in 1. obseru. est de discussione iuris, explicando multa quæ in iudicio fieri debent, & multa etiam alia ad personas iudicis actoris, & rei pertinentia. Sensus vero rubricæ vt supra diximus erit, De iudicijs, id est, de discussione iuris, seu causæ in iudicio coram iudice.

*De foro competenti. Tit. II.*

**P**rima obseruatio. Pro huius rubricæ continuatione dicendum est primò, quod quia egimus de iudicijs & ad iudicia vocati sæpè quærent ad quem iudicem eundum sit, & cuius fori sint, de quo sæpè exceptiones proponuntur: ideo viso de iudicijs, de foro competenti restat videamus. Vel dicendum est secundo, quod quia toto isto tit. 2. lib. de actibus iudicialibus, disputandum est, & eorum principalis est competentia fori, ideo post titulum de iudicijs, ante omnes alios titulos, de foro competenti disputandum erit.

Secunda obseruatio, ad huius tituli intelligentiã explicanda sunt hæc duo nomina, scilicet, forum fori neutrius generis, & forus fori, masculini generis. Ex quibus forũ primò significat locũ publicũ in quẽ omnes cõcurrunt ad emendũ & vendendũ, vnde forũ piscariũ est locus vbi venduntur pisces, & forum oliuorum est locus vbi venduntur herbe, & sic de alijs. Secũdò significat congregationẽ ciuitatum factã ab eo qui prouinciæ præest vt ius illis dicat, vt docet Otoman. de verbis iur. ver. forũ Tertiò significat territorium seu terram vbi iudex potestatem & iurisdictionem

tionem habet. l. pupillus. §. territorium. ff. de verborum sig. & sic tota diocesis dicitur Episcopi, territorium seu forum, c. omnis. 16. q. 7. Præterea forus primo significat planitiæ in naui, secundo locum ubi menses reponuntur: tertio foramen rei inanis: quarto scriptorium foraminosum; & quinto locum ubi exercentur lites, & ius dicitur, & in hac significatione forus dicitur à Fando, vel à Foroneo Rege, qui primo leges Græcis dedit, c. forus, de verb. signif. In hoc ergo tit. forum & forus accipiuntur in vltimis significationibus. Vnde potest titulus explicari duobus modis, vno modo dicendo, De foro competenti, id est, de territorio intra quod est causa competens, vt quis ibi conueniri possit. Vel secundo modo sic, De foro competenti, id est, de competenti loco iudicij. Ex quibus duabus explanationibus prima melior est & magis consentanea nigro, vt docet Abbas in hac rubrica, num. 2. quia vt ipse docet in capitalis huius tit. non tractatur de competentia fori, quantum ad locum ubi exercetur ius, sed quantum ad territorium in quo iudex iurisdictionem & potestatem habet.

Tertia observatio. Ex superiori observatione patet forum prout ad præsens attinet institutum posse definiiri hac ratione. Forum est territorium ubi iudex iurisdictionem & potestatem habet. Et forus etiam hac ratione diffinietur. Forus est locus ubi ius dicitur. Quare in præsentem solum erit animaduertendum, hæc tria vocabula, Prætorium, Tribunal, & Consistorium idem significare quod forus, nam & significat locum in quo ius dicitur, ita quod Prætorium de præto-

sum foro principaliter dicatur. Tribunal vero solum de foro maiorum iudicum, scilicet, eorum qui habent merum imperium, & consistorium solum de foro Summi Pontificis. In fine tamen huius observationis notandum modocst, hanc esse regulam generalem in materia fori competentis, ut actor teneatur semper sequi forum rei, cum sit generale, infra isto tit. Hic titulus continet viginti capita: habetur in Sexto & Clementinis, & de eius materia disputatur dif 96 & 3, q. 2. 11. q. 1. & 21. q. 5. per totum. Quod vero in hoc tit. agitur, est ostendere quodnam sit univocumque forum competens. Sensus vero tit erit. *De foro competenti, id est, de territorio intra quod est causa competens, ut quis ibi conveniri possit.*

*De libelli oblatione. Tit III.*

**P**rima observatio. Quia egimus de foro competenti explicando sub quo iudice debeat reus litigare & actori suo respondere, ideo videndum est de libelli oblatione, nam statim atque reus non declinat forū petit sibi edi libellum, ut videat quid & qualiter petitio fiat, & sciat quid & qualiter sit respondurus, ideoque ponitur rub. de libelli oblatione. Secunda observatio: Hoc nomen libellus undecim habet significationes, nam primò significat librum parvum, secundò significat panem azymum, seu subcinericium, ut l. iudices. C. de episcopali audientia. Tertio significat preces sibi oblatas, ut C. quando libellus Principi datus. Quarto significat iudicem de legatum. l. nec quidquam. §. vbi decretum. ff. de officio



cio Proconsulis. Quinto significat scripturam demā datoris. Sexto, scripturam recusationis. Septimò scripturā appellationis. l. i. ff. de appellationibus. Octauò scripturam quam iudex dat appellanti, scilicet, pro Apostolis, c. Cordi. de appellat. lib. 6. Nono scripturam infamatoriam, & tunc dicitur libellus famosus. Decimò scripturam quam vir dat vxori repudiata, & tunc dicitur libellus repudij. Vndecimò denique significat scripturam actoris, quætionem continens, quæ coram iudice contra reum proponitur. In hoc ergo tit. capitur libellus solum in vltima signif.

Tertia obseruatio. Libellus dicitur a libro diminutione facta, propter sui breuitatem, vt docet Abbas in hac rub. in fine, & Medices. 2. p. de diffinit. c. 26. n. 4. Diffinitur autem libellus ex eodem num. 1. hac ratione. Libellus est scriptura breuis, claram continens intencionem actoris siue accusatoris. Et hæc est melior diffinitio earum quæ à Doctoribus traduntur: nam Hostiensis in Summa isto tit. num. 1. ita libellum diffinit: Libellus est scriptura quædam, petitionem actoris continens, quæ ab actore iudici, & à iudice reo offerenda est, ad hoc vt ex quo deliberauerit, an cedere vel contendere sibi expediat, canonicè valeat respondere. Præterea glossa 1. ca. 1. isto tit. ita libellum definit. Libellus est scriptura in qua continetur res quæ petitur, & causa petendi, & nomen actoris, & rei, & coram quo iudice. Sed tamen ex his tribus definitionibus prima melior est, vt dixi. Ex illis tamen duas colligere poteris libelli proprietates, altera est, quod fiat in scriptis, vt dicitur in  
defini-

diffinitionibus, & vt probatur in ca. 1. isto tit. Altera vero est, quod fit breuis, clarus, & succinctus, l. amplio-rem. §. in refutatorijs, C. de appellationibus.

Quarta obseruatio. Libellus duplex est, alius accusationis, & alius conuentionis. Accusationis est, qui fit in causis criminalibus. c. nullus. 4. q. 4. Conuentionis verò, qui etiam dicitur postulationis, est libellus qui fit in civilibus negotijs, c. 1. isto tit. & de vtroque libello disputat glos. 1. d. 5. 1. isto tit. Sed est dubium, quæ debeant contineri in libello. Et respondeo, si libellus est accusationis, primò debet continere nomē accusatoris, secundò nomen rei accusati, tertio nomen iudicis coram quo accusatur, quartò crimen de quo accusatur, quintò, aliquando nomē personæ cū qua crimen fuit commissum, sexto locum in quo crimen perpetratum fuit. Et septimo tempus accusationis, cum mense & anno, in quo crimē fuit commissum, licet non cum die & hora. Si verò libellus fuerit conuentionis debet ista continere, primo nomen actoris, secundo nomē rei, tertio quid intēdat actor contra reum, seu quid à reo petat, quarto, quo iure petat, quintò corā quo iudice, sexto deniquē debet continere diem in quo libellus datur. Vnde Hostiensis in Summa isto tit. n. 5. proponit hos versus. Quis, quid, coram quo, quo iure petat, & à quo, Rectè compositus sic, quisque libellus habetur.

Quinta obseruatio. Quoniā diximus quid & quomodo duplex sit libellus, clarius vidēdum est, quāsnā sit huius tit. sensus, quādo dicit, *De libelli oblatione*, qui sic exponi poterit, id est, de libelli porrectione, seu donatione.

natione, qua actor, aut accusator dat iudici ipsum libellum contra reum, c. 1. isto tit. Animaduerte tamē quòd aliqui Doctores in suis libris ponūt hunc tit. sub his verbis: *De libelli conceptione & oblatione*, ex eo quia vt ipsi dicunt in hoc tit. non solum tractatur de libelli oblatione, sed etiam disputatur, de eius conceptione, seu formatione, scilicet, sub qua forma, & qua ratione debeat concipi seu formari, vt patet ex c. 1. & vlt. Quod certe si consideres, non immeritò docēt, nam si in isto tit. sunt solum tria capita, & primum solum disputat de libelli oblatione, secūdum vero & vltimum de libelli conceptione, non immeritò poterit titulus inscribi, de libelli cōceptione & oblatione.

Hic titulus habet tria capita, vt sup. dixi: nō habetur in texto vel Clementinis, & de eius materia agitur. 2. q. 8. per totum, & c. Maximianus dist. 81. Quod vero in nigro huius tit. agitur iā dixi in fine superioris obseruat. Sensus autē illius est huiusmodi, De libelli oblatione, id est, de donatione, qua actor vel accusator dat iudici scripturam continentem id quod intendit contra reum.

*De mutuis petitionibus. Tit. III.*

**P**rima obseruatio. Quia plerumque libelli perri-  
guntur ab vtraque parte, scilicet, ab actore &  
reos & tūc fiūt mutue petitiones, dubitaturque  
de modo & practica procedendi in tali casu, ideo  
proponitur rub. de mutuis petitionibus In qua no-  
tandum est, hoc nomen, mutuus, significare alterna-  
tionē, id est, actionē ex vtraque parte vt mutua visio.

quan-

quādo ego video te, & tu vides me: mutuus amor, quando ego amo te, & tu amas me. Petitionis autem nomen ita clarum est vt explanatione non indigeat. Quare mutua petitio, nihil aliud erit quā vna actio qua actor petit à reo, & alia qua reus petit ab actore, vnde erunt duæ actiones petendi ad inuicem inter actorem & reum, & ideò meritò iste titulus ponitur in plurali, scilicet, De mutuis petitionibus, est enim in eo vna petitio actoris, & alia rei.

Tertia observatio: Videamus ergo quid sit mutua petitio, tradendo illius definitionem, quæ est huiusmodi. Mutua petitio est conuentio ex parte actoris, qua conuenit reum, & reconuentio ex parte rei, qua reconuenit actorem, vt docet Abbas in hac rubr. n. 1. Reconuentio autem est secunda conuentio aduersus actorem proposita. Quæ duplex est, alia propria, quæ ponitur ante litis contestationem, vel saltim post litem contestatam. Alia verò impropria quæ proponitur multum post litis contestationem, quæ potius est conuentio quàm reconuentio: nam certè qui suum actorem reconuenit multum post primam illius conuentionem, non proponit suam actionem per modum reconuentionis. Inter has autem duas reconuentiones maximum est discrimen, nam prima est terminanda eodem processu & sententia cum sua conuentione, vt docet Clementina sæpè, s. verum, de verborum signif. non tamen secunda. Cuius optimaratio est, ne negotium iam diu agitatum differendum esset, proposita reconuentione, multum post litis contestationem, & terminando illam vno processu, & senten-

tentia cum prima conuentione iam diu agitata.

Tertia obseruatio: Modus procedendi in mutuis petitionibus, seu in conuentione & reconuentione secundū Host. in Summa isto tit. n. 5 est huiusmodi, vt primo actor porrigat suū libellū ipsi reo, & deinde reus alterū reconuentionis libellum, & porrigat actori. Secundo vt fiat prius litis contestatio in conuentione, postea vero vt fiat in reconuentione. Tercio vt actor primo faciat positiones, deinde reus. Quarto vt actor primò testes producat super causa cōuentionis, & postea reus super causa recōuentionis, ita quod vna & eadem die vtraque quæstio possit quasi vna sentētia terminari, c. cū directus, §. nos autē, de ordine cognitionū. Et dixi quasi vna sentētia, quia vere duæ sententiæ sunt quæ feruntur circa duas quæstiones: scilicet, circa cōuentionis, & recōuentionis negotiū. Hic titulus duo tantū continet capita, & neque habetur in Sexto neq; in Clementinis, de eustamē materia disputatur in c. accusatores 3. q. 8. Quod verò de mutuis petitionibus in præsentī pertractatur est, primò quòd iudex etiā si sit Delegatus potest compellere actorē ad respondendū in causa recōuentionis, qui vtrāque causam ordine successiuo simul audiet & vna sententia terminabit. Secundo quòd modus procedendi per rescriptum datus in causa cōuentionis, obseruari debet in causa reconuentionis. Sensus verò tubricæ est, *De mutuis petitionibus.*, id est, de conuentione actoris, & recōuentione rei, seu quòd idem est, de vna petitione qua actor petit à reo, & alia petitione qua reus petit ab actore.

## De litis contestatione. Tit. V.

**P**rima observatio: Quoniã post libelli oblationem, & mutuam petitionem sequi debet litis contestatio, ideo post rubricas præcedentes sequitur rubrica de litis contestatione. In qua animadverto primò, hoc nomen, lis, dici à limite vel termino, quia primæ hominum lites fuerunt delimitibus, seu terminis, cap. forus, de verborum significatione, circa medium. Animadverto secundo, quòd lis primo significat actionem. l. litis. ff. de verborum significatione: secundo significat controuersiam habitam inter aliquos apud iudicem. Animadverto tertio, hoc nomen contestatio varia significare, primo enim significat testificationem simul cum aliquo factam, vnde testes qui idem dicunt contestes appellantur: secundo significat testamenti simul cum aliquo confectionem. Tertio denique significat assertionem, comprobationem, seu confirmationem litis. In hoc ergo tit. tam lis quam contestatio in vltimis accipitur significationibus, quare ex his duabus vocibus sic acceptis & explicatis, facilis est tit. expositio, nã dicit, *De litis contestatione*, id est, de confirmatione litis, seu controuersie, quæ habetur corã iudice.

Secunda observatio: Videamus quomodo fiat litis contestatio, vt postea videamus quid illa sit. Fit autem per petitionem in iure propositã, & congruam responsionem sequentem animo contestandi litẽ factã, cū iudex per narrationem, id est petitionem, causam auire cæperit, c. i. isto tit. Diffinitur autem sic à glo. i. isto tit. Litis contestatio est negotij principalis hinc inde apud iudicem facta narratio, & subsequuta responsio, siue negando

gandō, sine confitēdo. Sed hæc diffinitio non placet. Host in hoc tit. n. 1. ac proinde ipse aliā meliorē proponit, quæ est huiusmodi: Litis contestatio est fundamentū iudicij per petitionē in iure propositā & cōgruā respōsiōnē sequutā factam animo contestādi litē. l. vnica. C. de litis cōtes. In qua diffinitione dicitur, *est fundamentū iudicij*, quia sine ipsa processus erit nullus, c. nullo tit. in fi. Dicitur: *per petitionē in iure propositā, & cōgruā respōsiōnē sequutā*, quia ex his duobus integratur & componitur litis cōtestatio. Deniq; dicitur, *factā animo cōtestādi litē*, quia vt docet glo. 1. isto tit. si aliquis proponat factū corā iudice, nō ea intentione, vt litē cōtestetur, & saluo iure suo, & sine præiudicio respōdeat, nō erit litis cōtestatio, cū hoc nō fiat ad iudicis interrogationem, sed motu proprio.

Tertia obseruatio. Duo hic videnda sunt. alterū est per quos fieri possit litis cōtestatio: alterū verò, quif nā sit litis cōtestationis effectus. Ad primū dico, posse fieri per principales, & per eorū procuratores, actores: tutores. syndicos, c. cū causam de iuram calum. & etiā per aduocatos, nisi statim illorū respōsiō reuocetur, c. cū causam. de appellat. Ad secundū dico, effectus litis cōtestationis esse multiplices. Primus est perpetuatio litis, vsq; ad 40. annos. l. 1. C. de annali except. Itē, vt omnis dilatoria exceptio excludatur, c. siquis. 3. q. 6. & denique multos alios effectus habet, vt docet Hostiensis in Summa. §. vlt. isto tit.

Quarta obseruatio: Sciendū deniq; est, esse aliā litis contestationē in iure, quæ non dicitur absolutē litis contestatio, sed quasi litis cōtestatio, de qua non agitur in hoc titulo, sed in capite, quoniam frequēter, §

in alijs verſi. quod ſi ſuper, vt lite non conteſtata: & eſt quādo aliquis conuentus in iudicio ſuper rebus mobilibus, quas nomine alieno poſſidet, nominat dominū in iudicio & accipit inducias, ſiue tempus ad denunciandum domino, vt ad iudicem veniat, vel mittat: nam ſi talis dominus nō comparet in termino dato, tunc lis quaſi conteſtata eſt contra dominum, vel habetur pro conteſtata, quantum ad interrompendam longi temporis præſcriptionem, vt dicitur in dicto. §. in alijs. d. t. t. vt lite non conteſtata.

Hic titulus ſolum continet vnicum caput: habetur in Sexto, nō verò in Clementinis, & de eius materia diſputatur, c. induciæ. §. offeratur. 3. q. 3. Quod verò in eo diſputatur eſt, quomodo fiat litis cōteſtatio, & quòd ea omiſſa, proceſſus eſt nullus. Sēſus vero rubricæ eſt, *De litis conteſtatione.*, id eſt, de confirmatione litis, & fundamento iudicij per petitionē actoris, & reſponſionem rei, coram iudice factas.

*Vt lite non conteſtata non procedatur, ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam diffinitiuam. Titulus VI.*

**P**rima obſeruatio. Hæc rubrica continuatur ad præcedentem, vt continuat gloſſa ex Abbate in præſenti, quæ ita habet. Supra viſum eſt de litis conteſtatione, qualiter fiat. Verum quia plerumque lite nō conteſtata petitur teſtium receptio, imo aliquando de facto teſtes recipiuntur: tum etiā petitur cauſæ debita ſententia terminando, imo aliquando



quando de facto terminatur. Ideo ut appareat quid iuris sit in similibus casibus ponitur rubrica, *Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.* Cuius rubricæ verba facillima sunt, nam solum in ea poterat difficultatē ingerere quid esset litem non esse contestatam, quod iam explicauimus in titulo superiori, cognito enim quid sit litis contestatio, facile cognoscitur, quid sit litem non esse contestatam.

Secunda observatio. Pro huius rubricæ & aliarum similiarum intelligentia sciendum est ex Hostiense in Sūma, titulo, ut beneficia Ecclesiastica in principio, & ex Felino in principio huius rubricæ, & Abbate in præsentī, num. 1. Quod hæc rubrica cōtinet ius commune, & habetur pro lege, nam omnis rubrica continens orationem perfectam, & præcipientem aliquid fieri vel non fieri; dicitur continere ius cōmune, & potest allegari ut lex, sicut nigrum; imo addit Felinus ex Bartolo in rubrica, C. an seruus ex suo facto: quod omnes rubricæ consonantes textui, possunt allegari pro textu, quod insinuat gloss in rubrica, si quis testamento liber esse iussus fuerit. Sed hæc doctrina clarius apparet in rubricis quæ incipiūt per particulā, ut, vel per particulam, ne, quales sunt istæ, ut lite pendente nihil innouetur, ne clerici, vel monachi sæcularibus negotijs se immisceant: & iste noster titulus & alij quam plures, tam in iure Ciuili, quàm in Canonico.

Tertia observatio. Quando iste titulus dicit, ut lite non contestata non procedatur ad receptionem

testium vel ad sententiā definitiuā: licet generaliter verū sit, & vt diximus pro lege tenendū, nihilominus tamen multas habet exceptiones: nam primo excipitur hæc regula, vbi timetur de morte vel absentia testiū, & vbi agitur de electione, vel matrimonio, & in causa inquisitionis, & publicationis. Item, in causa denunciationis. Item in actoris absentia præ sente reo. Item vbi actor nō potest agere propter iuramentum quo iurauit non repetere vsuras. Item cum minor ab hæreditate officio iudicis se abstinet. Item vbi aliquid officio iudicis expeditur. Item cum in integrum restitutio incidenter postulatur officio iudicis. Item cum agitur de iniquitate iudicis. Item, cum agitur finium regundorum iudicio. Item in Trebelianica restitutione. Itē in causa hæresis post mortem. Item vbi offenditur publicum commodū. Item cum persona est incerta. Item in causa libertatis. Item vbi agitur de beneficio Ecclesiastico obtinendo. Qui omnes casus late cum suis iuribus proponit glossa infra in capite quoniam frequenter, in principio, verbo, regulariter, vbi hos omnes casus quibusdam versibus comprehendit.

Quarta obseru. Considerandū est in hac rub. recte dici, ad sententiā definitiuā, quoniā ad interlocutoriā rectè proceditur, etiā ante litis contestationē, vt docet Ab in rub. huius tit. n. 4. Nam sententiā interlocutoria est, quæ inter principium & finem causæ fertur super his quæ accidunt vel emergunt, vt docet gloss. in Clemētina vnica, de sequestratione possessionum, & fructuum, verbo definitiuā.

Hic tit.

Hic tit. continet 5. capita, & neque est in Sexto, neque in Clementinis, neque assignatur aliquis locus ubi in Decreto de eius materia sermo fiat. Quod autem in eo disputatur est id quod in rubr. dicitur, scilicet, ne testes recipiantur, vel lis sententia terminetur ante litis contestationem, exceptis multis casibus, de quibus egimus obseru. 3. Sensus vero rubr. est, *vt lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam definitiuam*, id est, vt testes non recipiantur, neque negotium definitiuam sententia terminetur, si lis non fuerit contestata.

*De iuramento calumnie. Tit. VII.*

**P**rima obseruatio. Quoniam post oblationem libelli, & litis contestationem, sequitur ordine iudiciario, seruato iurare de non calumniando, ideo ponitur rub. de iuram. calum. Sic continuat gl. hic, & omnes DD. Quæ continuatio non est exacta, nam solum probat huc tit. exponendum esse post tit. de litis contest. non vero probat esse proponendum post tit. vt lite non contestata. Quare sic erit continuandus: viso quod post libelli oblationem non possumus procedere ad testium receptionem, vel sententiam definitiuam, nisi lis fuerit contestata, videndum est de iuram. calum. quod statim ordine iudiciario sequitur. Pro quo animaduerte, quod licet iure seu in ipsa lite & negotio a parte rei post litis contestationem sequatur iuramentum calumnie, tamen in doctrina quando de istis disputatur, bene potest aliquod medium reperiri, & idem post titulum de litis contest. sequitur titulus, vt lite non contestata & postea sequitur noster tit. de iuramento calumnie.

Secunda obseruatio: iuramentum, vt latius dicemus in titulo de iure iurando, est confirmatio veritatis illius, qui aliquid, Deo teste, dicit, vt colligitur ex glossa, verbo quod iuramentum, 22. q. 1. in principio. Calumnia vero, si in communi sumatur est nomen generale omnem ingenij malitiam comprehendens: si vero strictè sumatur, prout attinet ad nostrum institutum, est cum quis ex certa scientia iniuste agit, vel iniuste resistit, l. 1. §. calumniari. ff. ad Senatuscòsultum Turpilianum. Vnde calumniator est, qui sciens & prudens per fraudem aliquid negociatur, vel falsa crimina imponit, vt docet Othomanus, de verbis iuris, verbo, calumniari. Ex his ergo duobus, iuramentum, scilicet, & calumnia, conficitur titulus, *De iuramento calumnie*, qui sic explicandus est, id est, de iuramento calumnie vitandæ, vt docet Abbas in hac rubric: quemadmodum explicatur illud quod dicitur ca. nerui testiculorum in fine. dist. 1; scilicet, habeat vnusquisque suam propter fornicationem, id est propter fornicationem vitandam.

Tertia obseruatio: iuramentum calumnie est, cū quis iurat se bona fide, & non calumniandi animo, agere vel respòdere, l. 2. §. 1. C. de iure iur. propter calumnia dādo. Sed dices, quid còtinetur sub isto iuramento: seu quid iurat, qui hoc iuramentum præstat? Respondeo, in hoc iuramento de calumnia vitanda hæc quinque contineri, scilicet, quod iurans credit se bonā causam habere, quod interrogatus non negabit vera, quod nō utetur falsa probatione, quod dilationē nō petet in fraudē partis: deniq;

quod

quod nec dabit, nec dedit nec promisit nec promittet aliquid pro causa, nisi id, quod leges concedunt & illis quibus concedunt, ut salaria procuratoribus, & advocatis, & alia similia. l. 2. & authentica principalis C. de iureiurando propter calumniam dando. Ad quod hos versus ponit Hostiensis in summa in fine huius tituli. Illud iuretur, quod lis sibi iusta videtur. Et si quaeretur verum non inficietur. Nihil promittetur nec falsa probatio detur, ut lis tardetur dilatio nulla petetur.

Quarta observatio. Videamus qui debent de calumnia vitanda iurare, & quae sit illorum poena si iurare noluerint. Et ad primum respondeo, quod principales personae iurare debent prius tamen actor, & postea reus, & etiam illi qui alieno nomine agunt vel defendunt, ut procurator oeconomicus, Syndicus, Tutor, Curator, Pater, Advocatus, & alij similes. d. l. 2. §. 1. & auth principalis. C. de iureiurando. Ad secundum respondeo, poenam illorum qui nolunt iuramentum de calumnia praestare, esse, ut si est actor cadat a causa, & absolvatur reus: & si est reus habeatur pro confesso, & convicto, & condemnetur in ijs quae in petitione seu libello comprehensa fuerint, ut habetur. cap. ultimo. §. poena. isto. tit, & d. l. 2. §. quod si C. eodem.

Quinta observatio. Pro maiori intelligentia huius tituli notandum est hanc reperiri differentiam inter calumniari, praevanicari, & tergiversari, ut habetur in. l. 1. in principio. ff. ad senatus consultum Turpilianum, & est huiusmodi, quod calumniari est

falsacrimina intendere, præuaricari est vera crimina abscondere, & tergiuersari est in vniuersum ab accusatione desistere.

Hic titulus habet septem capita, continetur in.6. non vero in Clementinis: & de eius materia non assignant Doctores vbi in Decreto disputetur. Quod vero in eo continetur est id quod docuimus in quarta obseruatione, scilicet, qui debeant, & possint de calumnia iurare, & quæ sit eorum poena si non iurent. Sensus rubricæ est huiusmodi, *de iuramento calumnie*, id est de iuramento quo tam actor quam reus & eorû defensores, iurant vitare calumniã in lite.

*De Dilationibus. Tit. VIII.*

**P**rima obseruatio. Quia iudicio cœpto, & iuramento de calûnia præstito, de quo proxime egimus, sæpe contingit, quod dilationes petantur quandoque ad positiones faciendas, quandoque ad testes producendos, vel alijs de causis, ideo de dilationibus, quæ induciæ etiam solent appellari disputandum erit. Prius tamen animaduertendum, quod quamuis in rubrica absolute, & generaliter dicatur de dilationibus, nihilominus tamen in titulo nõ disputatur de omnibus dilationibus, sed solum de illis quæ dantur ante litis contestationem, vt ex ipsius capitibus apparebit: vnde in hoc titulo rubrum erit vniuersalius nigro, vt docet Abb. in præsentibus rubrica. Sed dices, quare si iste titulus solum agit de illis dilationibus quæ dantur ante litis contestationem, non ponitur ante titulum de litis contestationem.

testa-

testatione vel statim post titulum de libelli oblatione, cum libello oblato petantur, & concedantur dilationes, vel etiam post titulum de iudicijs, ante titulum de foro cōpetenti, cum etiam in vocacionibus ad iudicium petantur dilationes. Respondendum tamen est cum Ab. in hac rubrica, qui ex Ioanne Andræa hoc dicit recte potuisse hunc titulum in illis locis collocari, sed libere à compilatore decretalium in hoc loco propositum fuisse.

Secunda obseruatio. Dilatio sic diffinitur, est temporis in causa prorogatio. Vel sic, est facultas cuiusque agendi intra tempus moderatum à lege, vel à iudice, vel partium conuentione, vt docet Ab. cap. 1. isto. titu. num. 15. & Medices 2. parte de diffinitionibus. cap. 38. numero. 5. & dicitur dilatio, quia negotium differt. Ex vltima tamen diffinitione colligitur, quod triplex est dilatio, scilicet, alia legalis quæ datur à lege, seu à iure. Alia iudicialis quæ datur à iudice seu ab homine, & alia conuentionalis quæ datur ex conuentione partium, vt docet idem Abbas eodem loco. Et in hoc titulo indistincte de ijs tribus disputatur dummodo detur ante litis contestationem: nam vt diximas iste titulus agit de dilationibus, quæ ante litis contestationem conceduntur.

Tertia obseruatio. Variæ sunt ac multiplices dilationum species: nam aliæ sunt citatorix, l. ad peremptorium, cum sequentibus. ff. de iudicijs. Aliæ restitutorix. l. final. C. de in integrum restitutione. Aliæ deliberatorix, authentica officia.

offeratur. C. de litis contestatione. Aliæ reparatoria  
 seu præparatoria. l. 1. C. de dilationibus. Aliæ execu-  
 toria. l. 2. C. de usuris rei iudicatae. Aliæ reuocatoria  
 l. 2. §. legatis. ff. de iudicijs. Aliæ vocatoria seu feria-  
 les. l. 1. ff. de ferijs. Aliæ persecutoria auth. ei qui ap-  
 pellat. C. de temporibus appellationis. Aliæ saluta-  
 toria, vt pœnitentialis. Aliæ præceptoria. cap. præ-  
 terra, de appellationibus. Aliæ electoria. capite. ex  
 publico de conuersione coniugatorum. Aliæ experi-  
 toria. cap. laudabilem de frigidis, & maleficiatis.  
 Aliæ experimentoria. l. diffamari. C. de ingenuis.  
 Aliæ representatoria. cap. personas de appellationi-  
 bus. Aliæ ordinatoria. cap. cum incunctis de electio-  
 ne. Aliæ denique exceptoria, quæ conceduntur ad  
 proponendas exceptiones dilatorias. c. pastoralis. de  
 exceptionibus.

Hic titulus continet quatuor capita, & neque ha-  
 betur in. 6. neque in Clementinis, licet habeatur in  
 extrauagantibus communibus, & de huius tituli  
 materia disputatur. 3. quaestione. 2. & quaestione. 3. &  
 7. quaestione. 2. per totum. Quod vero in eo disputa-  
 tur est, qualis debeant esse dilationes, quibus dene-  
 gentur vel concedantur, & in quibus casibus nouæ  
 dilationes debeant concedi. Sensus vero rubricæ  
 est huiusmodi, de dilationibus, id est de pro-  
 rogationibus a iure litis contesta-  
 tionem à iure vel à iudi-  
 ce, concessis.



## De Ferijs. Tit. II.

**P**rima observatio. Quoniam egimus de illis dilationibus quæ dantur à iure vel à iudice, ideo agendum est de dilationibus, quæ à iure tantum conceduntur, scilicet, de ferijs, ferix enim largo modo dilationes appellantur, quanuis proprie non sint dilationes: vt docet Ab. cap. i. isto. titu. quod ex eo probat, quia omnes dilationes conceduntur ad aliquid explicandum, ferix vero solum ad quiescendum. Ex qua dilationum, & feriarum similitudine factum est, vt in. ff. sub eodẽ rubro proponantur in tit. de ferijs & dilationibus, & de diversis temporibus earũ.

Secunda observatio. Hoc nomen, *Feria*, aliter sumitur in Ecclesia, & aliter in Iure tam Ciuili quam Canonico. In Ecclesia enim sumitur pro quolibet die septimanæ, excepto primo, & ultimo, nã primus appellatur, Dominica propter Resurrectionem Domini quæ in eo die facta est, & vltimus appellatur sabbatum. Omnes enim ecclesiastici sic enumerant dies hebdomadæ, vt prima dies dicatur Dominica vel dies dominicus, seu dies Solis. Secunda dies quæ est dies Lunæ, dicatur feria secunda. Tertia dies quæ est dies Martis dicatur feria tertia. Quarta dies quæ est dies Mercurij dicatur feria quarta. Quinta dies quæ est dies Iouis, dicatur feria quinta. Sexta dies quæ est dies Veneris dicatur feria sexta. Et denique septima dies quæ est dies Saturni dicatur Sabbathum, qui est vltimus septimanæ. Et feria sic accepta dicitur à fando idest loquendo, quia Deus in creatione per singulos dies loquebatur, & dice-

dicebat fiat lux, fiat firmamentum &c. Et secundum hoc, dies dominica poterat dies feria prima, (licet non sit in Ecclesiasticorū vsu,) nā die dominica quæ fuit prima dies fecit Deus lucē, vt dicitur Genel. c. i. ubi. *Dixitque Deus fiat lux, & facta est lux & vidit Deus lucē quod esset bona, & diuisit lucē à tenebris, appellauitque lucē, diem, & tenebras noctem, factūque est vespere, & mane dies vnus, idest primus, qui nunc dominica vocatur.* Quia vero septima die non dixit, fiat, sed potius requieuit ab omni opere, vt explicat D. Tho. i. p. q. 73. art. 2. ideo septima dies non dicitur feria, sed sabbatum. In vtroque autem iure sumitur feria pro quiete vel cessatione negotiorum quæ in iure vel foro tractantur. Et feria sic accepta, dicitur à feriendis victimis, quæ in huiusmodi ferijs offerebantur. In hoc ergo tit. non sumitur feria primo modo, sed secūdo.

Tertia obseruatio. Feria prout in præfenti. tit. accipitur sic poterit diffiniri, Feria est solemnitas temporis in qua causæ tractari non debent. Sunt autem feriarum sex differentie: aliæ enim sunt repentinæ, quæ subito introducuntur à Principe, vt propter aliquam victoriā vel filium natū. l. a nullo. C. de ferijs. Aliæ sunt quæ introducuntur ob Dei reuerentiā, vt dies dominicus. l. omnes dies. C. eod. Aliæ ob honorem Principis, vt dies natalis vel coronationis ipsius. l. si. C. eod. Aliæ ad cessationem coniugiorum vt tempus quadragesimæ. c. non oportet, cum sequētib. 33. q. 4. Aliæ ob honorem ciuitatum, vt dies natalitij maximarum vrbium, vt Romæ, Conflarino polis. d. l. omnes dies. C. eod. Aliæ denique ob hominum

minum

minum necessitatem vel publicam utilitatē, vt sunt duo menses alius gratia messiū, & alius gratia vindemiarū de quibus agit. l. i. ff. de ferijs, & dilationib. & d. l. omnes dies. Quæ feriæ statuuntur secundū cōsuetudinem loci, & secundū varios terrarū ritus. l. præfides ff. isto. tit. vt in ciuitate Salmanticēsi in mēse Septēbris circa festum B. Mariæ amplissimæ sunt constitutæ feriæ, & in Ciuitate Oriolensi Patria mihi multis nominibus charissima circa festum Diui Martini in mense Nouembris abundantissimæ etiā feriæ celebrantur.

Quarta obseruatio. Quid possumus pertractare in diebus feriatis, & quid non, & an possimus ferijs renunciare vide Doctores in hoc tit. nam ista explicare non pertinet ad nostrum institutum. Quare solum breuiter videndum erit quomodo debeamus diem feriatum computare. Pro quo dicendum est, quod ad celebrationem diuinorum officiorum computatur à primis vesperis vsque ad secundas vespertas idest de medio die ad medium diem. c. 1 & 2. isto tit: qua etiam ratione Astrologi computant dies ad enumerandos motus, & cursus Planetarum. Præterea quoad iudicia computari debent de mane in vespere idest de luce in tenebras, seu vt melius dicam, à principio lucis vsque ad finem ipsius. capit. consuluit de officio & potestate. Et denique quoad contractus, & ieiunia, & opera seruilia, de media nocte in mediam noctem, d. c. consuluit de officio, & potestate,

Hic titulus cōtinet quinq; capita, nō habetur in 6<sup>o</sup> neque

neque in Clementinis, & de eius materia quantum ad ferias negotiorum, & alias colendas seu festivandas, disputatur. 15. quæst. 4. & de cons. d. 2. capit. 1. ac vero quantum ad ferias nuptiarum disputatur. 33. q. 4. per totum. Quod ergo de feriis in nostro titulo, dicitur est primo de celebratione diei dominicæ. Secundo, quod festa debent celebrari secundum consuetudinem regionis. Tertio, quod propter necessitatem licet in feria operi seruili intendere. Quarto quomodo nuptiarum feriæ obseruentur. Et quinto quomodo liceat feriis renunciare. Sensus autem rubricæ est, *De feriis*, id est de solemnitatibus temporis, in quibus causæ tractari non debent.

*De ordine cognitionum. Tit. X.*

**P**RIMA obseruatio. Quoniam elapsis feriis de quibus in titulis superioribus disputauimus, plures quæstiones aliquando proponuntur vel ab vna, & eadem parte vel à diuersis quandoque per modum reconuentionis, quandoque per modum exceptionis, & poterat dubitare iudex quo ordine esset tunc in illis quæstionibus procedendum, ideo ponitur hæc rubrica de ordine cognitionum. Quæ rubrica ex duabus vocibus componitur, scilicet, ordine, & cognitione. Ordo autem primo significat sextum Ecclesiæ sacramentum, de quo egimus lib. 1. titu. 11. obseruatione. 2. Secundo significat statum, & regulam monachorum seu religiosorum, vt ordo Diui Francisci, vel Diui Dominici, imo etiam significat diuersos

sos viuentium status, vt ordo militaris, ordo ma-  
 trimonij &c. Tertio denique significat seriem seu  
 collocationem, & dispositionem quarumcunque re-  
 rum: qua ratione communiter ab omnibus accipitur  
 vt in tit. ff. quis ordo in bonorum possessione obser-  
 uetur. Sicque commode diffiniri poterit; ordo est  
 cōpositio rerū in aptis, & accōmodatis locis. Vel sic  
 ex Aristotele: ordo est dispositio rerū secundū prius  
 & posterius. In hoc ergo. tit. in vltima significatione  
 sumitur nomē ordo, nō tamē ita late, vt quācunque  
 rerū dispositionē, & ordinē cōprehendat, sed magis  
 stricte, scilicet, pro dispositione, & ordine iudiciali.  
 Præterea, secunda vox ex qua nostra rubrica cōpo-  
 nitur est cognitio, quæ est cuiuscunq; potētix, &  
 de qualibet re instructio seu notitia. In qua diffinitio-  
 ne dicitur, *cuiuscunq; potētiæ*, vt comprehendamus  
 cognitionē sensitivā quæ fit à sensu, & cognitionē  
 intellectivā quæ fit ab intellectu. Et dicitur, *& de qua-  
 libet re*. vt omnium rerū cognitionē complectamur. In  
 præsentī tamē non sumitur in tā lata significatione,  
 nā hæc duo nomina in hac rubrica cōtenta ad inui-  
 cē se limitāt: quia nomē ordo nō significat quēcūq;  
 ordinē, sed ordinē cognitionū, & cognitio non sig-  
 nificat quācunq; cognitionem, sed cognitionē ordi-  
 nis iudicialis. Vnde sensus rubricæ est, quo ordine  
 debeat procedere iudex in cognitione eorū, quæ in  
 iudicio disputantur, idest quæ cognitio præcedat,  
 & quæ subsequatur quando plures causæ cognoscē-  
 da in iudicio concurrunt.

Secūda observatio. Vt ex superiori observatione cō-

stat, sensus nostræ rubricæ est, vt hic agatur de ordine cognitionū idest de ordine cognoscēdi causas in iudicio propositas, scilicet, quomodo debeat procedere iudex in earū cognitione, & terminatione quādo plures causæ in iudicio simul proponuntur. Et dico quando plures simul proponuntur, nā si proponatur vna solū, vel proponantur plures vna post aliam: nō pertinet ad præsentē titulū videre quo ordine sic procedendū: nā hoc esset ordinē iudiciariū in qualibet causa obseruandū explicare: de quo in toto hoc. 2. lib. decretalium disputatur. Et hoc est quod alij sic clarius explicant, vt dicant ordinē iudiciariū dupliciter in iure considerari, primo vnus causæ ad se ipsam: & secundo vnus causæ ad alterā causam. Vnius causæ ad se ipsam est quādo in vna, & eadē litē consideramus, quod primo fieri debeat citatio partis. Secundo libelli porrectio. Tertio litis cōtestatio. Quarto, iuretur de calūnia. Quinto fiant possessiones, & sic de alijs: & iste ordo quē huiusmodi partes in vna & eadē litē obseruant, est proprie ordo iudiciarius, de quo iā egimus in hoc lib. tit. 27. obseruat. 5. Præterea ordo vnus causæ ad alterā causam, est qui reperitur inter duas distinctas causas seu lites quando eodē tempore in iudicio concurrunt, vt si simul in iudicio quæstio proprietatis, & spoliij tractētur. In hoc ergo tit non disputatur de ordine vnus causæ ad se ipsam, nam de hoc ordine, vt diximus disputatur in toto hoc secundo decretaliū libro, sed disputatur solū de ordine vnus causæ ad alteram causam, vt sciat iudex cuius causæ cognitio debeat præcedere, & quæ

quæ subsequi, nam hoc significat nostra rubrica quã do dicit in hoc. tit. disputari de ordine cognitionũ. Tertia observatio. Ex Ab. in hac rubrica animadvertendũ est, quod posset quis dicere hanc rubricam esse superfluã, quia de eius materia iã agitur in tit. de mutuis petitionibus. Sed respondet idem Abbas inter hunc titulũ, & illũ esse maximã differentiam, nã in. tit. de mutuis petitionibus, quod principaliter tractatur est an reus possit reconuenire actorẽ, & corã quo iudice, & an quod observatur in causa conventionis debeat observari in causa reconventionis. In hoc vero. tit. tractatur principaliter quo ordine de cõuentione & reconuentione, vel quarũcunque aliarũ causarũ cognoscatur, vt patet in nigro. Sed huic difficultati ego clarius, respondeo dicendo, in. tit. de mutuis petitionibus disputari, de ipsis pluribus petitionibus rei, & actoris, in hoc vero. tit. non de ipsis petitionibus, sed de ordine cognoscendi, & terminandi ipsas petitiones. Quare neque est hæc neque illa rubrica erit superflua.

Hic titulus, cõtinet quatuor capita, nõ habetur in 6. neq; in Clemẽtinis, & de eius materia disputatur. 2. q. 2. & 3. q. 1. Quod autem in eo pertractatur, vt diximus est de ordine cognoscẽdi plures causas, vt rei uendicatio mariti, & cõsanguinitatis exceptio. c. 1. vel querela actoris, & exceptio rei de spolio. c. 2. vel petitio hæreditatis, & exceptio illegitimitatis. ca. 3. vel denique spolij actio, & spolij reconuentio. c. fin. Sensus autem rubricæ iam est explicatus in obseruatione prima, & secunda.

## De Plus petitionibus. Tit. XI.

**P**rima observatio. Quia supra vidimus de ordine cognitionū in cōmuni, ideo videndum est de quodā particulari ordine cognitionū, qui contingit quando reus excipit contra actorem quod plus petit quā ipse debet. Poterat enim dubitari iudex quo ordine esset procedendū in tali casu, & ideo ponitur rubrica de plus petitionibus, cum saepe contingat actores plus petere quam illis debeatur.

Secunda observatio. Voces huius rubricæ non indigent expositione, quia ipse per se manifestæ sunt, quare videndū erit quot modis cōtingat plus petere & quæ sit pœna plus petentiū, nam hæc duo pertractantur in hoc tit. vt patet in nigro. Ad quorum primū dico plus petere fieri quatuor modis, scilicet, causa, re, loco, & tempore. Vnde Host. in præsent. nu. 1. & glo. 1. §. plus autē in st. de actionibus proponunt hunc versum. *Plus petitur causa, tempore, re, loco.* Causa igitur plus petitur quando aliquid debetur in generali, vt equus vel seruus absolute, & in communi, & petitur in specie, talis equus vel talis seruus. Re plus petitur quando vero ego debeo decem, & petuntur viginti. Loco plus petitur quādo ego sum soluturus in aliquo loco mihi commodiori, & tu petis, vt soluam in alio loco minus cōmodo, vel vbi carius venditur id quod soluturus sum: quæ plus petitio præsertim habet locum, in his quæ in vno loco carius quam in alio venduntur, vt oleum, vinum, triticum. Tempore denique plus petitur quando ego debeo



debeo in diem vel sub conditione, & tu petis in diem vel ante conditionem. Qui omnes modi plus petendi habentur in capite vnico. isto titulo, & in §. plus autem instituta de actionibus. Quibus modis plus petendi propositis facile colligere poteris alios quatuor modos minus petendi, scilicet, causa, re, loco, & tempore: qui è contrario sunt explicandi, & diffiniendi. Nota etiã, q̄ ad hoc, quod est in creditore petere correspondet in debitore soluere, & ita quẽ admodum in creditore sunt quatuor modi plus petendi, & quatuor minus petendi: ita etiam in debitore erunt quatuor modi plus soluendi, & quatuor minus soluendi, quod potius pro ingenij dexteritate quam pro materiæ necessitate obseruandum volo.

Tertia obseruatio. Vt ad secundum, quod in hoc titulo disputatur veniamus sciendum est, quod pænna plus petentium erat olim, vt quicumque plus peteret nisi iuste deceptus fuisset à causa caderet. §. si quis agens instit. de actionibus, & §. appellantur instit. de exceptionibus. Hodie vero qui plus petit diu persistens in iudicio, si plus petit re, vel causa, vel loco, & reus aliquod damnum sustinuit circa sportulas, condemnabitur plus petens in triplum ipsi reo. §. tripli. instituta de actionibus, & §. sed hæc quidem antea, instituta, eodem: & condemnabitur etiam in alijs expensis quas reus in lite fecerit capite vnico. isto titulo. & glossa in præsentis verbo amplius. Denique qui plus petit tempore ponitur in eo, quod condemnatur in expensis, & dupli-

eantur induciæ ipsi reo, & non potest agere nisi ipsis iudicijs finitis, & expensis solutis. capite vnico. isto. titu. & .§. hodie autem inst. de exceptionibus, & d. §. sed hæc quidem inst. de actionibus.

Hic titulus vnicum habet capitulum, non continetur in .6. neque in Clementinis, & de ipsius materia communiter non assignant Doctores vbi in Decreto disputetur. Quod vero in eo pertractatur iam explicauimus in secunda, & tertia obseruatione. Sensus vero rubricæ facilis est, nam dicit, *de plus petitionibus*, idest de modis quibus contingit creditorem à debitore in iudicio petere, plus quam ipsi debeat.

*De causa possessionis, & proprietatis. Tit. XII.*

**P**rima obseruatio. Quoniam in ijs titulis disputatur de ordine cognitionū, & vidimus de ordine cognitionū in cōmuni, & de ordine cognitionum in plus petitionibus, ideo ponitur rubrica de ordine cognitionum in quæstionibus possessionis, & proprietatis, vt sit sensus, quando quæstio possessionis, & quæstio proprietatis ab eodē vel à pluribus simul in iudicium deducuntur quomodo iudex in earum cognitione, & terminatione procedere debeat.

Secunda obseruatio. Hoc nomen causa (quæ à casu quo venit dicitur,) valde generale est, significat enim omne id quod habet effectum: diuiditurque in materialem, formalem efficientem, & finalem: de quibus disputare Philosophorum est munus, & licet quandoque in vtroque iure pro aliqua ex prædictis acci-

accipitur, tamen in eodem iure proprie significat id cuius ratione lis mouetur l. si ex plagis §. in cliuo Capitolino. ff. ad legem Aquiliam. Lis autem est controversia iudicialis ex tali causa proueniens. Vnde causam dicunt multi esse negotium ante litis contestationem. c. ex conuentione de rest. spol. & c. forus de verborū significatione. Litē vero esse idē negotiū post litis contestationē. l. edita. C. de edendo, & ca. relatū. 20. de officio delegati. Sed licet ista vera sint, nihilominus tamen hoc nomen causa communiter quanuis improprie pro ipsa lite accipitur, vt l. 1. & l. cognitio. 8. ff. de liberali causa. l. postquam liti. C. de pactis. capite. causamque de electione. Confunduntur enim inter se lis, & causa, vt patet in d. l. postquam liti, & c. super quæstionū versis, quod si delegatus, de officio delegati, & Clementina vnica de causa possessionis, & proprietatis. Imo etiā confunduntur omnia ista nomina Causa, Lis, Negotium, Iudicium, Quæstio, & Contentio: vt docet cōmunis Doctorum in d. l. postquā liti. C. de pactis. In hoc ergo nostro. tit accipitur causa, pro ipsa lite, vt sit tituli sensus, de lite possessionis, & proprietatis.

Tertia obseruatio. Possessio (, quæ est fœcunda dicitio nostræ rubricæ) primo dicitur à pedibus, nā est quædā quasi pedū positio ad dominiū cōsequendū l. 1. ff. de adquirēda posses. quæ etymologia principium dictionis respicit. Secundo dicitur à sedibus, quia in ea sedebant qui possidebant, vt docet gloss. 1. in d. l. 1. quæ Etymologia finem dictionis respicit. Sed si liceret ex ijs duabus Etymologijs aliā ipse di-

finetam componerem, sci' cet, vt possessio dicatur à  
 pedibus, & sedibus simul, ita vt possessio sit quasi pe  
 dū sedes: & hæc Etymologia respicit finē, & princi  
 piū dictionis. Diffinitur autē possessio varijs modis  
 nā d. gl. i. tres tradit diffinitiones, & Ripa in præsen  
 ti quatuordecim refert. Potest tamen sic diffiniri, vt  
 tradatur diffinitio omnē possessionē cōprehendens.  
 Possessio est detentio rei ab eo qui rei insistit. Quæ  
 triplex est. Alia iuris tantū, alia facti tantū, & alia iu  
 ris, & facti simul: possessio iuris tantū est detentio rei  
 ab eo qui solo animo detinet seu possidet. § posside  
 re inst. de interdictis. Possessio tantū facti est quādo  
 quis actu rē contra ius detinet, vt si laicus rem sacrā  
 detineat dicitur possidere de facto c. quanuis sit gra  
 ue de decimis. Et dixi, contra ius, quia si ille qui pos  
 sidet de facto, possideat etiā de iure, non erit posses  
 sio facti tantū sed iuris, & facti simul. Denique pos  
 sessio iuris & facti simul est, quando duæ superiores  
 possessiones simul concurrunt: quæ aliquando ha  
 bet plus iuris, & minus facti, aliquando è contra, vt  
 docet glo. verbo interuenerit. l. i. C. de acquirenda, &  
 retinenda possessione. Alij tamen aliam proponunt  
 diuisionem, qua possessio alia est naturalis, alia Ciui  
 lis, & alia Ciuilis, & naturalis simul, quæ fere in om  
 nibus est huic similis. Vide tamen de illa glossam in  
 verbo, non possit. l. licet. C. de acquirenda possessio  
 ne. Obiter tamen hîc duo videnda sunt, primum  
 quid sit. Quasi possessio. Et secundum quid sit  
 Momentanea possessio. Ad quorum primum di  
 co. Quasi possessionem esse detentionem rerum  
 in

incorporalium: nā res incorporales proprie loquendo non possidentur, sed quasi possidentur, c. conquestus, de foro competenti. Ad secundum vero dico, momentaneam possessionem esse illam quæ apta est durare per momentū, vtdocet glos. verbo momēto in l. r. C. si de momentanea possessione fuerit appellatum.

Quarta observatio: Proprietas (quæ est tertia distinctio nostræ rubricæ) est idem quod dominium, ve multi volunt cum Bartolo & alijs, in l. locorum, C. de omni agro deserto. lib. 11. Ipse tamen rectius existimo cum Pinelo in l. 1. 2. p. n. 6. C. de bonis matris proprietatem à dominio distinguere: pro quo facit l. si emi. c. 5. illud, C. de secundis nuptijs, & l. proprietatis dominium, C. de probationibus. Distinguuntur autem sic, quod proprietas & dominium habent se sicut causa & effectus, nam proprietas diffinitur sic: proprietas est qualitas quædam quæ indicat rem ad hunc, & non ad alium pertinere. Dominium vero sic: Est ius plene ac libere disponendi de re secundū legis ordinationem. Ex quibus duabus definitionibus optime apparet, proprietatem & dominium, vt diximus distinguere, sicut causam & effectū, nam certe ius illud disponendi de re, oritur: tanquam à causa ab illa qualitate qua aliquid ita ad me pertinet, quod non ad alium. Ex quibus etiam definitionibus prima explicatione nō eget: secunda vero sic potest exponi, vt in ea, *ius*, habeat locū generis: & dicitur, *plene ac libere disponendi*, vt distinguatur dominium à iure disponendi, quod habent tutores, & curatores,

& alij similes, quod non est plenum & liberum, l. qui fundū, §. si tutor. ff. pro emptore. Vel dicitur, *ius disponendi*, ut distinguatur dominium à possessione, quæ non est disponēdi, sed insistendi. l. 1. ff. de acqui-  
renda possessione. Et denique dicitur, *secundum legis ordinationem*, quia leges prohibent, ne quis re sua ma-  
le utatur, §. sed & maior, inst. de his qui sui vel alieni  
iuris sunt, In fine tamen huius obseruationis scien-  
dum est, dominium esse duplex, scilicet, directum &  
utile: dominium directum est quando quis in ea re  
in qua dominium habet, nullum alium recognos-  
cit dominum vel superiorem. Utile verò est quando  
quis fructus rei tantum capit, ut est Emphyteuta,  
vel vassallus. Quas duas definitiones tradit Medi-  
ces. 2. p. de diffinitionibus, c. 66. n. 2. Et ponit etiam  
aliud quasi dominium, quod est quando quis rem à  
non domino emit, & talem rem sibi traditam, bona  
fide recipit, ut docet glossa verbo, dominij, in capite  
Abbate, de re iudicata, lib. 6.

Hic titulus continet octo capita, non habetur in  
Sexto quamuis habeatur in Clementinis, & de eius  
materia non assignant Doctores vbi in Decreto dis-  
putetur. Quod vero in eo pertractatur est primò,  
quod causa possessionis & proprietatis sub eodem  
indice debent pertractari. Secundò, quòd qui simul  
agit possessorio & petitorio & probat solum posses-  
sorium succumbit in petitorio. Tertiò, quod ante cõ-  
clusionem in petitorio, bene potest quis agere pos-  
sessorio adipiscendæ vel recuperandæ, nõ vero post  
nisi ante sententiam, & ex iusta causa. Quartò, quòd  
si pos-

si possessorio & petitorio simul agatur debent vna sententia pronūciari, & in terminando debet præferri possessorium, & in exequēdo debet præualere petitorium. Quintò, quòd qui probat possessionē collatoris sui beneficij, non præiudicat alteri agere de proprietate. Et denique quod petenti rem iure domini; possessorium probare non sufficit. Sensus autem nostræ rubricæ est huiusmodi, *De causa possessionis, & proprietatis*, idest, de lite possessionis, & proprietatis, quid iuris sit quando simul in iudicio concurrunt, seu quis ordo in earum cognitione debeat seruari.

*De restitutione spoliatorum. Tit. XIII.*

**P**Rima observatio. Quoniã supra disputauimus de causa possessionis, & restitutio spoliati causa possessoria fit: ideo post titulū de causa possessionis, sequitur titulus de causa restitutionis: ac proinde ponitur rubrica quæ dicit, *De restitutione spoliatorum*. In qua de restitutione & spolio aliqua opus erat disputare: sed quia de restitutione iam vidimus in lib. 1. tit. de in integrum restitutione, obseruatione. 2. ideo solum de spolio aliqua breuiter dicemus.

Secunda observatio: Hoc verbum spolio, spoliatus, significat idem quod priuare, & deducitur à militibus, quia quæ ab hostibus capiunt vocant spolia, & à militibus deducitur ad quoscunque alios qui bona aliorum inuite accipiunt. Quare spoliator vocabitur ille, qui alium suis bonis priuat. Spoliatus vero ille qui suis bonis priuatur. Ex quibus animaduert-

• maduertendū erit, q̄ quando in isto tit. dicitur, de re-  
stitutione spoliatorum, hoc genitiuum, spoliatorū,  
potest intelligi duobus modis, scilicet, tam vt deri-  
uatur a nomine spoliator, quā à nomine spoliatus,  
& si primo modo sumatur erit sensus tituli, idest, de  
restitutione quæ debet fieri ab spoliatoribus: si ve-  
ro secundo modo accipiatur, erit sensus, idest, de  
restitutione, quæ debet fieri spoliatis. Qui duo sen-  
sus fere nihil inter se differunt, prout in præsentē de  
restitutione spoliatorum disputatur: nam vna & ea-  
dē restitutio est quæ fit de spoliatis, & quæ fit ab spo-  
liatoribus, & sic supradicta distinctio non est cōfide-  
rabilis in nostro titulo.

Tertia obseruatio: Quod præcipue in hoc titulo  
disputatur est, an spoliatus sit omnino restituendus  
vt patet in nigro: tum quia de iure communi spolia-  
tioni debet sua restitutio respondere: tum etiā, quia  
spoliator, vel qui eius causam habet, cogitur resti-  
tuere rem & omnes fructus, & omne damnum resar-  
cire, cap. grauis, infra isto tit. Diffinitur autem resti-  
tutio spoliatorum sic. Est ablatorū in iudicio redin-  
tegratio. Spoliatio vero diffinitur sic: Spoliatio est  
rei possessæ mobilis vel immobilis violenta & iniu-  
riosa ablatio. In qua diffinitione illa particula, abla-  
tio, habet vim generis: & dicitur, rei possessæ, quia  
qui non possidet spoliari non potest. Dicitur, mobi-  
lis, vel immobilis, quia tam ex ablatione rei mobilis  
quā immobilis patitur quis spolium. Dicitur, vio-  
lenta, quoniam si quis volens re sua priuetur, non cō-  
mittitur spolium, neque in iudicio actione spolij, re-  
stitue-



stituetur. Vt enim aliquis spoliatus dicatur, & restitutionem in iudicio petere possit, duo requiruntur. Primum est vt vere possideret, & secundum vt violenter possessionem amitteret, quæ duo debent in iudicio probare omnes qui aduersus spoliantem agere volunt, vt docent communiter Doctores in toto isto titulo. Et denique dicitur, iniuriosa, quoniam non solum sufficit violentia, sed etiam requiritur iniuria, nam quando verus dominus bello continuato inter ipsum & spoliante, rem à qua spoliatus erat consequitur, in tali casu rem aufert per violentiam, & tamen quia iniuriam suo spoliatori non facit, ideo spolium committere non videtur, l. 3. §. cum igitur. ff. de vi & vi armata. c. si in fi. 3. q. 1. & c. olim, el primo, isto tit. at vero bello minime continuato, si verus dominus spoliante spoliauerit debet restituere, & poterit compelli per interdictum, vnde vi, §. recuperandæ, & §. sed ex constitutionibus, inst. de interdicitis. Competit enim interdictum vnde vi contra spoliante, vel mandante, vel ratum habentem, cum ad sedem, infra isto tit. siue vi, vel clam, vel precario spoliauerit, d. §. recuperandæ, instituta de interdicitis.

Hic titulus continet decem & nouem capita. Habetur in Sexto, non vero in Clementinis, & de eius materia disputatur 2. q. 2. & 3. q. 1. & 2. per totum. Quod vero in eo pertractatur est: præcipue, an semper spoliatus sit restituendus. Denique quibus interdicitis agere possit contra spoliante, & denique, an & quando agenti de spolio possit exceptio vel reuocatio

uentio

uētio proponi. Sensus autem nostræ rubricæ est, *De restitutione spoliatorum*, id est, de redditione rerum spoliatarum, quæ fieri debet ab spoliatoribus, ipsi spoliatis.

*De dolo & contumacia. Tit. XIII.*

**P**rima observatio: Viso in titulo superiori de his qui extra iudicium spoliât, sequitur videamus de his qui in iudicio, dolo vel contumacia aduersariorum defatigâtur, & restitutionē cōsequi impediuntur. Vel continua sic: quoniam contingit aliquando vt spoliatus qui ex decreto iudicis restitutus est, propter dolum & contumaciam restitui non potest, idē agendum est de dolo & contumacia.

Secūda observatio. Dolus dicitur à delēdo, quia qui dolo utitur delet veritatē, vt docet Calepin. in verbo dolus, & accipitur tã in bonã quã in malã partē, vt ait gl. ver. neq; zelus, c. 2. de officio custodis, nã sepius accipitur pro illicita fraude & machinatione quæ fit ad decipiendū aliquē, l. ideoq; ff. de dolo malo: aliquando etiã accipitur pro prudēti solertia & calliditate, quæ aduersus hostes, vt aduersus latronē adhibetur, l. 1. §. nō fuit, ff. de dolo malo. Et hinc est quod apud Iuriscōsultos, apud quos fere semper dolus accipitur in malam partē, nō dicitur absolutē dolus, sed dolus malus, vt patet in l. qui sine. ff. de regulis iuris, & ff. de dolo malo per totū, vi sic faciant distinctionem a dolo bono. Quare in nostro tit. quādo dicitur, de dolo & contumacia, intelligendus est de dolo malo & contumacia. Diffinitur autē dolus malus hac ratione: Dolus malus est calliditas, fallacia, machi-

machinatio, ad circumueniendū, fallendum, vel decipiendum alterum adhibita, l. 1. §. dolum. ff. de dolo malo. In qua diffinitione singula singulis referantur, vt dicamus, dolus malus est omnis calliditas ad circumueniendum, fallacia ad fallēdum, & machinatio ad decipiendum, vt docet Medices 2. p. de diffinitionib. c. 30. n. 2. Ex quibus calliditas cōmittitur, vt in tacendo, vt si venditor defectum rei venditæ tacerit, l. 1. §. venditor, ff. de actionib. empti. Fallacia committitur in mentiendo, in his quæ quis falso asserit ex certa sciētia, l. falsus. ff. de furtis. Machinatio denique committitur vt in arte verborū, l. Iulianus. §. idem. ff. de actionibus empti.

Tertia obseruatio: Contumacia (de qua loquitur secūda pars nostræ rubricæ) dicitur à contemnēdo, est enim quædam inobedientia, vt dicitur in eius definitione, quæ est huiusmodi: Contumacia est erga iudicem, vel prælatum commissa inobedientia: quæ varijs modis committitur, aliquando enim committitur, non veniendo, aliquando non respondendo, aliquando, non restituendo, aliquando non emendando delictum, aliquando non exhibēdo, & deniq; aliquando, latitando, absentando se, & procurando ne ad se perueniat citatio. Et de his est tex. in c. certum. 11. q. 3. & glos. ver. occultat, in c. quoniam vt lite non contestata. Præterea, contumacia triplex est, scilicet, euidentis, vera & ficta. Euidentis est contumacia illius qui dixit se non venturum, vel si venit, sine causa recessit. Vera est contumacia illius quem citatio apprehendit & non venit. Ficta deniq; quæ

quæ alio nomine vocatur interpretativa, est contumacia illius quem citatio non apprehendit, ut cōtingit quando quis citatur ad domum. De quibus omnibus disputat glossa magna circa principium in Clementina vnica isto tit. Deprehenditur autem & cognoscitur contumacia ex eo quod contumax tribus edictis citatus est, vel vno peremptorio pro tribus, & tamen non venit, aut si venit non obedit, sed potius sine licētia recedit, vt l. contumacia ff. de re iudicata, &c. de illicita, 34 q. 4. & cap. certum. 11. q. 3. Est autem peremptorium ille terminus in citatione (vel alia re simili) positus, qui totum negotium de quo in foro agitur perimit, ita vt non liceat aduersario ultra tergiuersari. Postremo contumax est qui erga iudicem vel prælatum committit inobediēciam: seu vt docet Othomanus de verbis iuris, verbo, contumax, est ille, qui tribus edictis propositis, vel vno peremptorio pro tribus, sine causa præsentiam sui facere contemnit, vel præceptis iudicis non obtemperat, l. ablentem ff. de pænis, & l. 1. § propter. ff. de postulando.

Hic titulus continet decem capita: & habetur in Sexto, Clementinis, & in extrauagantibus communibus, & de eius materia agitur. 1. q. 9. & 4. q. 5. & 5. q. 2. & 3. per totum, & ca. certum. 11. q. 1. Quod verò in eo præcipue disputatur est, de pænis propter dolum vel contumaciam inferendis, siue dolus & contumacia committantur ab actore, siue à reo. Sensus verò rubricæ est huiusmodi, *De dolo*, id est, de calliditate, fallacia aut machinatione actoris vel rei, & *De contumacia*

macia, idest, de eiusdem actoris vel rei erga iudicē,  
vel prælatum inobedientia.

*De eo qui mittitur in possessionem causa rei ser-  
uandæ. Titulus. XV.*

**P**Rima obseruatio. Quoniam contingit multo-  
ties quod propter dolum seu cōtumaciam ad-  
uersæ partis, is, qui prælens est, ponitur in  
possessionem rei petitæ, ideò post titulū de dolo, &  
cōtumacia ponitur titulus de eo qui mittitur in pos-  
sionem causa rei seruandæ. Et quia de possessio-  
ne iam egimus in titulo de causa possessionis & pro-  
prietatis, obseruatione. ; solum in præfenti videndū  
erit, quid sit mittere in possessionē causa rei seruandæ.

Secunda obseruatio. Quotiescunque reus contu-  
max est, & nō venit in iudicio responsurus, inter plu-  
ra remedia quæ dantur ad eius contumaciam capes-  
sendam, alterum est suum aduersarium mittere in  
possessionem bonorum ipsius, vt sic in iudicium ve-  
niat, l. vnica, ff. si quis ius dicenti non obtemperaue-  
rit. Quæ missio in possessionē duplex est, alia cau-  
sa custodiæ, seu causa rei seruandæ, & hæc est, quæ  
alio nomine dicitur ex primo decreto: de qua fere in  
toto isto tit agitur, quæ in beneficijs ecclesiasticis,  
vel dignitatibus dari non potest, ne per hoc, ad bene-  
ficia pateat viciosus ingressus c. vnico isto tit. lib. 6.  
Alia verò est causa verè possidendi, vel dominij ac-  
quirendi, quæ alio nomine vocatur ex secundo de-  
creto: de qua in glos. verbo constituat, c. contingit,  
L de de-

de dolo & contum. Sed animaduerte ex dictis, quòd istæ duæ missiones in possessionem non sunt idem, quod primum & secundum decretum, sed fiunt ex primo & secundo decreto, & idem erit dicere, missio in possessionem causa rei seruandæ: & idem missio in possessionem ex secundo decreto, atq; in possessionem causa vere possidendi. Quare trãseamus ad explicandum quid sit primum, & quid secundum decretum, vt missiones quæ ex ipsis fiunt, melius intelligantur.

Tertia obseruatio: Hoc nomẽ, decretum, varia significat, vt sup. in præfatione pro tyronibus vidimus, in præsentì tamen solum accipitur pro iussu & præcepto iudicis, quo præcipit bona alicuius propter eius contumaciam ab aduersario suo detineri vel possideri: nam est quoddam remedium quo vtuntur iudices aduersus contumaces. Interponitur enim tale iudicis decretum ad cõpescendam contumaciam reorum, vt scilicet videntes bona sua ab aduersario possideri veniant responduri in iudicium, l. cù proponas, & Authentica, & qui. C. de bonis authoritate iudicis possidendis, glos. in l. si finita. §. si plures, verbo, prius. ff. de damno infecto. Deriuatur enim hoc nomen decretum à verbo, decernere, quod significat, cognoscendo statuere & præcipere, l. 1. ff. de constitutionibus principum. Et decretum isto modo acceptum duplex est, scilicet primum & secundum. Primum decretum est primus iussus iudicis, quo præcipit bona cõtumacis in pænã contumaciæ à suo aduersario seruari & detineri, l. 2. ff. ex quibus causis in possessionem eatur, & l. 2. ff. de ferijs, qui si per annum

annum seruauerit vel detinuerit (reo semper in contumacia existente) verus efficitur possessor, cap. quoniam frequenter. §. finali. vt lite non contestata, ita vt non indigeat secundo iudicis decreto, vt docet glossa, verbo constituetur in d. cap. quoniam frequenter. §. in alijs. Secundum decretum est secundus iussus iudicis, quo præcipit rem contumacis à suo aduersario ita accipi vt verus efficiatur possessor, & aliquando dominus, vt si rem quam possidet vsucapiat, potest enim vsucapere secundum glossam in verbo reseruata. §. quod si in d. c. quoniam frequenter, & textus in §. Iulianus, l. si finita, ff. de damno infecto, iuncta glossa ibidem, verbo dominium. Nec obstat si dicas præscribere non posse, quia habet malam fidem, ex eo quòd scit, rem alienam esse: nam respondeo, quòd etsi sciat, rem alienam esse, potest habere bonam fidem, saltim putatiue, & in effectu, quia qui authore iudice comparauit, bonæ fidei possessor est, l. qui authore, ff. de regulis iuris. Effectus igitur primi decreti est, vt res custodiatur, non vt vere possideatur, l. possidere, §. vitimo, ff. de acquirenda possessione, & cap. contingit, isto titulo. Effectus vero secundi est, vt actor verus efficiatur possessor, & aliquando dominus, l. si finita. §. Iulianus. ff. de damno infecto.

Quarta obseruatio. Ex supradictis facilis est tituli expositio, nam dicit de eo qui mittitur in possessionem causa rei seruandæ, & exponitur, idest, de illo actore qui propter rei contumaciam mittitur in

possessionem bonorum aduersarij, causa illorū seruandorum seu ex primo decreto. Et quamuis rubrū solum loquatur de missione in possessionem ex primo decreto, nihilominus etiam nigrum disputat de missione in possessionē ex secundo decreto: & sic in hoc titulo nigrū erit vniuersalius rubro, vt docet glos. in præfenti rubrica, & omnes fere doctores in per eam, & in c. 1. infra isto tit.

Hic titulus habet quatuor capita: habetur in Sexto, non verò in Clementinis: & de eius materia non est vbi in decreto disputetur. Quod autem in hoc titulo tractatur est, quòd si agens reali actione missus fuerit in possessionem ex primo decreto, post annū efficitur verus possessor, nisi reus cautionem iudicibus infra annū obtulerit. Deinde dicitur, quòd passus missionem si repetit possessionem, allegās se contumacem non fuisse, debet in pristinum statum, præstita cautione restitui, & euitat cōdemnationem expensarum, si postea constiterit eum non fuisse contumacem. Et denique dicitur, in c. fin. quod contra absentem, qui non dimisit procuratorem, facta citatione domi, nullo eum defendente, fit missio in ipsius bonis. Sensus autem rubricæ est huiusmodi: De eo qui mittitur in possessionem causa rei seruandæ, id est, de illo actore, qui mittitur in possessionem bonorum rei, propter ipsius rei contumaciam.



*vt lite pendente nihil innouetur. Tit. XVI.*

**P**Rima obseruatio. Dictum est supra, qualiter immutatur status rerum & bonorū illius qui abest per contumaciā, sed ne crederet aliquis quòd eodē modo posset aliquid immutari & innouari circa statū causæ, de qua iam lis pendet sine contumacia rei, ideo subiicitur hæc rubrica, vt lite pendente nihil debeat innouari. Quæ ius & legem constituit, ex eo quòd negative ponitur, ac proinde poterit allegari & citari sicut allegat nigrum, vt diximus supra titulo, vt lite non contestata, obseruatione. 1.

Secunda obseruatio; Quoniam iam supra in tit. de litis contestatione vidimus quotuplex sit lis, & vnde dicatur, ideò in præsentī de lite præcise sumpta, nihil dicendum erit, sed de litis pendentia aliqua videamus. Hæc ergo verba, litem pendere, duas possunt habere significationes, altera est qua significat litem esse in suspenso, quod contingit vel per appellationem, c. pastoralis, §. præterea, de officio delegati, vel per recusationem iudicis, cap. secundò requis, de appellationibus, vel per consultationem superioris, cap. nomen, 2. q. 1. vel per dilationem datam, c. significante, de appellationibus, in quibus casibus & alijs similibus, lis est in suspenso. Altera verò est, qua significat idem quod litem esse motam, seu litē existere, siue sit in suspenso siue non: & in hac significatione accipitur, in præsentī rubrica, quando dicit: *vt lite pendente nihil innouetur.* Quare videndum erit quando incipiat lis pendere, seu existe-

re, & quando pendere seu existere desinat. Et quo ad primum dico ex Clementina vnica, isto titulo litem pendere statim atque à iudice competenti citatio emanauit, & ad partem peruenit, vel pro ea extitit quominus peruenisset, dum tamen in citatione, talia sint expressa, per quæ plene possit citatus institui, super quibus in iudicio conuenitur. Quoad secundum verò dico litem desinere pendere, lite finita, quod sæpissimè fit per sententiam à qua non fit appellatum, vt docet glossa, verbo, postquam. Clementina. 2. isto tit. Quare à tempore prædictæ citationis seu litis motæ, vsque ad litem finitam, in quo tempore dicitur lis pendere, docet noster textus, nihil esse innouandum. Videamus ergo, quid dicere velit in illis verbis, *nihil innouetur.*

Tertia observatio: Nihil innouari in præfenti est nihil de nouo facere: vnde quando dicit noster titulus, quod lite pendente nihil innouetur, nihil aliud dicere intendit, quàm quòd pendente lite nihil de nouo fiat. Circa quod duo vidèda sunt, alterum est, qui sint illi quibus prohibetur innouare; & alterum quid illis innouare prohibeatur. Et ad primum dico neq; iudicem neque actorem, neque reum lite pendente innouare posse, capite. 1. & capite Ecclesia, & ultimo isto titulo, quòd si innouauerint debet innouatum retractari, d. c. Ecclesia, isto titulo, quod enim contra legem fit, per legem dissolui meretur, cap. vides, dist. 10. Ad secundum respondeo, nō posse innouari quidquid erit in præiudicium aduersarij, vt

sarij, vt docet Hostiensis in Summa, isto tit. §. & qualiter, nam innouatio, quæ nulli adfert præiudicium fieri potest, vt docet Felinus in c. cæterum, de rescriptis. num. 15.

Quarta obseruatio. His præmissis sic exponi poterit nostra rubrica, vt *lite pendente nihil innouetur*, id est, vt à tempore motæ litis vsque ad litem finitam non liceat iudici vel parti aliquid de nouo facere in præiudiciũ aduersarij. Sed dices, nonne rescriptum impetrare lite pendente est in præiudicium aduersarij, tum etiam bonos exhibere testes, & alia multa, quæ tantũ permittuntur fieri lite pendente? Respondeo, nõ dici in præiudicium partis fieri id quod iure fit: non enim fit parti præiudicium, ex eo quòd ipse meo iure utar. l. nullus videtur. ff. de regulis iuris. Vnde titulus intelligendus est de innouatione rerũ quæ lite pendente non iure fiunt, & parti nocent, vt alienare rem litigiosam. c. Ecclesia, infra isto tit.

Hic titulus habet quinque capita: habetur in Sexto & Clemētinis, & de eius materia agitur in. q. i. c. ult. & 16. q. 4. ca. volumus. Quod vero in eo disputatur est, quòd lite pendente non debet quis priuari sua possessione, neque debet res litigiosa alienari, neque valet priuilegium datum lite pendente, si non faciat mentionem litis pendentiæ. Sensus vero rubricæ iam est expositus in superiori obseruatione.

*De sequestratione possessionũ & fructuũ. Ti. XVII.*

PRIMA obser. Quoniã tit. super. dictũ fuit lite pendente nihil innouadũ & per hoc dubitaret iudex, an possit sequestratio (cũ innouatio sit) lite pendente

fieri, vel potius fuerit in titulo superiori prohibita: ideo ponitur rub. de sequestratione, quæ quia potest fieri, vel de possessione, de qua agitur, c. 1. vel de fructibus, de qua in c. 2. & fin. proinde dicit rubr. *de sequestratione possessionum & fructuum*. Aduertendum tamen est nihil nos disputaturos de possessione, quoniã de ea egimus in tit. de causa possessionis & propriet.

Secunda observatio: Hoc verbũ sequestro sequestras significat plures contendentes aliquid apud aliquẽ deponere, vt finita cõtrouersia detur victori, & dicitur sequestratio, ex eo quòd is apud quem deponitur in detinendo vel possidendo rem est sequens post litigantes, vt habetur l. Sequester, ff. de verborum significatione. Vel dicitur ex eo quod vtraque pars contendentium sequitur fidem Sequestri, vt docet Othomanus, de verbis iuris, verbo Sequester. Ex dicto verbo, sequestro, oriuntur hæc nomina sequestratio, sequestrum, & sequester. Sequestratio est depositio rei de qua controuertitur à pluribus litigantibus apud aliquem facta, vt docet Hostiensis in Summa isto titulo, num. 1. In qua definitione, depositio est genus, & dicitur, rei, de qua controuertitur, nam res sequestratur vt post litem detur victori, l. ei apud quem, ff. depositi, quod nõ posset fieri, si nõ sequestraretur res de qua controuertitur. Dicitur, à pluribus litigantibus, quia hæc est differentia inter depositum & sequestrationẽ, quòd depositam potest fieri ab vno vel à pluribus, sequestratio verò à pluribus tantum, vt habetur in l. licet. ff. depositi. Et deniq; dicitur, apud aliquẽ facta, nã sequestratio fit in

fit in aliquem tertium seu medium, qui dicitur Sequeſter, vt in d. l. Sequeſter ff. de verborum ſignificatione. Præterea ſequeſtrum eſt ipſa ſequeſtratio iam facta. l. proprie. ff. de poſiti, licet aliquando ſumatur pro ſcriptura quæ de ſequeſtratione conficitur. Poſtremo Sequeſter eſt ille apud quem plures litigantes rem de qua controuerſia eſt depoſuerunt. d. l. Sequeſter. ff. de verborum ſignificatione.

Tertia obſeruatio. Præter differentiam ſupra traditam inter depoſitum, & Sequeſtrum, ſcilicet, quod depoſitum fiat ab vno vel pluribus, ſequeſtrum vero à pluribus tantum: hæc alia differentia poteſt aſſignari, videlicet, quod in depoſito res vere poſſidetur à ſuo domino, nam ſolum deponitur cauſa cuſtodix d. l. licet. ff. de poſiti. in ſequeſtro vero non poſſidetur à ſuo domino, ſed Sequeſter poſſidet. d. l. licet. ff. eod. Sed hoc non eſt indiftincte verum, nam vt docet Hoſt. in ſumma iſto titulo. num. 3. duplex eſt ſequeſtratio, alia quæ fit cauſa omittendæ poſſeſſionis & tunc neuter litigantium poſſidet, ſed Sequeſter. l. intereſſe puto. ff. de acquirenda poſſeſſione, vt quando res de conſenſu partium ſequeſtratur. l. ſi ſoluturus. ff. de ſolutionibus. Alia vero eſt quæ fit ſolum cuſtodix cauſa, & tunc poſſeſſio remanet penes primum poſſidentem. d. l. intereſſe puto. ff. de acquirenda poſſeſſione.

Quarta obſeruatio. Tandem in fine tituli notandum eſt ſequeſtrationem generaliter eſſe prohibitam, vt patet in titulo. ff. & C. de prohibita ſequeſtratione pecuniæ: Vnde ſi permittitur eſt cauſaliter, vt

de consensu partium, vel authoritate iudicis, quia persona possidens est suspecta, vel propter alias causas quas refert Host. ubi supra. numero 4. qui vult in nostra rubrica esse subintelligendam hanc particulam, (prohibita,) vt legatur sic. *De prohibita sequestratione possessionum, & fructuum.* Sed hoc non multum interest, quia etiam antiquitus legebat ista rubrica, *de Sequestratione possessionum rerum, & fructuum,* & tamen modo legit solum, *De sequestratione possessionum, & fructuum.*

Hic titulus tria tantum continet capita, habetur in Clementinis non vero in. 6. & de eius materia tractatur. 2. q. 7. cap. quoties, & c. Episcopus. d. 77. Quod vero in eo disputatur est, quod res in quam facta est missio nō debet sequestrari, nisi missus in possessionem fructus dissipet: & quod si reus appellat à sententia contra se lata, & interim fructus rei litigiosæ dissipat, debet fieri sequestratio. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. *De sequestratione possessionum, & fructuum,* id est de depositione rerum vel fructuum de quibus litigatur apud aliquem facta à quo dum lis pendet possideatur, vt lite finita victori restituatur.

*De confessis. Tit. XVIII.*

**P**Rima observatio. In hac rubrica multæ assignantur continuationes à Doctoribus, nam Abbas assignat tres, & Hostiensis qui alias vnam, & breuem assignare solet proposit quatuor, quod est mihi maximum argumentum neutram illarum esse omnino exactam, sed qualescunque illæ sint hanc ex  
 ipsis

ipsis proponere possumus. Quoniam visum est in superioribus titulis de modis quibus ordinatur iudicium, videndum erat de modis quibus causa instruitur, & sic de probationibus tam in genere, quam in specie, sed quia aliquando cōtingit antequam onus probandi suscipiatur reum confiteri, & sic non esse necessarias probationes, ideo post supradicta, & ante titulum de probationibus agendū erit de confessis.

Secūda observatio. Confessio dicitur à con, quod est simul, & fateor, fateris, ideo, quia qui confitetur simul cum alio, scilicet cum interrogante aliquid fatetur. Quæ duplex est, alia pœnitentialis, de qua in presenti non disputatur. Et alia iudicialis, quæ definitur hac ratione. Cōfessio est attestatio veritatis facta sponte vel vi, negando vel affirmando, in iudicio vel extra. Fit autem confessio sex modis. Primo ore proprio. c. 1. & 2. 15. q. 6. Secundo rei euidencia quæ nulla tergiversatione possit celari. l. qui sententiam C. de præn. Tertio nimia contumacia. ca. nullus de præsumptionibus. Quarto paciscendo super crimine. l. quoniam. ff. de his qui notantur infamia. Quinto aliquando tacendo. l. 2. §. ultimo ff. soluto matrimonio, nam qui tacet consentire videtur, l. qui tacet. ff. de reg. iur. Sexto denique negando solū unū, quando queruntur duo, nā aliud videtur cōcedi. ca. nonne de præsumptionibus. Confessus autē est ille qui veritatē attestatur sponte vel vi, negando vel affirmando, in iudicio vel extra. Quæ autem, requiruntur, vt confessus pro conuicto habeatur vide per Hostiens. in summa isto. titulo. numero. 1. qui his

his versibus omnia requisita comprehendit. *Maior, sponte sciens, dominus, pars, l. s, sed & in se, Confessus certum, compos præiudice, iure. Damnatur, ne ius, favor, aut natura repugnet.*

Hic titulus tria continet capita habetur in .6. sed non in Clementinis, & de eius materia tractatur. 15. quæst. 3. & 6. & 8. per totum, & cap. nos in quemquã 2. quæst. 1. Quod autem in præsentis titulo disputatur est primo, quod ad dictum coasitentis proprium crimen non infigitur alteri aliqua pœna. Secundo quod si quis confitetur proprium crimen, in iudicio incidenter, potest iudex ordinarius nouum inchoando processum, illum punire pœna ordinaria, & tertio, quod nocet Ecclesiæ confessio œconomi, licet possit reuocari si ante finitum negotium doceatur per errorem facti emanasse. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. *De confessis, idest de ijs qui veritatem attestantur sponte vel vi, negando vel afirmando, in iudicio vel extra.*

*De probationibus. Tit. XIX.*

**P**Rima obseruatio. Quoniam si aduersarius non confiteatur, vt in titulo superiori, sed potius proposita neget, & contra negantes necessarię sint probationes, nam vt dicitur. cap. accusator. 6. q. vltima parte negante habet asseuerans probare: ideo proponitur hæc rubrica de probationibus: in genere tamen, & in communi, vt deinde facilius descendamus ad alias probationes in specie: nam sic procedunt



dunt tituli. ff. & C. de probationibus, proindeque in plurali numero, tam hic quam in. ff. & in C. scribuntur.

Secunda observatio. Probatio quatuor habet significationes. Primo enim significat laudare. Secundo experimentum facere. Tertio permittere, & quarto aliquid demonstrare: de quibus, vide Calepinum in verbo probo. In hoc tamen tit. solum capitur probatio in quarta significatione. Sed non indistincte, nam si probatio fiat argumentis, non est presentis instituti, sed pertinet ad disputationes scholasticas, nam in disputationibus utimur argumentis ad probandum, qua ratione disputare de probationibus ad Logicos spectat, & ita accipienda est Azonis definitio dicens, probationem esse rei dubiae per argumenta ostensionem. Si vero probatio per media iuridica fiat, tunc pertinet ad nostrum institutum, & de probatione seu probationibus sic acceptis in hoc titulo disputamus. Media autem iuridica novem sunt per quae fieri potest probatio, scilicet, testes, ut patet in titu. de testibus, & attestationibus. Instrumenta, ut titulo, de fide instrumentorum Facti evidentia. capi. evidentiam de accusationibus. Confessio. cap. cum ad sedem de restitutione spoliatorum. Scriptura antiquorum librorum. cap. cum causam isto titulo. Violenta praesumptio. cap. dixit dominus. 32. quaest. 1. Fama cum alijs praesumptionibus. capit. tertio loco isto titulo. Iuramentum, ut in titulo de iureiurando, & c. si vero aliquis de sententia excommunicationis. Et denique Aspectus cap. proposuisti isto titulo. Ex quibus

med. js

medijs probationum constituunt Doctores nouem probationum species, nam alia est probatio quæ fit per testes, alia quæ per instrumenta, &c. de quibus hos duos versus constituunt. *Aspectus, cultum, testis, notoria, scriptum, Iurans, confessus, presumptio fama probant.*

Tertia obseruatio. Probatio dicitur ab aduerbio probe: quia qui probat probe agit, nam manifestat dubium, vincit aduersarium, & euitat pœnas non probantium. Vel dicitur probatio quasi pro palatio, vel manifestatio eius, quod est dubiũ. Vel deniq; dicitur quasi proba actio, probus enim actus est probare, & manifestare veritatẽ. Quas etymologias adducit Abb. in hac rubrica. numero. 2. in versi. ad secundum. Diffinitur autem probatio, vt alias non exactas diffinitiones omittamus, hac ratione. *Probatio est rei dubie in iudicio per legitimos modos facta declaratio, quã tamquã meliorem tradit Abbas in præfenti, numero primo. Sed visa diffinitione, & natura probationis posset aliquis dubitare an confessio de qua egimus titulo superiori sit probatio. Cui respondeo non esse probationem, sed potius probationis releuationem, nam si reus confitetur releuat actorem ab onere probandi, vt docet glossa in rubrica de confessis. Et certe cum ad probationem non perueniatur, nisi in defectum confessionis, confessio non erit probatio, vt docet Felinus in præfenti rubrica, numero sexto. Quare quotiescunque apud Doctores inuenias confessionem inter probationum species connumerari, sicut & nos in superiori ob-*

ri obseruatione fecimus, intelligere debes id improprie fieri, nam vt dixi confessio non est vere, & formaliter probatio, sed eminenter idest valet tantum quantum valeat probatio, nam ea interueniente non indigemus probatione.

Hic titulus continet quindecim capita, non habetur in sexto, bene vero in Clementinis, & de eius materia agitur 6. quæstione vltima, & c. de illicita. 24. quæstione. 3. & c. multis distinctione. 44. Quod vero in præsentis disputatur est de multis speciebus probationum tam actoris quàm rei, vt per instrumenta per ius iurandum, per literas, per acta, per libros antiquos, per testes, per famam, & denique dicit quæ probationes admittantur, & quæ non, & alia similia ad probationem in communi pertinentia. Sensus vero rubricæ facilis est, nam dicit, *de probationibus*, idest de declarationibus rerum dubiarum quæ sunt in iudicio per modos à iure constitutos.

*De testibus & attestationibus. Tit. XX.*

**P**rima obseruatio, cum visum fuerit de probationibus in genere, de probationibus in specie restat pertractare, sed quia illa probatio potissima est quæ fit per testes, ideo de testibus in præsentis rubrica disputatur antequam sermo fiat de probationibus quæ sunt per instrumenta, per præsumptiones, & per ius iurandum, de quibus infra disputatur: nam de illis solum habetur rubricæ particulares, de alijs vero probationum speciebus, incidenter in titulo de probationibus, & alijs tit. pertractatur. Et ponitur

nostra

nostra rubrica in plurali, quia nullo iure potest quis vno tantum teste condemnari, sed in omni causa regulariter saltem duo testes exiguntur. capi. licet isto tit. qui si concordet, Contestes appellantur.

Secunda observatio. Hoc verbum, *testor*, duo significat, primo testamentum facere, & inde oriuntur testator, testatio, & testamentum, de quibus agemus in tit. de testamentis. Secundo significat testimoniū facere, & ex eo oriuntur testis, testificatio seu attestatio, & testimonium. Ex quibus testimonium proprie loquendo est scriptura, in qua continetur testificatio ipsius testis. Alia vero duo, scilicet, testis, & attestatio sunt ex quibus nostra rubrica componitur: nam dicit rubrum. *De testibus & attestacionibus*, id est de personis quæ testificantur, & eorum testificationibus. Quamvis aliqui, vt Anastasius Germonias in Paratitla huius tituli dicant, testes, & attestaciones, res esse ita diuersas, vt duas distinctas probationum species constituent: nam inquit testes esse præsen-tes, & attestaciones esse dicta testium absentium: pro qua doctrina citant legem tertiam. §. idem Diuus ff. de testibus, & l. i. ff. de fide instrumentorum.

Tertia observatio. Testes olim dicebantur. Superstites, vt habetur in c. forus. §. testes de verborum significatione, eo quod super statu causæ proferebantur, modo autem prima parte nominis sublata testes dicuntur ex eo, quod tuentur causæ statum. Sumitur autem testis duobus modis, primo improprie, & in quadam ampla significatione: qua ratione comprehendit tam homines, quam alia animata vel inanimata

mata quæ in alicuius veritatis confirmationem deducuntur : qua ratione aura est testis venditionis inst. in principio, de emptione, & venditione. Imo etiã Poetæ improprijssime adducunt montes, & arbores in testimonium aliquarum rerum : & testis in hac significatione sumptus sic potest diffiniri: testis est rei gestæ probator. Secundo modo sumitur proprie pro persona quæ testimonium dicit, qua ratio desputatur in hoc titulo, & diffinitur sic. Testis est persona idonea quæ vel sponte vel interrogata aliquid probat negando vel affirmando. Attestatio vero est idem, quod testificatio, & potest breviter sic diffiniri. Attestatio est dictum testificantis: vt docet Abb. in fine huius rubricæ: nota tamen, quod attestatio, alio vocabulo communiter dicitur, Depositio, vt probatur. cap. cum causam, & capite. de testibus, & in alijs multis capitibus infra isto titulo. Quare attestatio, testificatio, & depositio, idem sunt, vt ex superioribus patet. Publicatio vero attestatorum, est quando dicta testium coram partibus leguntur, vt partes sciant, quomodo testes deposuerunt, vt docet glossa in casu positione Clementina 2. de testibus.

Quarta observatio. Sciendum est, quod quilibet in tellem producit nisi prohibeatur. l. 1. §. 1. ff. de testibus. Prohibentur autem, vel ratione conditionis, vt seruus cap. forus de verbor. signif. vel ratione sexus, vt si sit foemina, quæ repellitur in criminali. c. vlt. 23. q. 1. de. Vel ratione ætatis, vt maior septuaginta annorum. l. inuiti ff. de testibus. Vel ratione discretionis,

vt furiosus. c. 1. §. tria. 3 q. 7. Vel ratione famæ, vt in famis. c. testimonium isto titulo, vel ratione fortunæ vt pauper, si simul sit meretricator, vel potator, secus si bonæ famæ sit, & fidelis, argumento. §. vlti. inst. de suspectis tutoribus. Vel denique ratione fidei, vt hæreticus, vel Sarracenus contra fideles. c. excommunicamus de hæreticis. Hæc docet Host. in summa isto. tit. n. 2. quæ comprehendit his duobus versibus. Cōditio, sexus, ætas, discretio, fama. Fortuna, fides, in testibus ista requiruntur. Si autem ex prædictis admittantur in aliquibus casibus, vel dētur plures quibus etiam testificari prohibeatur non est nostri instituti. Interim tamen scito, quod nullus est idoneus testis in causa sua. l. nullus. ff. eod. & l. omnibus. C. eodem. In fine tamen huius obseruationis sciendum est, testes interrogari exacto prius iuramento de veritate dicenda. l. iurisiurandi. C. isto. tit. licet hoc iuramentum de Iure Canonico possit à parte remitti. ca. tuis infra isto tit. Forma autem iurisiurandi est, vt iurent non procedere ad ferendum testimonium, odio, amore, timore, vel commodo. c. quoties, & ca. licet, et secundo isto. tit.

Hic titulus continet quinquaginta sex capita, habetur in 6. & Clementinis; licet in Clementinis nō dicat, *de attestantibus*; de eius materia habetur. 4. quæstione. 3. & 2. quæstione. 4. & 3. quæstione. 5. & quæstione. 9. & 14. quæstione. 55. & quæstio. 6 per totum, & 2. quæst. 1. c. in primis, & 6. quæst. 1. c. infames, & 9. q. 3. c. quisquis Quod vero in hoc tit. disputatur est qui possint esse testes: qui sint idonei, quales debeant.

beant esse testes quomodo, & quando recipiantur testes, & attestations, quomodo repellantur testes per exceptiones contra eos oppositas, qui testes contra clericos recipiantur, & alia similia. Sensus vero rubricæ est, *De testibus, & attestacionibus*, id est de personis quæ aliquid probant negando vel affirmando, & de dictis earum.

*De testibus cogendis vel non. Tit. XXI.*

**P**rima observatio. Quoniã supra disputatum est de testibus, & eorũ attestacionibus, & pnterat esse dubiũ an testes cõpellendi sint ad testimoniũ proferendũ: ideo subiicitur rubrica, *de testibus cogendis vel non*. Vel continua sic. Quoniã aliquando testes odio, vel amore, vel timore, vel cõmodo, vel denique gratia partis aduersæ contra quã debent deponere, non volunt testimoniũ dicere: quo casu officio iudicis compelli possunt, vt docet textus in. c. super & in. c. peruenit, & c. cæterum isto. titu. Ideo, vt sciamus quo casu debeant cogi, ponitur rubrica, *de testibus cogendis*. In qua aliquando præsertim in antiquis non legitur illa particula, *Vel non*.

Secũda observatio. Ad huius tituli expositionem non est necesse dicere quid vel quo duplex sit testis nam ista iam explicata sunt titulo superiori, sed solum videamus qui testes cogendi sunt, & qui non. Pro quo dico primo. Testes alios esse priuilegiatos qui cogi non debent, alios non priuilegiatos qui saepe coguntur, vt colligitur ex. l. inuiti. ff. de testibus. Secundo dico veritatem aliquando posse ha-

beri sine testibus priuilegiatis, aliquando non. Quibus positus respondeo, quod licet omnes testes generaliter cogantur, vt. l. si quando. C. de testibus, & l. i. ff. eodē: nihilominus tamen dicendū erit, quod si veritas potest haberi sine testibus priuilegiatis nō sunt ipsi cōpellendi. l. inuiti. ff. eod. poterunt tamen compelli omnes alij non priuilegiati. c. super eo. isto. tit. Si vero veritas non potest haberi sine testibus priuilegiatis etiam ipsi cōpellendi sunt. c. 2. c. peruenit el segūdo, & c. vlt. isto. tit. Quæ vera sunt de Iure canonico, vt docet Host. vbi sup. nu. 3. Sciendū tamen est primo per sententiā excommunicationis posse cogi non solū testes, sed etia omnes ipsos testes impediētes, & occultantes. c. cū causam de testibus, & attestationibus. Sciendum etiā est secundo nō valere iuramentū quo quis iuraret testimoniū non dicturū. ca. intimauit, & c. constitutis de testibus, & sic non obstante tali iuramento esse cogendos.

Tertia obseruatio. Testes priuilegiati sunt senes, valetudinarij, milites, & qui cū magistratu Reipublicæ causa absunt, & illi quibus in urbē venire non licet, quia sine dedecore apparere non possunt. d. l. inuiti. ff. de testibus. Item mediator, vt in authentico, de testibus. §. quoniam. Item clerici cap. statutum. 2. questione. 6. Item frater contra fratrem, in magnis criminibus, secus in minimis, argumento legis, si magnum. C. de his qui acculare non possunt. Item quilibet homo contra locerum suum, vitricum, generum, priuignum, sobrinum, & omnes alios qui in priori gradu sunt, vel contra parentem patroni,



troni, vel libertus viri contra uxorem, vel libertus uxoris contra virum, vel patroni contra libertos, & liberti contra patronos, vel denique libertus patroni mei contra libertum meum: de quibus agitur. c. 3. versi. lege Julia 4. q. 3.

Hic titulus continet vndecim capita, non habetur in 6. vel in Clementinis, & de eius materia agitur. capite. statuendum. 2. quest. 6. Quod vero in eo disputatur est qui testes cogantur, & in quibus causis, & quibus pœnis. Sensus vero rubricæ facilis est: nam dicit, *De testibus cogendis vel non*, id est de testibus compellendis, vel non compellendis ad proferendum testimonium.

*De fide Instrumentorum. Tit. XXII.*

**P**rima observatio. Egimus supra de potissima specie probationis, quæ fit per viuam vocem, scilicet per testes: modo agendum erit de ea quæ fit per vocem mortuam, scilicet, per scripturam, vnde docet Felinus in hac rubrica in principio, & sic proponitur titu. de fide instrumentorum. In quo quid sit fides, quotuplex sit, & vnde dicatur nõ erit opus disputare, cum iam id pertractatum sit libr. 1. tit. de summa Trinitate, & Fide Catholica. Sed solum erit aduertendum fidem in præsentis sumi pro credulitate: vnde quando rubrum dicit, *De fide instrumentorum* exponendus est, id est, de credulitate seu fide, quam instrumenta faciunt.

Secunda observatio. Instrumentum nomen valde generale est: primo enim significat id quo mediante fit opus: & sic sumitur apud Logicos, & Philosophos,

diffiniturque hac ratione, instrumentū est id quo intercedente fit actio. Secundo significat apparatus quo aliquid ut fundus, taberna, vel alia similia instruuntur quomodo accipitur in .titu. ff. de fundo instructo, & instrumento legato. Tertio significat id quo aliquis docetur. Unde dicimus instrumentum vetus pro lege veteri, qua docebantur antiqui patres: & instrumentum nouum, pro lege noua, qua Christi fideles edocētur. Ex his vero tribus significationibus solū nobis est necessaria tertia significatio, nā sub illa continetur instrumentū de quo in præsentī disputatur: & dicitur instrumentum ab instruo, & à mente, quia instrumentū sic acceptum est id quod instruit mentem. Unde eius Etymologia est, quod fit quasi instruens mentem.

Tertia observatio. Instrumentū, tertio modo sumptum, adhuc potest duobus modis accipi. Primo improprie in ampla, & generali significatione, scilicet, pro omni eo, quod potest mentē instruere, qua ratione etiā testes veniūt appellatione instrumētī cū causam instruant. l. r. ff. de fide instrumentorū, & etiam quælibet scriptura, ut rescriptū apostolicū. ca. ex literis isto. tit. vel privilegiū. c. contingit etiā isto. tit. & alia similia, ut decretales Epistolæ. ca. quod super, & c. pastoralis infra hoc eodē. tit. Secundo vero modo sumitur proprie, & in stricta significatione, scilicet, pro scriptura quæ fit ad alicuius rei probationē in futurū faciendā: sūt enim scripturæ, ut quod actū est, per eos facilius in futurū probari possit. l. contra hitur. ff. de pignoribus. In hoc ergo tit. quando dis-

puta-

putamus de fide instrumentorum sumitur instrumentum in hac secunda significatione, scilicet, pro omni scriptura facta ad fidem faciendam. Hæc autem scriptura duplex est alia principalis seu instrumentum principale, quod alijs tribus nominibus vocatur Originale Authenticum, vel exemplar. Alia vero est ex principali transcripta, quæ etiã vocatur. Iudex exemplum, sumptum, & memoria De quibus vide in gl. l. l. ff. de fide instrumentorum, & in authenti. si quis in aliquo C. de edendo. Inter quæ scripturæ seu instrumenta hæc est differentia, quod instrumento autentico per se, & sine alterius adminiculo adhibetur fides. c. 2. isto. tit. non vero instrumento privato, nisi authenticetur vel per testes, vel comparationem litterarum probetur. l. instrumenta. C. de probationibus.

Hic titulus continet sex decim capita, nõ habetur in 6. vel Clementinis, & de eius materia agitur. c. testes. 3. q. 9. §. si debitum. Quod autem in eo disputatur est ostendere quã fidem faciant instrumenta, quæ requiratur, ut instrumento fides adhibeatur quæ suspensum faciant instrumentum, de exhibitione instrumentorum, & quousque possint instrumenta produci. Sensus denique rubricæ iam exposuimus in prima observatione, ut scilicet, dicat, *De fide instrumentorum*, id est de credulitate quam instrumenta facere possunt.

*De Præsumptionibus. Tit. XXIII.*

**P**rima observatio. Quoniã supra disputatum est de duabus principalioribus probationum speciebus, agendum est iam de tertijs, scilicet, de præsumptione, quæ aliquando facit plenam probationem.

quãdoque semiplenã, & deniq; alias præsumptiones  
coadiuuat, vt patet ex multis huius titul. capitibus.

Secunda obseruatio. Præsumptio tria significat. Pri-  
mo enim significat idem quod prius affirmare seu ac-  
cipere, nã pro est ante, & sumptio est acceptio, quasi  
sit prior sumptio seu acceptio. Secundo significat cú  
audacia aliquid intentare: vnde quãdo leges aliquid  
sub pœna præcipiunt, dicunt, nullus hoc attẽtare præ-  
sumat sub tali vel tali pœna, vt c. quantã in princi-  
pio & c. sacro de sententia excommunication. Ter-  
tio denique significat argamẽtum seu iudicium ali-  
cuius rei occultæ, vel dubiæ: de qua in toto isto titu.  
disputatur, nã in eo in hac significatione accipitur  
præsumptio, & aliquando exitimatio vocatur. Diffi-  
nitur autem tribus diffinitionibus ab Host. in sum-  
ma isto tit. nu. 1. nobis tamen hæc diffinitio placet.  
Præsumptio est, coniectura rei dubiæ ad veritatem  
eliciendam. Quæ diffinitio colligitur ex ista rubri-  
ca in principio.

Tertia obseruatio. Præsumptionum septem sunt  
species, nam alia est iuris tantum, alia iuris, & de iu-  
re, alia contumaciæ, alia naturæ, alia famæ, & alia fa-  
cti. Præsumptio iuris tantum, est quando ius aliquid  
præsumit, sed super eo nihil statuit, vt si maritus  
diu habitauit cum vxore præsumit ius illam cogno-  
uisse si ipse id dicat, etiam si ipsa neget. c. contineba-  
tur de desponsatione impuberum: bene tamen ad-  
uersus eam admittitur probatio in contrarium. cap.  
nec aliqua. 27. q. 1. Præsumptio iuris, & de iure, est  
quando ius aliquid fingit seu præsumit, & statuit  
aliquid

aliquid super ficto: & hæc non admittit probationem in contrarium, vt si quis semel deierauerit, præsumit ius iterum deieraturum: & ideo de iure statuit, non admissurum in testem, cap. testimonium, de testibus. Præsumptio contumaciæ est, vt quando Episcopus citauit suum clericum, & ipse non redit ad Ecclesiam præsumitur dereliquisse eam, argumento sumpto è contrario sensu ex capite præsentium, 7. q. 1. & contra istam admittitur probatio in contrarium: cap. omnibus vobis, 2. q. 5. Præsumptio naturæ est vt cum ex hæredo filium meum, præsumitur contra me, quòd iniuste ex hæredaui eum, & hoc propter naturam, & ideo hæredes mei probare tenentur, quòd iniuste ex hæredauerim, l. omnimodo. C. de inofficioso testamento. Præsumptio famæ est vt quando quis infamatur: nec apparent alia iudicia, & hæc admittit probationem in contrarium, cap. cum iniuuetute, isto titulo. Præsumptio denique facti, quæ etiã admittit contrariam probationem, est illa quæ consurgit ex facto: & est varia ac multiplex secundum varias temporum relationes inter se, nam alia est facti præteriti ad futurum, quæ fundatur in illa regula, semel malus semper præsumitur esse malus, cap. semel. de regulis iuris lib. 6. vel è contra futuri ad præteritum, & sic sunt aliæ multæ, sed nõ multum necessariæ, de quibus & de supradictis, vide Hostiensem in Summa isto titulo, num. 4.

Quarta obseruatio: Alij aliam etiam proponunt diuisionem præsumptionum, & dicunt esse triplicem, aliam temerariã, quæ consurgit à malis hominibus

ex puerilibus & leuibus suspicionibus, quæ repro-  
bata est, cap. 1.2. q. 1. Aliam probabilem seu verisimi-  
lem, quæ cõlurgit ex multis causis & suspicionibus,  
& hæc admittitur ad probationem semiplenam, vt  
cap. sollicitè, de restitutione spoliatorum, & coadiu-  
uat ad probationem, si sint alia adminicula, vt in c. à  
nobis, qui matrimonium accusare possunt. Aliã de-  
nique violentam, quæ est illa, quæ sufficit ad pro-  
nunciandum, vel condemnandum, vt si inuenia-  
tur solus cum sola, nudus cum nuda, & in lecto est  
violenta præsumptio, & sufficiens ad pronuncian-  
dum & condemnandum de adulterio, capite, literis, isto  
titulo.

Hic titulus continet sexdecim capita: non habe-  
tur in Sexto neque Clementinis, & de eius materia  
agitur cap. ferrum, dist. 20. & cap. absit. 1.1. q. 3. Quod  
verò in eo disputatur est, quomodo in vnaquaq; cau-  
sa præsumatur, quod in varijs præsumptionum spe-  
ciebus ostenditur. Sensus verò rubricæ facilis est,  
nam dicit, de præsumptionibus, id est, de rei dubiæ  
coniecturis.

*De iureiurando. Tit. XXIII.*

**P**rima obseruatio: Quoniam deficientibus alijs  
probationibus recurritur ad iusiurandum, quod  
etiam probationis species est, vt patet l. sed et si  
possessore §. si ff. isto tit. idè post illarum disputatio-  
nem de iureiurando disputandum erit. Est enim ius-  
iurandum maximum remedium expediendarum li-  
tium, l. 1. ff. isto titulo, & omnis controuersiæ finis,

vt c.

vt capite, et si Christus, isto titulo.

Secunda observatio. Hæc tria nomina, Iuramentum, Sacramentum, & Iusiurandum, in iure idem significant. Ex quibus iuramentum dicitur ab eo q̄ qui iurat ius mente dicit, id est, quod iustum est mente profert, quod fit dicendo verum: & idè definitum est in titulo de iuramento calumniæ, obseru. 2. Iuramentum est confirmatio veritatis illius qui aliquid, Deo teste dicit. Præterea Sacramentum licet cōmuniter mysterium seu rei sacræ arcanum significet, in qua significatione dicuntur septem esse Ecclesiæ sacramenta. capite, sacrificium, 32. de consecratione, dist. 2. Nihilominus tamen in iure idem significat quod iuramentum, vt patet in authentica, sacramenta puerum. C. si aduersus venditionem: & dicitur Sacramentum, quasi per facta adstringimentum, vt docet Abbas in præsentibus, rub. num. 1. Iusiurandum denique dicitur à Ioue, & à iurando, nam cum olim pro summo Deorum iurarent Gentiles, scilicet, pro Ioue, inde fiebat, quod iuramentum appellaretur, Iouis iurandum, & ita modo corrupto vocabulo dicitur iusiurandum, vt docet Cicero. 3. libro officiorum, & explicat Iustus Lipsius lib. 1. electorum, capite. 18.

Tertia observatio: Videamus quid sit iuramentum, & quamuis variæ de ipso tradantur definitiones, nos solum duas proponemus. Prima est: iuramentum est actus inuocationis diuini numinis, ad confirmationem, seu testimonium veritatis, quam definitionem ex Baldo tradit Felinus in hac rubr. versi.

nam dum aliqui. Sed dices, aliquando iuramus per creaturas: ergo iuramentum non semper est inuocatio Diuini nominis. Respondeo: quod quando iuratur per creaturam est in ordine ad Deum: nam Deus reputatur in qualibet re creata, & sic vel explicite, vel implicite semper iuramentum est inuocatio nominis Diuini ad veritatem confirmandam: nam iurare solum per creaturas omnino vetitum est, ne honor Creatoris tribuatur creaturis. Sed iterum dubitabis, hac ratione potest fieri inuocatio creaturæ in contumeliam Dei, vt si quis iuraret per Diabolum, sed tunc non est dicendum quod inuocatur nomen Diuinum: ergo contra solutionem superiorem. Sed respondeo, quod si quis iuraret per Diabolum, non esset iuramentum, vt docet Felinus in hac rub. vers. aliquando. Secunda definitio: Iuramentum est assertio vel negatio de aliquo licito possibili & honesto sacre rei attestatione firmata, quam definitionem tradit Medicus, sup. de definitionibus. ca. 4. n. 1. In qua definitione illæ particule, assertio vel negatio, habent vim generis. Et dicitur, de aliquo licito possibili & honesto, quia de istorum contrariis non valet iuramentum, nam non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum, can. non est obligato: de regul. iur. lib. 6. Et denique dicitur, rei sacre attestatione firmata, nam iuramentum debet fieri per rem sacram, vt si fiat per Deum, vel per creaturam in ordine ad Deum, vt super Euangelia, vel Crucem, vel aliam similem rem. Inter has autem duas definitiones hæc est differentia, quod prima traditur de iuramento in communi, id est, de omni iuramento, siue iusto



iusto siue iniusto, siue valido, siue inualido: secunda verò traditur solū de iuramēto licito, & valido: quare vtraq; bona erit, & reddi poterit secundum disputationis varietatem.

Quarta obseruatio: Videamus quæ requirantur, vt iuramentum sit validum, & ex quibus partibus cōtingere potest vt inualidum sit. Et ad primum dico, quò præter illa tria quæ docet D. Hieronymus, scilicet vt iuretur in veritate, iudicio, & iustitia: quatuor alia requiruntur: primò vt possit seruari absq; interitu salutis æternæ. Secundò, quòd primo & per se nō sit contra publicam vtilitatem, licet secundario sit contra ipsam. Tertiò, quòd non sit contra bonos mores naturales. Quartò deniq;, quod non tendat in præiudicium tertij. Ad secundum dico: iuramentū posse fieri inualidum, ex omnibus partibus quæ assignantur ab Hostiense in Summa isto tit. nu. 4. quas his duobus versibus comprehendit: *Sit iusurandum licitum discernere notādo. Quis, cui, quod, per quod, ad quid, cur, quomodo quēndo.* Sed dubitabis, quare iuramentū prohibetur in secundo præcepto Decalogi, si multo ties licite potest fieri. Respondeo, iuramentum absolute nō prohiberi, sed prohibetur iurare in vanum, vel respondeo, quòd prohibetur frequentia iurandi propter periculum periurij.

Quinta obseruatio: Dux communiter traduntur diuisiones iuramenti. Prima est, iuramentum aliud voluntarium, aliud necessarium, aliud iudiciale: voluntarium, quod etiam conuentionale dicitur est quod pars parti extra iudicium præbet, ideo sic dictum

ctum quia ex voluntate defertur, & voluntate suscipitur, & si relatum vel delatum fuerit volūtarie etiā suscipitur vel recusatur, l. iusiurandum, quod. ff. de iure iur. Necessarium est quòd ipse iudex defert parti & eam contingit ad iurandum, & ita non potest referri nec recusari, nisi præter datur iusta causa recusatōnis, l. generaliter. §. siue autē, C. isto tit. Iudiciale est quòd defertur à parte alteri parti in iudicio, iudice illud approbante, quòd non est necessariū subire, imò potest recusari, l. delata, C. isto tit. Et de his tribus specialibus iuramenti agitur in titulo. ff. de iure iur. nā dicit illa rub. *De iure iurando, siue volūtario, siue necessario, siue iudiciali.* Secūda diuisio est, iuramentū aliud execratoriū, aliud assertoriū, & aliud promissoriū: Execratoriū est, quādo aliquid affirmamus vel negamus, dicēdo quòd si nō est ita, aliquid malum nobis eueniat. Assertorium est quo confirmamus aliquid esse vel non esse, ca. Quintaualis, infra isto tit. Promissorium est quo promittimus aliquid dāturos vel facturos, cap. cum contingat, isto titulo.

Hic titulus habet triginta sex capita: Habetur in Sexto & Clementinis, & de eius materia agitur 22. q. 1. 2. 4 & 5. & 35. q. 5. per totū, & c. autoritatem. §. à fidelitatis. 15. q. 6 & 2. q. 6 fere per totum. Quòd autem de iure iurando disputatur & hìc disputatur est, quæ iuramenta valeant, & quæ non, & quomodo relaxētur, differātur, vel recusentur. Præterea, quomodo & quādo obligat iuramentū, qui sint periurij, qui teneātur iurare. & qualis sit forma iuramenti. Et deniquè iniquum iuramentum non esse seruādum, periur-

periuros esse puniendos, & metu iurantes esse à iuramento absolvendos, & alia similia. Sensus autem rubricæ facilis est, nam dicit, de iure iurando, id est, de inuocatione diuini numinis, ad cōfirmationem seu testimonium veritatis.

*De exceptionibus. Tit. XXV.*

**P**rima obseruatio. Hunc tit. sic continuat Glos. in præsentī. Visum fuit in superioribus, de armis actorum, scilicet, de probationibus, quibus actores muniuntur ad agendum, sicut lanceis, & gladijs ad pugnandum, ac proinde videndum est de armis reorum, scilicet, de exceptionibus quibus muniuntur, sicut clypeis, & loricis ad propulsandas actiones vel intentiones actorum.

Secunda obseruatio: Excipere varias habet significationes: primò enim significat ad extra recipere: secùdò cadētē suscipere & tueri: tertid ab aliqua generalitate vel cōmunitate aliquem legregare, & detrahere, qua ratione fallentiæ regularum generalium dicuntur exceptiones: quartò deniq; significat actorem excludere vel repellere. Et in hoc tit. solum accipitur in hac quarta significatione. Qua ratione, in primis excipere est idē quod excludere, infringere, & expugnare, l. Paulus. ff. de exceptionibus, & deinde, est idem quod se defendere, l. 1. & l. æquitate. ff. de doli exceptione: & denique secundum antiquos, est idem quod præscribere. nam præscribere significat actioni modum & limitationem imponere, quod certe fit per exceptionem. l. qui cum tutoribus. ff. de transactionibus. Vnde in ff. & C. ponitur

titulus, *De exceptionibus, seu præscriptionibus.*

Tertia observatio. Exceptio sic diffinitur: Est actionis exclusio, vt habetur l. 2. & dict. l. Paulus. ff. isto ti. & l. qui ætate. ff. de doli exceptione. Quæ diffinitio antiquitus semper recepta fuit. Sed moderni & glossa dicta. l. 2. ff. de exceptionibus, dicunt non esse optimam, quod probare nituntur hoc argumēto. Quando actor, qui non habet actionem solum de facto agit. tunc si reus excipiat, non excludit actionem, cū nulla detur actio: ergo male dicitur exceptionem esse actionis exclusionem. Quare multi sic diffiniunt exceptionem: Exceptio est actionis vel intentionis exclusio. Sed dicendum est vtramque diffinitionem optimam esse: Et posse nos argumento respondere quòd quando in priori diffinitione dicitur, actionis exclusio, nomine actionis debemus intelligere, tam actionem veram, quàm fictam, vt colligitur ex glossa verbo, intentionem, d. l. 2. ff. eod. Cognita tamen de diffinitione exceptionis videndum est, quid sit replicatio, quid duplicatio, qui triplicatio, & sic de cæteris. Dico ergo, quòd replicatio est exceptionis exclusio: & duplicatio est replicationis exclusio, & triplicatio est duplicationis exclusio, & sic de alijs, vt patet ex dicta. l. 2. in prin. ff. isto titulo. Contingit enim quòd reus excipiat contra actorem, quod dicitur exceptio, & quod postea actor excipiat contra exceptionē rei, & hoc dicitur replicatio: deinde potest reus excipere contra replicationem actoris, & hoc dicitur duplicatio, & sic de alijs multis, prout causæ necessitas postulauerit.

Quar;

Quarta obseruatio: Exceptio multiplex est, potissima tamen diuisio est huiusmodi: Exceptio alia est perpetua, seu incidens, quam cōmuniter vocamus, peremptoriam: alia vero temporalis seu emergens, quam communiter vocamus dilatoriam, d. l. 2. & 3. ff. isto titulo, & glossa verbo, in dilatorijs, ca. exceptionem, isto tit. Peremptoria est, quæ semper locum habet & causam perimit, vt si petas à me decem quæ tibi debeo, & ego excipiam quod remisisti tale debitum, est exceptio peremptoria, vt patet in §. appellatur, inst. isto tit. Dilatoria est, quæ causam differt, non tamen perimit, vt si agas pro procuratore, & ego excipiam talem non esse legitimum procuratorem, est exceptio dilatoria, nam non perimit causam sed illam differt, d. §. appellantur, inst. eod. De quibus duabus hic traditur versus, *Incidens perimit, emergens differt.* Dantur & aliæ multæ species exceptionum, quæ sub his continentur, quas impossibile ferè esset in præfenti enumerare, vt doli mali, non numeratæ pecuniæ, rei iudicatæ, iurisiurandi, excommunicationis, pacti conuenti, & aliæ similes.

Hic titulus continet quatuordecim capita, habetur in Sexto & Clementinis, & de eius materia disputatur capite 2. §. exceptio. 3. q. 6. Quod verò in eo disputatur est, primò crimen in modum exceptionis oppositum non puniri, debita poena: secundo replicationem cōmunicationis cum actore excommunicato non obstare: tertio, proprium delictum non posse quis contra alium excipere: quarto ad dilatorias statuendum esse terminum, & denique aliæ mul

ra de excommunicationis exceptione dicuntur. Sensus denique rubricæ facilis est, nam dicit, De exceptionibus, id est, de exclusionibus actionum.

*De præscriptionibus. Tit. XXVI.*

**P**Rima observatio. Quoniam præscriptio quædam species est exceptionis, nam aliquando contra actorem petentem opponitur exceptio de præscriptione, quia id quod petit iã est præscriptum, ideo postquam egimus de exceptionibus in genere & in cõmuni agendum est de hac specie exceptionis, scilicet, de præscriptionibus. Quare Tribonianus in ff. & C. cum titulo de exceptionibus, adiunxit, & de præscriptionibus, atq; idem longi temporis præscriptionem, exceptionem longæ possessionis, appellavit Ulpianus in l. an vitium. ff. de diuersis & temporali bus præscriptionib. vt in l. i. ff. si liber ingenuus esse dicatur, idem sunt exceptio temporis & præscriptio. Et quãuis rubrica solum dicat de præscriptionibus, nos aliqua de vsucapionibus dicemus.

Secunda observatio: Præscribere quinque habet significationes, primò enim significat ante scribere, vt ait Cic. ad Ereniũ: secundo significat modum & legibus imponere, & definire seu præfinire tempus c. 2. de concess. præben. & c. in singulis dist. 86. tertio significat libros intitulare seu inscribere, sic Hiero. in prologo Salomon, quarto apud Iurecõsultos idem significat quod excipere, vt dixi tit. superiori obseru. 2. Quinto deniq; etiã apud Iurecõsultos significat idem quod tempore acquirere, l. qui alienum,

§. ff. de euictionibus & l. ei. 21. ff. de vsucapionibus. In hoc tamen titulo solum accipitur in quinta significatione.

Tertia observatio. Vsucapio & præscriptio vt docet Abb. in hac rub. n. 3. ante Iustinianum nullam inter se habebat differentiam: nam vsucapio comprehendebat præscriptionem, vt probatur in l. quare & l. cum qui & des. ff. de vsucapionibus. & e conuerso præscriptio comprehendebat vsucapionem: vt patet in tit. ff. de diuersis & temporalibus præscriptionibus per totum. Iustinianus autem voluit vsucapionem citi de rebus mobilibus, & præscriptionem, de immobilibus & incorporalibus, vt patet in titulo, instituta de vsucapionibus per totum. In hoc vero titulo accipitur præscriptio in sua propria significatione, nam in toto nigro disputatur de præscriptione rerum immobilium & incorporalium, licet doctrina capituli ultimi possit etiam vsucapioni accommodari: quare optimo consilio nostra rubrica solum scribitur de præscriptionibus nihil docendo de vsucapionibus.

Quarta observatio: Vsucapio sic definitur. Est acquisitio domini rerum mobilium per continuationem possessionis, tempore lege definito, negligentibus penam infligens, & finem litibus imponens. Præscriptio vero eodem fere modo defini potest, nam est etiam acquisitio domini rerum immobilium vel spiritualium per continuationem possessionis, tempore lege finito, negligentibus penam infligens, & finem litibus imponens. Quæ duæ definitiones simul explicari poterunt: nam in illis illa particula

adquisitio est genus, & dicitur, *dominij*, quia præscribens, seu vsucapiens fit dominus, vt docet Abbas in hac rubrica. num. 4. Dicitur in prima definitione, *re rerum mobilium*, & in secunda, *rerum immobilium vel spiritualium*, quia in hoc differunt vsucapio & præscriptio, quòd illa est rerum mobilium, hæc vero immobilium, vel spiritualium, vt in prin. inst. de vsucap. Dicitur, *per continuationem possessionis*, nam interrupta possessione, interruptitur vsucapio, vel præscriptio, vt docet glossa in summa, r. q. 3. Dicitur, *tempore lege diffinito*: quia in omni præscriptione vel vsucapione est determinatum tempus à iure constitutum, vt infra dicemus. Dicitur *negligentibus penam infligens*, quia domini negligentes propter suam negligentiam cadunt rebus præscriptis vel vsucaptis. Et denique dicitur, *finem litibus imponens*, quia vsucapio & præscriptio inuentæ sunt ne dominia multo tempore in incerto essent, vt probat principium inst. de vsucapionibus, per quòd litibus sæpissime finis imponitur.

Quinta obseruatio: Videamus quæ requiruntur ad vsucapionem vel præscriptionem, & quanto tempore fiat. Et ad primum dico, requiri quinque, vt docet glossa in summa, r. q. 3. Primum bona fides autem malæ fidei possessor, C. de præscriptionibus. longi temporis. Secundò iustus titulus possidendi: l. 1. & 3. ff. pro legato. Tertio, continua possessio, l. 3. ff. de vsucapionibus. Quarto, quòd res tradatur vel quasi tradatur, l. penultima, ff. pro legato. Quintò denique, quòd res non sit vitiosa, vt furtiua vel vi possessa, §. furtiua, & §. quòd autem, instituta de vsucap.



vsucapionibus, vnde dicta glossa in Summa 16. questione. 3. tres tradit versus. Non vsucapies, nisi fiat tibi talia quinque; Recta fides, iustus titulus, res non vitiosa. Quod res tradatur, possessio continetur. Ad secundum dico, vsucapionem, cum fit de rebus mobilibus fieri tribus annis, licet olim vnico anno fieret, vt patet in principio instituta, de vsucapionibus. Præscriptionem verò fieri inter præsentem decem annis & inter absentes viginti, licet olim fieret duobus tantum annis, vt patet instituta, eodem titulo. Sed præter has duas præscriptiones seu vsucapiones, quarum frequentior est vsus: dantur aliæ multæ quæ fiunt in particularibus casibus, & contra particulares personas: quarum alia est præscriptio trium annorum, de qua in capite. 1. isto titulo: alia triginta annorum vt in cap. 3. etiam isto in tit. alia quadraginta annorum de qua in capite de quarta, capite, ad aures, capite, illud, & capite quia, isto titulo: alia denique centum annorum, de qua in capite, ad audientiam, & capite cum nobis. & capite si diligenti, in fine iste titulo.

Hic titulus continet viginti capita, habetur in Sexto, non verò in Clementinis, & de eius materia tractatur 16. questione. 3. & 4. & 3. questione. 2. in principio. Quod in eo disputatur est, primò, de varijs speciebus præscriptionum in superiori obseruatione numeratis, & deinde, qui, & quæ, & aduersus quos, & quo tempore præscribere possunt, vel non possunt, & quæ requirantur ad præscribendum. Sensus autem rubricæ est hu-

- iusmodi: De præscriptionibus, idest, de acquisitionibus dominij rerum immobilium, vel spirituum per temporis lapsum.

*De sententia & re iudicata. Tit. XXVII.*

**P**rima observatio: Quoniam usque ad superiore titulum actum est de iudicijs explicando, quomodo fabricentur per libelli oblationem, litis cõtestationem, per varia genera probationum & exceptionum, restat videre, quomodo debito fine terminentur, & sic in præfati titulo, de sententia & re iudicata disputandum erit.

Secunda observatio: Sententia & res iudicata sic distinguuntur, quòd sententia est id quod iudex pronunciat, cum potest ab eo appellari: & res iudicata est eadem sententia postquam ab ea appellari nõ potest, cap. cū inter, isto tit. Quod verissimum est, quavis illa sententia à qua potest appellari res iudicata largo modo appelletur. l. litigatoribus, C. de appellationibus. In hoc ergo titulo, quoniam disputatur tam de ea sententia à qua potest appellari, quam etiã de illa, quæ iam non est retractabilis per appellationem, proinde dicit rubrica, *de sententia*, & deinde addit, *& re iudicata*. Sed dicet aliquis, quòd res iudicata est id de quo fertur sententia, non vero ipsa sententia, nam sententia potius est iudicans quàm res iudicata. Respondeo tamen verum quidem esse illam re de qua fertur sententia, esse rem iudicatam, vt docet Medicus, c. p. de diffinitionibus, c. 21. n. 5 sed nihilominus sententiam etiam rem iudicatam esse, & re iudicatam

dicatam appellari: nam considerandum est, quod licet sententia in quantum respicit rem de qua fertur, sit iudicans, tamen si consideratur in quantum transacto tempore appellationis (scilicet, decem dierum, c. cum inter. isto titu.) manet a partibus approbata, & quasi valida iudicata, tunc dicitur res iudicata: & hunc sensum habet, quod communiter dicitur, sententiam transisse in rem iudicatum: & in hoc etiam sensu quando aliquid semel factum non potest retractari, dicimus Hispanice: *Ya passo por cosa juzgada*: & de his omnibus videndus est Abbas in presenti rubrica. Ex his collige quod postquam sententia transiit in rem iudicatum, debet executioni mandari, & datur actio rei iudicatae illi, pro quo sententia lata est, aduersus condemnatum, vel haeredes eius, l. actori. C. de rebus creditis, & l. miles. S. qui iudicati, ff. de re iudicata.

Tertia observatio. Hoc nomen sententia multa significat. Primo cuiuscumque orationis significationem: secundo cuiuscumque magistri opinionem, c. veniam. 35. q. 9. tertio, ultimam voluntatem testatoris, l. 1. ff. de testamentis. Quarto, de portationem, l. si. C. de sententia passis. Quinto, excommunicationem, interdictum, vel suspensionem, ut docet Ab. in hac rub. n. 6. sexto significat id quod iudex iudicando sentit, & ita accipitur hic, & est idem quod res iudicata, si transiit tempus appellationis. Quarta observatio: Sententia duplex est, scilicet, definitiva, & interlocutoria: Definitiva est, definitio iudicialis controuersiae finem imponens, & absolutionem, vel condemnationem continens, quam tradit Medices. 2. p. de definitionibus, d. capite 11. nu. 1. quare

sententia diffinitiva, quæ non continet condemnationem, vel absolutionem, pro nulla habetur, capite, ei qui. §. definitiva. 2. quæstione, 6. Interlocutoria est, quæ inter principium & finem principalis causæ fertur, quam iudex inter partes loquendo, sine solemnitate scripturæ pronunciat super incidentibus vel emergentibus, & neque absolutionem vel condemnationem continet: ferritamen debet iudice sedente, & cum causæ cognitione, quæ si intra decem dies ab ea non fuerit appellatum transit etiam in rem iudicatam, capite cum dilectus. de electione, & capite significauerat de testibus.

Quinta obseruatio. Ordo iudiciarius in litibus seruandus ad hoc vt debita sententia feratur, vt ex omnibus titulis superioribus colligitur, & vt docet Accursius in l. probatam, C. de sententijs & interlocutionibus, est huiusmodi, vt scilicet, partes citentur, libellus offeratur, lis contestetur, de calumnia iuretur, fiant positiones, & responsiones, testium & instrumentorum productiones, publicationes, interlocutiones, renunciaciones, conclusiones, allegationes, & tandem sententia feratur, quæ has habeat condiciones, seu proprietates, scilicet, vt sit certa, diffinitiva, absolutoria, vel condemnatoria: & quod proferatur à competenti iudice, congruo loco, congruo tempore, sedendo in scriptis, gratis, & non expresse contra ius, de quibus vide Hostiensem vbi supra, §. is est ergo.

Hic ti-

Hic titulus continet viginti, & sex capita, habetur in 6. & Clementinis, & de eius materia tractatur 25. quæst. 11. & 5. quæst. 4. & 3. quæst. 9. per totum & c. certum. §. de ijs inquam. 11. quæst. 2. & c. si quis §. his ita respondetur. 30. quæst. 5. Quod vero in eo disputatur non potest breuiter enumerari, nam in eo dicitur, quod sententia contra leges non tenet, quod celeriter sunt causæ terminandæ, quæ sententiæ possunt retractari, & quæ non: quæ sententiæ valcant, & quæ non, & à quibus liceat appellare, & de temporibus appellationum, & alia similia. Sensus autem rubricæ est huiusmodi, *De sententia, & reindicata*, idest eo quod iudex iudicando pronunciat, & de re super qua illud pronunciat. Vel sic, *De sententiis, & reindicata*, idest de sententia à qua potest appellari, & de eadem sententia postquam transiit tempus appellandi.

*De Appellationibus, recusationibus, & relationibus. Tit. XXVIII,*

**P**rima obseruatio. Quoniam supra vidimus de sententia, & eius effectu, & sententia per appellationem impediri potest, cum appellatio sit remedium aduersus iniquam sententiam: ideo ponitur rubrica, *De appellationibus* Sed quia hæc tria appellatio, recusatio, & relatio, conueniunt in iurisdictione iudicis suspendenda, vt docet Ab. in hac rub. n. 1. ideo annectit, *De recusationibus, & relationibus*, ne esset necesse rubricas frustra multiplicare. Quare ista tria simul in præsentem pertractantur.

Secunda observatio. Appellatio duo significat. Primo aliquem vocare, vel nominare. §. sed ius inst. de iure naturali. Secundo significat provocare id est ad superiorem confugere, cuius ope & gratia indigemus. l. 1. in principio. ff. de appellationibus: & in hac secunda significatione accipitur in presenti titulo. De qua vnde in tradit definitiones Medices. 2. p. de definitionibus c. 22. quarum multæ optimæ sunt. sed non traduntur de appellatione in communi, ac proinde hæc solum assignanda erit ex Host. in summa isto. titu. nume. 1. Appellatio est suspensio iurisdictionis prioris iudicis per invocationem superioris propter aliquod gravamen factam. Quæ definitio comprehendit omnem appellationem siue iudiciale, tam à definitiva, quam ab interlocutoria, siue extraiudiciale, quæ fit ab aliquo gravamine. Est enim appellatio triplex, vt docet idem Medices. d. c. 22. n. 7. Prima est à definitiva sententia. l. 1. ff. isto tit. quæ definitur sic, est ius quo prior sententia definitiva suspenditur, & interim causæ cognitio ad iudicem superiorē devolvitur. Secunda est ab interlocutoria. l. 2. ff. de appellationibus recipiendis, quæ definitur fere eodem modo quo superior, scilicet, est ius quo sententia interlocutoria suspenditur, & interim causæ cognitio ad iudicem superiorē devolvitur. Tertia est ab aliquo gravamine extraiudiciali. l. 1. §. solent ff. quando appellandū sit: quæ sic definitur ab Abbate in hac rub. n. 3. Est à præsentis vel futuro gravamine ad superiorē provocatio. Obiter tamē adverte, quod quando quis appellat petit à iudice à quo appellat,

litteras

litteras quasdam dimissorias certificantes, & narrantes appellationem, quæ literæ Apostoli dicuntur, & sunt in multiplici differentia, ut licet videre per glo. magnam in Clementina prima de appellationibus, quas debet petere appellans in triginta dies, ut docet gloss. etiam magna in Clementina secunda eod. tit.

Tertia observatio. Sex notabilia in presenti videntur de appellatione. Primo ad quid sit introducta appellatio, cui dico, introductam esse ut quis à gravamine iudicantis relevari possit. l. i. ff. isto. ti. & ut iniquitas vel imperitia iudicium corrigat, ut docet Host. in summa isto. ti. n. 2. Secundo quot vices liceat appellare. Et respondeo quod duas. l. unica, & toto. tit. C. ne liceat in vna eademque causa tertio provocare. Tertio intra quod tempus liceat appellare. Cui dico quod intra decem dies, auth. hodie. C. de appel. Quarto qui possunt appellare. Et dico, quod illis quibus interest. c. non solent. 2. q. 6. Quinto qui nam sint effectus appellationis. Et respondeo esse duos, scilicet, effectum suspensivum, & devolutivum. Suspensivus effectus est suspendere sententiam, & iurisdictionem iudicis à quo appellatur. c. venientes de iure iurando. Effectus devolutivus est devolvere causam ad iudicem, ad quem appellatur. c. per tuas de sententia excom. Est tamen advertendum, quod appellatio non semper hos duos effectus simul operatur, ut in c. pastoralis, isto tit. Sexto intra quod tempus proseguenda est appellatio. Et respondeo, quod intra annum, ita ut postquam aliquis intra decem dies appellavit habeat unum annum ad proseguendam appellationem, quo transacto appellatio deserta esse. Clementina sicut de appellationibus

Quar.

Quarta obseruatio. Ad secundam partem rubricæ venientes dicendum est de recusatione, quæ sic definitur, Recusatio est declinatio iurisdictionis vel audiendi causa suspicionis, l. apertissimi C. de iudicijs, Quæ debet fieri intra viginti dies ab oblato libello, authen. offeratur. C. de litis contestatione, ex quo sequitur debere fieri ante litis contestationem, vt probatur. d. l. apertissimi. C. eod. Sed est dubium an possit recusatio fieri post litis contestationem. Et respõdeo cum glossa verbo recusare. d. l. apertissimi: quod bene potest fieri si post litem cõtestatam oriatur causa recusationis, nam ea quæ de nouo emergunt nouo indigent auxilio. l. de ætate. §. ex causa. ff. de interrogatorijs actionibus. Ex quibus collige discriminẽ inter recusationem, & appellationem, quod appellatio necessario debet fieri propter aliquod grauamẽ: recusatio vero etiam sine grauamine fieri posse, scilicet, propter solam suspicionem, vt docet glossa fin. in cap. si contra. de officio delegati lib. 6. Causæ autem recusationis multe sunt, vt si iudex sit dominus litigatoris, vel familiaris, affinis, comes, &c.

Quinta obseruatio. Tertia & vltima nostræ rubricæ pars est de relationibus. Relatio autem (quæ etiã consultatio in C. vocatur) est iudicis dubitantis de iure ad Principem missa consultatio. Et dicitur dubitantis de iure, quia si de aliquo facto sit dubitatio non est causa ad Principem referenda, vt docet glo. verbo consular. l. r. C. de relationibus. Quemadmodum neque referenda erit, vt se exoneret iudex ab onere iudicandi: authentico, vt iudex non spectet sa  
cras



cras visiones, §. iubemus. collatione. Ad hanc ergo  
 iudicis consultatione, respondendo scribit princeps,  
 à quo rescripto nō licet appellare. l. iubemus. C. de  
 appel. est autē relatio similis appellationi in duobus.  
 Primo. quia iudex qui eā fecit ea durate desinit esse  
 iudex. d. l. 1. C. de relationibus. Secūdo, vt pēdēte re-  
 latione nihil debeat innouari, & si innouetur irritū  
 habeatur c. licet de officio legati. Differt autē ab illa,  
 quia appellatio fit à partibus, relatio vero ab ipso iu-  
 dice. l. 2. C. de officio vicarij. Est tamen animaduertē-  
 dum, quod relatio debet fieri integra, & plena, vt  
 omnem omnino causam propter quam fit, & de quo  
 fit comprehendat. l. 3. C. de relationibus, & debet iu-  
 dex exemplaria ipsius consultationis tradere parti-  
 bus. l. penultima, ff. de appellationibus, vt si aliqua  
 partium eam viderit minus rectam possit ab ea ap-  
 pellare. l. 1. C. de relationibus. Ex quibus omnibus  
 patet relationem non sumi in præsenti, prout accipi-  
 tur à Logicis, Metaphysicis, & Theologis, apud quos  
 relatio est habitudo vnius rei ad alteram, vt paterni-  
 tas est relatio seu habitudo qua pater refertur ad fi-  
 lium, & filiatio est relatio seu habitudo, qua filius re-  
 fertur ad patrem.

Hic titulus septuaginta tria continet capita: habe-  
 tur in. 6. & Clementinis, & de eius materia agitur. 2.  
 quæst. 6. per totum. Quod vero in eo disputatur de  
 appellationibus est, quæ appellationes valeant, &  
 quæ non: à quibus rebus appelletur, quo tempore  
 sit appellandum, & quo tempore prosequenda appel-  
 latio: ad quem iudicē sit appellandum, qui & qua-  
 les

les sint effectus appellationis, & alia similia. De recusationibus vero dicitur, quod volens iudicem recusare debet causam recusationis coram eodem iudice proponere, & coram arbitris probare, qua probata debet iudex negotium ad superiorem remittere, vel personæ idoneæ de recusantis consensu committere. De relationibus denique dicitur, quod iudex consulens Principem, debet copiam consultationis partibus edere, quod si non fecerit, non adhibetur fides cōsultationi. Sensus autē rub. est huiusmodi. *De appellationibus recusationibus, & relationibus, id est de suspensione iurisdictionis propter aliquod gravamen, & de declinatione iurisdictionis propter aliquam suspicionem, & de consultatione Principis propter aliquam iuris dubitationem.*

*De Clericis peregrinantibus. Tit. XXIX.*

**P**rima observatio. Cum disputatū sit de appellationibus, & peregrinantes gaudeant privilegio appellantium, cum etiā per peregrinationē suspēdatur iurisdictionis iudicis: merito subjicitur hæc rubrica de clericis peregrinantibus. In qua quid sit clericus, & qui veniant clerici appellatione, non erit opus disputare, cum iam id visum fuerit in tit. de clericis peregrinis observatione. 2. neque etiam erit opus videre in quo distinguatur hæc rubrica *De Clericis peregrinantibus*, ab illa, *De clericis peregrinis*, quia id iam diximus, ibidem observatione quarta. Secunda observatio. Hoc rubr. ū in aliquibus manu scriptis codicibus solum dicitur. *De peregrinationibus.*

bus, & in alijs, *De peregrinantibus*, omittendo illam particulam, *Clericis*, ex eo forte, quia etiam nigrum agit de alijs non clericis, vt patet in c. vnico infra, & certe siue rubrum dicat, *De clericis peregrinantibus*, siue de peregrinantibus solum, siue de peregrinationibus, non est intelligendum absolute de quacunque peregrinatione, sed de illa quæ fit ad Romanam Sedem, vt patet in nigro. Et nomine peregrinationis, non est intelligenda peregrinatio proprie sumpta, sed improprie pro omni itineris susceptione extrapropriam ciuitatem, vt accipitur in l. ciues C. de Incolis libro. 10.

Tertia observatio, In isto tit. vt patet ex dictis rubrum est generalius nigro, & nigrum est generalius rubro diuersa ratione. Primū patet, nam rubrum loquitur de peregrinatione in cōmuni ad quemcunque locū, & nigrū limitat de peregrinatione, quæ fit ad Romanam sedem. Secundū etiā manifestū est, nam nigrū loquitur tam de clericis, quam nō clericis peregrinantibus, & tamē rubrū limitate loquitur solū de clericis. Ex quibus sic erit explicanda hæc rub. vt quauis dicat, *De clericis peregrinantibus*, sit sensus idest de accedentibus ad Romanam Curiam. Et dico *De accedentibus*, vt comprehendam tam clericos quā non clericos. Et dico. *Ad Romanam Curiam*, quia hic non disputamus de quibuscunque peregrinantibus, sed de ijs, qui in Romanam Curiam proficiscuntur seu peregrinantur.

Quarta observatio, Quoniā vidimus sensum verborū huius rubricæ: videamus quæ sint præiugia accedea-

cedentium ad Romanam Curiam, de quibus in hoc tit. disputatur. Et dicimus esse, quod habentur loco appellantium: & tam ipsi quam res suæ sub protectione Apostolica manent securi. Unde debet illis restitui quicquid post iter arreptum subtractum vel ablatum est, per quemcumque auferatur vel subtrahatur, ut colligitur ex. cap. unico, isto titulo. Et in eorum absentia seu peregrinatione debet permittere iudex, ut eorum parentes seu agnati, cognati, liberi, amici, serui, aut coloni possint eorum bona tueri, vel repetere. l. unica. C. si per vim vel alio modo absentis possessio turbata fuerit.

Hic titulus unicum habet caput non habetur in 6. vel Clementinis, & de eius materia agitur in. capi. si quis Romipetas, & cap. paternarum, 24. quæst. 3. & c. Sacerdos, de pœnitentia, distinctione. 6. & cap. non oportet de consecratione. dist. 5. Quod autem in hoc tit. disputatur tam diximus obseruatione. 4. Sensus vero rubricæ est prout explicauimus obseruatione tertia.

*De Confirmatione utili vel inutili. Tit.*

*XXX. & ultimus.*

**P**rima obseruatio. Quoniam sententia suspensa per appellationem, vel peregrinationem de quibus supra egimus, aliquando confirmatur à superiori, ideo agendum est de tali confirmatione: sed quia aliquando confirmatio est utilis, aliquando inutilis, proinde dicitur. *De cōfirmatione utili vel inutili.*

*Secur.*

Secunda obseruatio. Confirmatio duo significat, primo secundū Ecclesiæ sacramentū. Secundo corroborationem rei ab aliquo factæ. Et sic accipitur in presenti. tit. & diffinitur ab Host. in summa isto titu. nu. 1. hac ratione. Confirmatio est iuris prius habiti corroboratio. l. & quia. ff. de iurisdictione omnium iudicum, & colligitur ex c. inter dilectos de fide instrumentorum. Et nota, quod dicitur, *Iuris prius que- siti corroboratio*, quia qui confirmat nihil dat, sed solū datum, & adquisitum corroborat. Sed dicunt aliqui addenda esse hæc verba. *Per superiorem facta*, quia confirmare est signum superioritatis, vt docet Medices. r. p. de definitionibus. c. 99. n. 3. ex Bartolo in l. si. C. de legibus. Vnde colligunt aliqui differentiam inter confirmare, & approbare, quod confirmare sit à superiori, approbare vero ab inferiori, vel æquali, vt docet Ab. in. c. 1. in fine de treuga. & pace.

Tertia obseruatio. Præterquam confirmatio, alia est utilis, & alia inutilis, vt patet in rubro, & in varijs huius tituli capitibus, diuidenda erit alia diuisione secundum Host. vbi supra n. 2. in quatuor species, nam primo duplex est: alia corroboratiua, & alia ratificatiua. Deinde corroboratiua, alia est iudicialis, alia potestatiua. Et denique iudicialis alia est voluntaria, alia necessaria: quas ipse non definit, quia ex ipsarum nominibus facile cognoscuntur. Ex quibus tamen ratificatiua à solo Papa fieri potest. c. 2. propositum de concessione præbendæ, alia vero ab alijs superioribus fieri possunt, vt docet Host. vbi sup. nu. 5.

Quarta obseruatio. Varijs modis potest fieri confirma-

firmatio, quemadmodum variae ac pænae infinitae sunt res quæ confirmantur, ut patet in ijs exemplis: nam sententia confirmatur per lapsum temporis decem dierum intra quos poterat appellari, ut dixititulo de appellationibus. Item matrimonium confirmatur per carnis copulam. capite. insuper qui matrimonium accusare possunt. Item contractus solent confirmari per iuramentum, authent. sacramenta puerum. C. si aduersus venditionem. Item prima sententia aliquando confirmatur per secundam & secunda per tertiam. capite. coram. §. i. de officio delegati: & sic de alijs exemplis quæ hic poterant assignari. Est tamen aduertendum, quod res quæ non est non potest confirmari. capite. ad audientiam, el segundo in fine de Ecclesijs ædificandis, neque etiam possessio rei litigiosæ vel iniuste possessæ, ut in capite. i. isto titulo.

Hic titulus continet nouem capita, neque habetur in 6. neque in Clementinis, & de eius materia non assignatur vbi in decreto disputetur. Quod autem pertractatur est, qui possint confirmare, & quæ confirmationes valeant, & quæ non. Sensus vero rubricæ est huiusmodi. *De confirmatione utili vel inutili, idest de utili vel inutili corroboratione iuris prius quæsi.*

*Finis secundi libri decretalium.*

EXPOSITIO  
 TITVLORVM  
 IVRIS CANONICI.  
 LIBER TERTIVS  
 DECRETALIVM.

*De vita & honestate Clericorum.*

TITVLVS I.

**A**BSOLVTA iudiciorum disputatio  
 ne toto secundo libro diligentissime  
 elaborata, consequens est in presenti,  
 de actibus, & operibus clericorum ser-  
 monem facere: nam cum primo libro  
 de personis, & earum officijs disputatum fuerit, &  
 in secundo de earum operationibus in iudicio præ-  
 standis, modo de operationibus quæ extra iudicium  
 exercentur erit suscipienda disputatio: & quia Cleri-  
 ci in multis laicos antecellunt, agendum erit de Cle-  
 ricorum operibus, ut postea libro. 4. de laicorum acti-  
 bus pertractetur. Tum etiam, quia de iudicijs, &  
 partibus iudiciorum superiori lib. disputavimus, nunc

restat, ut de ipsis Clericis circa quos actus iudiciales in foro Ecclesiastico exercentur videamus. Incipit ergo liber iste à rubrica de vita & honestate clericorum, ubi Clerici nomen in latissima accipitur significatione, scilicet pro omni ordinato à prima tonsura vsque ad Episcopatum, quemadmodum etiam capitur in tribus titulis sequentibus.

Prima igitur observatio est, quod hæc rubrica duas continet partes, altera est de vita clericorum: & altera de eorum honestate. Prius ergo agendum erit de vita: quæ triplex est, alia naturæ, alia disciplinæ, & alia gratiæ. Vita naturæ est animæ, & corporis coniunctio, & de hac vita inteligitur quod dicitur in l. an usufructus ff. de usufructu, dū dicit, quod vita præsumitur durare vsque ad centum annos. Vita disciplinæ est modus, & ordo secundum quem quis vivere debet, & in hoc sensu dicimus, aliam esse vitam laicorum, & aliam clericorum. cap. duo. 12. questione. 1. & aliam esse vitam actiuam, aliam contemplatiuam, capite. nisi, de renuntiatione. Vita denique gratiæ est cum quis moritur vitis, & viuit Deo per opera bona, iuxta illud, qui credit in me vitam habebit. In hoc tamen titulo solum disputatur de vita disciplinæ, quæ potissimè respicit Clericorum victum, ut docet glossa in fine huius rubricæ. Debent ergo Clerici cibum, & potum temperare, capite. à crapula isto titulo: imo & Scholastici, nam venter pinguis grossum sensum generat, capite. non liceat distinctione. 43. & in omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarum scripturarum debet permisceri, & à cra-



à crapula, & ebrietate diligenter abstineri, capite. si,  
per ebrietatem de consecratione, distinctione. 2. Et  
hæc debet esse vita clericorum. Aduertendum ta-  
men est, quod crapula est quasi cruda epula: & quod  
ebrietas dicitur ab è, quod est sine, & bria, quod est  
mensura, quasi ebrietas sit res sine mensura. De qui-  
bus vide. Host in summa isto. tit. §. qualiter.

Secunda obseruatio. Clericorum honestas confi-  
sit in moribus, non in modo diuitiarum, & quanti-  
tate facultatum, vt aliqui voluerunt, cum ergo mo-  
res varij sint, ita etiam honestas varia ac multiplex  
erit: debet igitur Clericus esse sine crimine, non  
conuersans cum malis, corrigens seuerè cum leni-  
tate, non tolerans malos, orationi vacans, hospita-  
lis, sobrius, non lucri cupidus, pudicus, habitu de-  
cens, & denique omni genere virtutum ornatus, vt  
ex isto. titul. ex. 12. q. 1. facile colligitur. Verum quia  
ad perfectam vitam, & honestatem non satis est face-  
re bonum, sed opus est etiam vitare malum, ideo à  
multis debent Clerici abstinere, quæ illis in hoc ti-  
tulo prohibentur, veluti, arma portare, vt in capite. 2.  
& nutrire comam, vt in. ca. si quis: & vxores ducere,  
vt in. c. clericus el segundo, & alia similia. Et præte-  
rea quanuis ipsis clericis sufficiat facere bonum, &  
vitare malum: ipsis tamen Iudicibus Ecclesiasticis  
id satis non est, sed eo amplius indigēt iustis ac legi-  
timis pœnis, quibus à Republica Ecclesiastica ini-  
quitates expellant, quare disputatur etiam in hoc  
titulo de pœnis quæ imponuntur Clericis inhone-  
ste viuentibus, vt patet d. c. 2. d. c. si quis. c. monasteria

& ca. ut clericorum. Ex quibus omnibus colligitur  
nigram in presenti. tit. esse generalius rubro: quādo  
rubrum solum dicit, de vita, & honestate: & tamen  
nigram disputat etiam de illis rebus, quæ clericis  
prohibentur, & de pœnis quibus eorum crimina  
coercentur.

Hic titulus habet sexdecim capita habetur in 6. &  
Clementinis, & extrauagantibus communibus, &  
de eius materia agitur. 12. q. 1. & 21. q. 4. & cap. clericis  
coman. d. 23. & d. 3. 1. 41. 43. 44. 56. 91. & 92. per totum  
& ca. nunquam de consecratione d. 5. Quod autem  
in eo disputatur iam diximus in secunda observatio  
ne. Sentus vero rubricæ erit huiusmodi, *De vita, &  
honestate clericorum*, id est de modo, & ordine secun  
dum quem clerici viuere debent, & de eorum mori  
bus & honestate.

*De cohabitatione clericorum, & mulierum. Tit. II.*

**P**RIMA observatio. Quoniam vita, & honestas  
clericorum per cohabitationem mulierum red  
ditur de incontinentia suspecta, ideo post præ  
cedentem rubricam subiicit istam de cohabitatione  
clericorum, & mulierum: in qua quæ habitatio sit  
permissa, & quæ prohibita pertractatur. Vnde Host.  
in summa hoc. tit. n. 2. explicando hanc rubricam ad  
dit hæc verba, *Toleranda vel non toleranda*, ut sit sen  
sus. *De cohabitatione clericorum, & mulierum to  
leranda vel non toleranda*, seu quod idem est, per  
missa vel vetita.

Secunda observatio. Cohabitatio est simul cū alio  
habita.

habitatio. Quæ in clericis duplex esse potest alia permissa, & alia prohibita. Cohabitatio prohibita est in qua clericus est iuuenis, & persona mulieris est extranea. Permissa vero est, in qua alterum istorum deficit. Vnde cohabitatio clerici senioris, siue cū propinqua, siue cum extranea erit permissa: tum etiã cohabitatio clerici siue iunioris, siue senioris cū muliere propinqua erit permissa, veluti cū matre, sorore, amita, matertera, & similibus: nã in ijs naturale fœdus non permittit aliquid fœdi criminis suspicari. l. eū qui. C. de Episcopis, & clericis. Sed aduertendū est, quod quãdo dicimus posse clericū habitare cum matre, & sorore, & alijs similibus, intelligendū est, ita vt istæ nō habeāt alias mulieres suspectas, veluti pedilequas, nã vt habetur in. c. legitur. d. 81. non oēs quæ cū mea sorore sunt, meæ sorores sūt: & sic intelligendus est textus in. c. 1. isto. ti. dū dicit nō esse permissã cohabitationẽ clericĩ cū matre sua vel sorore.

Tertia observatio. Posset aliquis quærere quæ nã sit pœna clericorum cohabitãtium cum mulieribus, nam quanuis in rubro huius tituli dicatur solum de cohabitatione clericorum, & mulierũ, etiam in nigro disputatur de illorum pœna. Respondeo tamẽ quod si loquamur de cohabitatione permissa nulla est pœna, quia in ea nullũ est delictum Si vero loquamur de prohibita etiã nulla est pœna, si nullum est crimẽ, vt cõtingit quãdo quis clericus cohabitat cum matre, & suis pedisequis. Si vero aliquod crimẽ fuerit, crimẽbris erit adhibẽda distinctio, nã vel est omnino occultũ, & tũc solũ datur pœna in foro consciẽ

ritæ, non vero in foro exteriori, in quo latentia delicta vindictam non habent. c. Christiana 32. quæst. 5. Vel est ita occultum, vt detur aliqua illius suspicio, & tunc si est cum scandalo potest indici purgatio canonica in qua si defecerit punitur, vt conuictus. cautua nos infra isto. tit. si vero sine scandalo fuerit, monendus est ne cum suspecta amplius conuerfetur. Vel denique crimen est notorium, vt nulla tergiverfatione celari poffit, & tunc in continenti fufpenfus est ab officio. c. ficut isto tit. & per confequens fecundum quoddam est etiam fufpenfus à beneficio. ca. fiquis à modo & c. fiquis facerdotum. d. 81.

Hic titulus decem continet capita, non habetur in. 6. vel Clementinis, & de eius materia tractatur. c. nullus. dist. 34. per totum, & cap. pro huius. 18. quæst. 2. & 34. quæst. 4. per totum. Quod vero in eo disputatur est admonere ne clerici fint concubinarij, neque cohabitent cum mulieribus fufpectis, & quibus pennis puniantur si cohabitauerint. Sensus vero rubricæ est, *De cohabitatione Clericorum, & mulierum, id est de habitatione Clericorum cum mulieribus permiffa vel prohibita.*

*De Clericis coniugatis. Tit. III.*

**P**rima obferuatio. Quia vifum est fupra de cohabitatione clericorum, & mulierum, quando sine matrimonio cohabitât, modo de alia fpecie cohabitationis videndum est, qua fcilicet, cû proprijs mulieribus, cum quibus matrimonium contra-

xerunt

xerunt simul habitare solent, & sic de clericis coniugatis.

Secūda obseruatio: Omnes clerici aut sunt in minoribus ordinibus constituti, qui sunt Tonsuratus, Hostiarius, Lector, Exorcista, & Acolitus, aut in maioribus seu sacris, qui sunt Subdiaconus, Diaconus, & Sacerdos. Inter quos hæc est differēcia, quòd qui sunt in minoribus possunt matrimonium cōtrahere c. i. isto tit. at vero qui sunt in sacris cōstituti, nō possunt, vt ex d. c. i. facile colligitur. Quādo ergo in hoc titulo dicitur, De clericis coniugatis, tam de cōstitutis in minoribus, quam in maioribus, intelligendum est: nam de minoribus docet, quòd si contraxerint coguntur renunciare beneficiis, c. i. & c. quod a te, isto tit, & quod non coguntur deferre tonsuram, c. Ioannes, infra & non admittuntur ad Ecclesiasticas dignitates, vt infra in c. cum decorem, & non promouentur ad alios ordines, vt in c. sane, & sic de alijs. De cōstitutis vero in sacris dicitur nō esse validum eorum matrimonium, vt in d. c. i. & quod priuatur officijs suis, & quod peracta pænitétia, potest Episcopus cum illis dispēsare, vt probatur d. c. sane infra isto titulo.

Tertia obseruatio: Quoniam de clericis coniugatis disputamus, de clericis Græcis aliqua videnda erunt. Quare ex Hostiensi in Summa isto titulo. n. i. dicendum est, quòd clerici Græci seu Orientales, etiam in sacris constituti sunt coniugati, & vtuntur matrimoniali beneficio, ita tamen, quod contraxerint matrimonium, vel quando nullos habebāt ordi-

nes, vel quando erant in minoribus ordinibus, nam postquam sunt in sacris ordinati non possunt contrahere de nouo, imo si moriatur mulier cum qua iam antea contraxerant, non possunt iterum cum alia cōtrahere, capite, si quis eorum, dist. 31. & c. 1. Nisifena. cap. quoniam, cap. aliter, dist. 31. & glos. in d. ca. aliter, verbo copulantur.

Quarta obseruatio: Hanc rubricam posset aliquis dicere esse superflua, quoniam in lib. 4. Decretalium datur a'ia quæ idem querit, scilicet, Qui clerici, vel vouentes matrimoniū contrahere possunt. Sed respondeo, hanc esse differentiam inter nostrā rubricam, & illam, quia quod in nostra præcipue pertractatur est, an clerici coniugati possint retinere beneficia, an gaudeant priuilegio clericali, & an teneantur deferre tonsuram: in illa vero quod præcipue disputatur est: an valeat matrimonium contractum à Clerico, quod nostra rubrica ex professo minime tractat. De quibus vide Abbatem in fine huius rubricæ.

Hic titulus habet decem capita: Habetur in Sexto non verò in Clementinis, & de eius materia agitur distinctione 20. 31. & 32. per totum, & capite vt sex. 27. quæstione 1. Quod verò in eo disputatur iam diximus in secunda obseruatione. Sensus autem rubricæ est huiusmodi: De clericis coniugatis, id est, de omnibus clericis: tam in maioribus, quàm in minoribus ordinibus constitutis, nisi qui matrimonium contraxerunt.

## De Clericis non residentibus in Ecclesia vel præbenda. Titulus III.

**P**rima observatio. Propterea quod clerici nō solum inhonestē viuunt sectando mulierum cōfortia, sed etiā nō residendo in Ecclesijs quarū fructus percipiunt, proinde agendum est, de clericis non residentibus in sua Ecclesia vel præbenda. Item etiam quoniam visum est quomodo beneficijs priuantur clerici propter mulierum cohabitationem, tam in matrimonio, quàm sine illo, idcirco videndum est, quomodo eisdem beneficijs priuantur propter non residētiam in eisdem, & sic proponitur rub. De clericis non residentibus in Ecclesia vel præbenda.

Secūda observatio: In hac rubr. ante omnia aduertendum est, quòd quandoq; ponitur sub his verbis, *De clericis non residentibus in Ecclesia vel præbenda. ut supra scripsimus, & aliquando sub ijs: De clericis non residentibus in Ecclesia præbendali: sed quomodocunque scribatur semper eundem reddit sensum: nam quod iste titulus docet est, requiri residentiam in Ecclesijs vel præbendis, & non residentes ipsis priuari, & sic siue primo, siue secūdo modo legatur, nihil interest.*

Tertia observatio: Videamus quid sit in Ecclesia residere, ut inde quid sit non residere cognoscamus, & quid nō residēs, de quo hīc disputatur. Residere ergo est interesse Ecclesiæ in persona propria faciēdo illi seruitiū. c. quia nōnulli, c. relatū. c. cōquerēte isto titulo. Et dicimus, interesse Ecclesiæ in persona propria, quia si illi intersit per substitutum, non residet

residet proprie loquendo, reputatur tamen residens si id ex causa faciat, sicut ille qui absens est causa studij, dicto cap. relatum, infra, & ille qui pro seruitijs Ecclesie suae se absentat, capite, ex parte el segundo isto titulo. Et ille qui infirmus est, c. r. de clerico debilitato ministrante. Et ille qui est in seruitio Papae, cap. cum dilectus, isto titulo. Et ille qui est in seruitio Episcopi, cap. ad audientiam, infra, isto titulo, & dicimus, faciendo illi seruitium, quoniam ad hoc sunt constituta beneficia, ut Ecclesie fiant seruitia. Unde non debet recipere ex ea qui illi non seruit, ut patet in cap. conquerente. & cap. cum ad hoc. isto titulo. Quare parum erit sui praesentiam exhibere, & seruitium negligere, d. cap. quia nonnulli infra isto tit. Quod dico propter probam consuetudinem quarundam Ecclesiarum quae reputant Canonicos residentes, quia praesentes sunt quamuis non intrent Ecclesiam, vel si intrant Ecclesiam non intrant chorum. Cognito ergo quid sit in Ecclesia vel praebenda residere, facile cognoscitur quid sit in eisdem non residere seu interesse, de quo loquitur nostra rubrica, unde illius sensus erit: *De clericis non residentibus in Ecclesia vel praebenda*, id est, de clericis qui cum teneantur iuris Ecclesiae vel praebendis interesse faciendo illis seruitium, tamen non intersunt, vel si intersunt, illis non seruiunt.

Quarta observatio. Ab illis duobus nominibus positus in nostra rubr. quae ingerere poterant difficultatem, scilicet Ecclesia, & praebenda, breuiter nos expediemus: nam de Ecclesia dicemus in titulo de rebus



rebus Ecclesiæ alienandis, vel non, nam solum hinc aduertendum erit, quod sumitur pro ipso templo in quo constitutæ sunt præbendæ, vt ex rubrica colligitur præsertim, si legatur de clericis non residentibus in Ecclesia præbendali. De præbenda etiam dicemus in titulo sequenti de præbendis & dignitatibus, hinc tamen accipitur prout in dicto titulo accipitur, scilicet, pro iure percipiendi prouentus in Ecclesia ratione diuini officij, capite, cum Ecclesia, de præbendis, lib. 6.

Quinta obseruatio: In fine huius tituli sciendum est, quod pœna clericorum non residentium est, vt si moniti ad residendum non veniant priuentur Ecclesijs, & merito, nam si beneficium datur propter officium seu seruitium, iustum est vt priuetur beneficijs, qui non residendo non seruit. Sed dices, quid iuris sit si quis ita absens est vt non possit moneri seu citari, vt quia vbi est nescitur. Respõdeo quòd tali casu tribus edictis in eius Ecclesia debet vocari, & si intra sex menses non veniat, debet Ecclesia priuari. c. 2. isto tit.

Hic tit. habet decem & septem capita: Habetur in Sexto, licet non in Clementinis, & de eius materia agitur. 7. q. 1. per totum, principaliter tamen in c. quia frater. §. ambitionis. Quod autem in eo disputatur est generaliter docere, quod omnes clerici tenentur residere in suis Ecclesijs, & quibus pœnis puniantur, si residere noluerint: Et deniq; ex quibus causis à residentia valeant excusari. Sensus vero rubricæ iam est explicatus obseruatione. 3.

De præ

## De præbendis &amp; dignitatibus. Tit. V.

**P**Rima obseruatio: Dicitur fuit supra de clericis non residentibus in Ecclesia vel præbenda, ac proinde modo videndum est de præbendis, & ne esset necessarium aliam rubricam de dignitatibus constituere annectit, de dignitatibus, cum commode sub vno rubro possint pertractari: & ita est rubrica, De præbendis, & dignitatibus. Vel continua sic, quoniam egimus in quatuor titulis superioribus de vita & honestate clericorum, & clerici non possint honeste viuere nisi habeant præbendas vel dignitates, unde vitæ necessaria percipiant: ideo de præbendis & dignitatibus disputabimus in præfenti. Aduertendum est tamen, quòd quanuis in aliquibus antiquis Codicibus solum legatur: de præbendis, tamen optimo iure cum communi legimus: De præbendis, & dignitatibus: quoniam principaliter de dignitatibus in hoc titulo disputatur.

Secunda obseruatio: Præbenda (quæ olim in neutro genere legèbatur, vt colligitur ex l. inuiti. 2. ff. de testibus, hodie verò in fœminino) dicitur à, præ, quod est, prius, & habeo habes, vt dicatur præbenda quasi prius habēda: quoniã priusquã aliquis ordinatur præbendam debet habere, cū nullus sine titulo valeat ordinari, cap. non licet, & cap. cū secundum. isto titulo. Præbenda autem varia significat. Primo ius percipiendi redditus pro labore tēporali, vt redditus aduocatorum pro labore patrocinandi in licibus,

bus. c. si. de magistris. Secundo significat prædiū præbendæ Ecclesiasticæ assignatum c. sæpè fit. 12. q. 2. & c. possessiones. 16. q. 1. Tertio significat ipsos fructus & obuentus in Ecclesia perceptos, c. 2. de locato, & c. si. ne prælati vices suas. Quarto denique significat ius percipiendi tales fructus vel prouentus in Ecclesia quod ius competit ratione diuini officij, ex eo, quia qui percipit est in diuinis seruiens, c. cum in Ecclesia, de præbendis. in. 6. Ex quibus præbenda in tribus prioribus significationibus potest haberi à laicis, cum laicus possit aduocare, & prædia Ecclesiastica, & fructus conducere, vt patet in d. c. 2. de locato: tūctiam quia præbenda in prædictis tribus modis, est præbenda tēporalis, in quarta verò significatione nequaquā: nā ius percipiēdi prouentus propter diuinū officium solū clericis conuenire potest, cū sit ius spirituale, seu præbenda spiritualis. In hoc ergo titulo capitur præbenda in quarta significatione. Quare præbenda erit emolumentum ex quolibet Ecclesiastico titulo alicui proueniens: & dico ex quolibet titulo, quia præbenda, nomen generale est omnia omnino Ecclesiastica beneficia amplectens, vt melius dicemus in sequenti obseruatione.

Tertia obseruatio. Præbenda in prædicta quarta significatione sumpta diffinitur à Medices secunda parte, de diffinitionibus, capite. 41 numero. 6. Hac ratione, præbenda est ius percipiendi fructus in Ecclesia, cui præbendatus seruit competens ex officio diuino. Quæ duplex est, alia Canonici coniueta, vt probatur in capite, relatum, & in capite dilectus

dilectus, isto tit. nam vt ex dictis capitibus constat, qui habet Canoniam, præbendam habere debet, vel saltim ius ad præbendam primo vacaturam, vt probatur in c. cum Ab. de cõstitutionibus. Alia vero est præbenda à Canoniatu separata, vt illa quæ est cui liber alteri beneficio Ecclesiastico coniuncta, vt probatur in ca. dilecto, isto titulo, & docet Innocentius cap. in maioribus etiã isto titulo. Ex quibus colligo male communiter definiri præbendam esse ius percipiendi prouentus ex Canoniam proueniens: nam certe hæc definitio non conuenit omni præbendæ, cū ex superiori diuisione detur aliqua præbenda sine Canoniam, illa scilicet, quæ ex quolibet alio beneficio vel dignitate prouenit.

Quarta obseruatio: Dignitas nomen est quo vtuntur seculares & Ecclesiastici: nam primo significat quemcunque honorem, l. vnica, ff. de officio Quæstoris. Secundò magistratum administrationem. c. ad ministratores. 3. q. 5. Tertio significat conditionem status, l. sed & si quid: §. 1. ff. de usufructu. Quarto significat virilem pulchritudinem, Cicero lib. 1. offic. Quintò significat orationem cum grauitate & uocis remissione. Sextò denique significat quandam prærogatiuam Ecclesiasticam, vt personatus, c. ad aures de rescriptis, vel custodia, capite finali, de institutionibus vel primiceriatus, c. cū accessissent de cõstitutionibus. vel præsentoratus, c. cum olim. de consuetudine, & alias similes. In hoc ergo titulo accipitur dignitas in sexta significatione: qua ratione duobus modis sumi potest. Primò in late patenti signifi-

significatione, qua ratione etiam clericalis ordo dicitur dignitas seu prerogativa Ecclesiastica, ut in cap. eo libentius, de seruis non ordinandis. Secundo potest sumi proprie & strictè, scilicet, pro prerogativa cui est annexa aliqua iurisdictio, sicq; cõmuniter definitur à Doctoribus. Dignitas est administratio rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione: sic diffinit Medices, 2. parte de diffinitionibus, dicto capite 4. num. 7. Vnde dignitas proprie sumpta est Ecclesiastica prerogativa cum iurisdictione.

Quinta observatio: Hæc tria vocabula, scilicet, Dignitas, Personatus, & Officium, licet sæpissime confundantur, ut in capite cum accessissent, de constitutionibus, sic tamen differunt, quòd dignitas, ut supra dictum est, sit administratio rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione. Personatus verò sit quædam prerogativa in Ecclesia sine iurisdictione, ut habere præ alijs honorificum stallum in choro, ut Canonici. Et denique officium sit rerum Ecclesiasticarum administratio sine iurisdictione, ut esse Custodem.

Quamvis existimet Abbas in præsentia, hæc tria nomina potius sumi ex instituto cuiuslibet loci, quam ex rerum substantia, nã id quod in aliquibus Ecclesijs est dignitas, in alijs nõ est dignitas, & sic de alijs

Hic titulus habet triginta & octo capita: habetur in Sexto & Clementinis, & Extravagantibus Ioannis Vigesimali secundi, & in Extravagantibus communibus, & de eius materia tractatur 21. quæstione prima, & secunda per totum, & capite, Sanctorum, distinctione septuagesima, & capite, nul-

- **lus. 16. quæst. 7.** Quod vero in hoc titulo disputatur est, an beneficia iure hæreditario possint conferri, an possit quis ordinari sine titulo, an possit quis plures Ecclesias vel præbendas obtinere, an præbendæ possint permutari, vniri, minui vel augeri, an duo ad vnã ecclesiam vel præbendam possint eligi vel recipi: & denique ex mandato Papæ quomodo beneficia conferantur. Sensus vero rubricæ est huiusmodi: *De præbendis & dignitatibus, id est, de iure percipiendi fructus in Ecclesia, & de administratione rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione.*

*De Clerico ægrotante vel debilitato. Tit. VI.*

**P**rima obseruatio: Visa disputatione de præbendis & dignitatibus, quibus Ecclesiæ prouentus percipiuntur, quoniam poterat aliquis dubitare an clericus ægrotus, & propter ægritudinem non residens, possit tales prouentus recipere, vel potius sit ab eorum perceptione priuandus: ideo id in præsentipertractatur, poniturq; rubrica, *De clerico ægrotante vel debilitato.*

Secunda obseruatio: Ægrotus dicitur ab ægritudine, ægritudo autem, infirmitas & morbus idem significant, diffiniturquè hac ratione: Ægritudo est habitus corporis contra naturam, qui vsum eius facit deteriore, vt docet Hostiensis in Summa isto titulo, n. 1. Quæ definitio optima non est secundum quosdam, qui dicunt ægritudinem non esse habitum corpo-

corporis, sed potius imbecillitatem corporis: quare secundum ipsos sic potius esset definienda: ægritudo est imbecillitas corporis contra naturam, qui usum eius facit deteriore. Quæ duplex est, alia totius corporis vt febris, & alia partis corporis, vt cæcitas, & de vtraq; in præsentia indistincte disputat noster tit. Prætereà, debilitatus dicitur quis à debilitate, debilitas autem est quasi nonhabilitas. Vnde qui propter aliquam naturalem imbecillitatem seu inhabilitatem vel inefficaciam non potest aliquid præstare, dicitur debilis, id est, debilitatus.

Tertia observatio: Cognita natura ægritudinis, & debilitatis, facile apparet quid sit ægrotus & debilitatus, de quibus agit nostra rubr. ex quibus duo colligenda sunt, alterum est, quis dicetur clericus ægrotus vel debilitatus quod ex superioribus manifeste patet. Alterum vero quod in nostra rubrica ponuntur ista duo nomina ægrotus & debilitatus ad maiorem & clariorem nostri tituli expositionem, cū ex dictis appareat sub nomine ægroti debilitatū potuisse comprehendere. Nisi malueris dicere quod ægrotus significat illum qui infirmitatem habet, & debilitatus illum qui quamvis infirmitatem non habeat, tamen debilis seu inhabilis est ad aliquod diuinum officium præstādum, vt est ille qui cum ægrotus nō sit, habet mediam palmam cum duobus digitis abscessam, qui licet possit diuinis interesse, non tamen poterit celebrare, vt habetur in capite secundo, isto titulo.

Quarta observatio. Ad maiorem huius tituli expositione

positionem videndum est in præfenti, quomodo noster titulus differat à titulo, de corpore vitiatis, de quo primo libro disputauimus, nam certe iste noster titulus videtur superfluous, ex eo quòd in illo titulo, de corpore vitiatis, etiam agitur de clericis ægrotantibus & debilitatis. Sed respondendum est cum Hostiense in principio illius tituli, duplicem esse differentiam, prima est, quia in illo agitur de corpore vitiatis respectu ordinum, ut an sint ordinandi, vel non: in præfenti verò disputatur de corpore vitiatis, idest, ægrotis, vel debilitatis, respectu præbendarum, vel dignitatum, ut an sint beneficijs priuandi vel non, & an sit eis dādus coadiutor vel non. Secunda est, quia in illo titulo cum dicat de corpore vitiatis, agitur de vitio corporis, quod est impedimentum corporis perpetuum: in isto verò titulo, cum dicat de clerico ægrotante vel debilitato, agitur de ægitudine, vel debilitate, quod est temporale corporis impedimentum, l. inter stuprum, §. verum est ff. de verb. sign.

Hic titulus habet sex capita, habetur in Sexto, non verò in Clementinis, & de eius materia tractatur 7. quæstione prima, & secunda, & distinctione trigesima tertia per totum, & capite, iudicatio 3. quæstione nona, & capite Gonsaldus, 17. quæstione .1. Quod autem in eo disputatur est, quòd Clericus infirmus potest percipere fructus sui beneficijs, & quòd sacerdos habens duos digitos abscessos, missam non celebrat, licet alijs sacerdotilibus officijs fungi possit, & denique, quod morbo im-



bo impeditis dandus est coadiutor. Sensus autem rubricæ est huiusmodi: De clerico ægrotante vel debilitato, idest, de clerico infirmo, vel aliàs imbecilli, qui clericus non potest Ecclesiæ vel dignitati deseruire.

*De institutionibus. Tit. VII.*

**P**Rima obseruatio. Quoniam præbendæ, de quibus supra diximus per institutionem acquiruntur, idè in hoc titulo de institutionibus agendum erit, sic continuat hanc rubricam Hostiensis in Summa, in principio huius tituli, quæ continuatio omnibus alijs, melior nobis visa est.

Secunda obseruatio: Hoc verbum instituo, maxime late patens est: adaptatur enim ad contractus l. i. ff. si certum petatur: ad obligationes l. ex hoc iure, ff. de iustitia & iure: ad actiones. l. i. ff. de interrogatorijs actionibus: ad vltimas voluntates, §. ante hæredis, instituta, de legatis. Et in summa omnis ordinatio potest appellari: institutio. Vnde etiam liber à Iustiniano compositus quo ordinamur, & instruimur ad ius Ciuile intelligendum, vocatur, Institutiones, seu Instituta, & similiter quilibet alius liber, quo quasi per compendium ad aliquam scientiam cognoscendam instruimur, vocatur, Institutio, seu Institutiones.

Tertia obseruatio. Licet superiora vera sint, hoc tamen sciendum est, quod dictum verbum instituo, aliter sumitur in Iure Cæsareo, & aliter

in Canonico: nam apud Legistas instituere, est aliquem in primo loco heredem constituere, dicto paragrapho, ante heredis, Instituta, de legatis. Et dico in primo loco, quia si in alijs inferioribus locis hæres aliquis constituatur, non est instituere sed substituere. Institutio enim sic definitur: Est primus gradus hæredum institutorum, etiam si mille instituuntur. Substitutio verò diffinitur sic: Est secunda institutio, idest, alia institutio post primam, siue sit secunda, siue tertia, siue quælibet alia, quem admodum omnes nuptiæ post primas dicuntur secundæ nuptiæ, vt docet glossa in rubrica, ff de vulgari. Apud Canonistas verò instituere est Ecclesiam vel Ecclesiasticum beneficium conferre. Vel, vt alij dicunt, est legitimam ius in Ecclesia, vel Ecclesiastico beneficio tribuere, capite, auctoritate, infra isto titulo. Et dicitur instituere ab intus, & statuere, seu stare: quasi sit intus in beneficio stare, vel in eo ius statuere. In præsentibus ergo cum in iure Canonico procedat nostra disputatio, prout accipitur à Canonistis accipiendum est verbum instituere, & nomen institutio.

Quarta obseruatio: Institutio adhuc inter Canonistas duobus modis accipi potest: vno modo in late patenti significatione, qua ratione significat collationem Canonici iuris in beneficio Ecclesiastico: & sic accipitur in regula, beneficium, de regulis iuris, libro sexto, vbi cum dicat dicta regula, beneficium Ecclesiasticum non posse licite sine institutione canonica obtineri, certum est, quòd

quòd institutio in multum lata accipietur significatione. Et hinc est, quòd confunditur cum confirmatione, collatione, inuestitura, & cum alijs similibus, vt de inuestitura patet in capite, ad hæc, de officio Archidiaconi. Alio modo sumitur, in stricta & propria significatione, qua ratione solum significat collationem illius beneficij, quod ad patroni præsentationem confertur, qua ratione sic diffinitur ab eadem glossa in dicta regula beneficium. Institutio est præbendalis iuris ad præsentationem patroni facta translatio. In hoc ergo titulo accipitur institutio aliquando in stricta, & aliquando in lata significatione. Notandum tamen est diligenter, neminem posse se institueræ potissimum ratione, quòd inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio aliqua personarum.

Quinta observatio. Ad maiorem huius tituli expositionem explicanda sunt vocabula omnia quibus beneficiorum vel dignitatum collatio significari potest, quæ sunt, postulatio, electio, translatio, promissio, collatio, inuestitura, renunciatio, seu resignatio, confirmatio, consecratio, missio in possessionem, præsentatio, & institutio. Et primò, de postulatione, electione, & translatione, non est opus disputare, cum iam in primo libro, de singulis singulæ rubricæ constituentur. Quare de alijs vocabulis videamus. Et quidem, promissio, nomen generale est comprehendens quamcunque promotionem, vel nominationem ad beneficia, vt in glos.

verbo, prouisioni. Clementina finali de electione. Collatio est libera beneficiorum concessio, quæ fit de beneficio non patronato, & pleno iure sine præsentatione patroni ad Episcopum, vel alium spectans, vt docet glossa in dicta regula, beneficium. Inuestitura est corporalis possessionis beneficij in absentia traditio, quæ solet fieri per traditionem Baculi annuli, vel alterius rei, vt habetur in capite, proposuit, de concessione præbendæ. Renunciatio seu resignatio in materia beneficij solum significat beneficiorum liberam cessionem, sed quia quando renunciatio fit in utilitatem tertij (quo casu proprie resignatio vocatur) illi confertur beneficium, idè etiam in præsentia, de renunciatione, seu resignatione mentionem fecimus. Confirmatio etiam in materia beneficij est iuris prius quæsitæ corroboratio, vt quando verbi gratias qui est iam Episcopum electus à Papa confirmatur. Consecratio etiam in hac materia solum contingit in Episcopo, qui postquam electus est à capitulo, vel præsentatus à patrono, & confirmatus à Summo Pontifice consecratur in Episcopum ab alijs tribus Episcopis. cap. Episcopus, dist. 64. Missio in possessionem etiam in hac materia est ipsa met inuestitura, seu institutionis vel inuestituræ executio, quæ propter contumaciam rei, seu vt dici solet, causa rei seruandæ fieri nõ potest, ne ad beneficia pateat vitiosus ingressus vt probatur in ca. unico de eo qui mittitur in possessionem causa rei seruandæ. lib. 6. Præsentatio est quædam exhibitio personæ per patronum Episcopo, vel alteri ad quem

ad quem institutio pertinet legitime facta. Et denique Institutio, vt in alia obseruatione diximus, est Ecclesiæ vel ecclesiastici beneficij ad præsentationem patroni facta collatio. Ex quibus omnibus manifestissimū est quomodo institutio, de qua in præsentia agitur ab omnibus alijs modis conferendi beneficia distinguatur.

Hic titulus habet septem capita, habetur in. 6. & non in Clementinis, & de eius materia disputatur in cap. omnes vsque ad cap. quoniam. 16. quæstio. 7. Quod vero in eo disputatur est de numero Clericorum in ecclesijs instituendorum, & qui possint institui vel instituere. Sensus vero rubri est huiusmodi, *De institutionibus*, idest de collatione iuris in beneficio Ecclesiastico.

*De concessione præbendæ & Ecclesiæ non vacantis,*  
**Tit. VIII.**

**P**rima obseruatio. Actum fuit supra de institutionibus, sed quoniam sæpe instituitur quis in ecclesia vel præbenda non vacante, ideo de concessione præbendæ, & ecclesiæ non vacantis disputemus. Sciendum tamen erit, q̄ & si rubrum solū loquatur de cōcessione non vacantium, nihilominus tamen etiam in nigro disputatur in contrario sensu, scilicet, de non concessione vacantium, vt colligitur ex glossæ continuatione in hac rubrica, & patet ex cap. nulla cap. quia diuersitatem, & cap. ex parte isto tit. Imo etiam disputatur pro vtraque parte affir-

mativæ, scilicet, de concessione Ecclesiæ vel præben-  
dæ vacantis, vt in, ca. relatum, c. post electionē. ca. cū  
super, & in alijs multis capitibus. Quare euidenter  
in hoc tit. nigrum in multis est generalius rubro,

Secunda obseruatio. Concedere, duo potissimum  
significat primo credere seu consentire, id est simul  
cum alio sentire, qua ratione quando argumētatur  
ea quæ sunt vera vel creduntur esse vera concedun-  
tur ab aduersario. Secundo significat permittere seu  
promittere vel dare, qua ratione dicimus cōcedere li-  
centiā pro dāe licenciā. Et in vtraque significatione  
semper eius oppositū est negare. Vnde cōcessio etiā  
duo significabit, scilicet, actū cōcedēdi vera, & actū  
permittendi vel dandi: accipitur tamē in præsentī in  
secunda eius significatione, vt patet ex rubrica cū di-  
cat, *De concessione præbēdæ, & Ecclesiæ, nō vacantis*, id est  
de permissione seu promissione, vel donatione præ-  
bendæ aut Ecclesiæ non vacantis.

Tertia obseruatio. De præbēda iā multa diximus  
sup. tit. de clericis nō residētibus in ecclesia, vel præ-  
bēda, & ita solū hic aduertendū erit, quod in præsen-  
ti accipitur præbēda, vt ibi, & in. ti. de præbendis, &  
dignitatibus, scilicet, pro iure percipiendi prouētus  
in ecclesia ratione diuini officij. De ecclesia vero cui-  
us nomē etiā in hac rubrica cōtinetur disputabimus  
infra in. tit. de rebus ecclesiæ alienādis vel non. Hic  
tamen obseruādū erit, quod in hoc. tit. accipitur pro  
tēplo ipso in quo beneficia sunt instituta seu funda-  
ta. Vel vt melius dicā accipitur pro beneficio in tem-  
plo seu ecclesia fundato. Et sic dicendū erit quod in  
nostra

nostra rubrica, & alijs similibus per figuram Methoni  
miã accipitur continens pro cõtento, scilicet, eccle-  
sia pro ipso beneficio, quod in ea continetur.

Quarta obseruatio verbum vocare, quanuis quan-  
doq; significet dare operã alicui rei, quaratione dici-  
mus vacare literis pro dare operam literis: nihilomi-  
nus tamen in præsentia accipitur pro eo quod est va-  
cium esse, vnde præbendam vel ecclesiã non vaca-  
re, erit nõ esse vacuas idest non esse sine clerico qui  
eas possideat, vt Episcopatus sine Episcopo benefi-  
cium sine beneficiato & sic de alijs. Sciendum tamẽ  
est ex Host. in sum. na hoc. tit. n. i. tribus modis bene-  
ficiũ vacare, (& sumo beneficium in latissima  
significatione) primo de iure, & de facto, vt si moria-  
tur beneficiatus, vel de consensu prælati renunciet,  
vt in. capi. dilecto. de præbendis vel ab vna ecclesia  
ad aliam transferatur, vt in capite admonet de re-  
nuntiatione. Secundo de facto, & nõ de iure, vt cum  
quis est spoliatus beneficio suo. capi. item cum quis  
de restitutione spoliatorum, & capite, Abbas de his  
quæ vi. Tertio denique de iure, & non de facto, vt  
cum quis habens beneficium maius, & dignius vo-  
catur ad minus, & vilius, in quo casu cum nullus de  
iure possit ad minus beneficium descendere. ca. legi-  
mus, distinctione. 9; collatio minoris beneficii non  
valebit, & ita vacabit de iure, non tamen de facto,  
quoniam de iure non possidetur, de facto tamen pos-  
sidentur.

Hic titulus habet sexdecim capita, habetur in  
sexto Clementinis, & extrauagantibus Ioannis

22. & de eius materia disputatur. 1. quæst. 2. & quæst. 5. per totum, & cap. in quibusdam. 1. quæst. 3. & capi. audiuimus. 3. quæst. 3. & capit. imprimis. 2. quæst. 1. & cap. non furem 7. quæst. 1. Quod autem in hoc titulo disputatur est in primis, quod beneficia non vacantia, non possunt promitti vel cōferri. Denique, quod beneficia vacantia si ecclesia fuerit numerata debent intra sex menses conferri nisi aliquod adsit impedimentum, nam alias deuoluuntur à capitulo ad Episcopum, & ab Episcopo ad capitulum. Et denique dicitur, quod habenti Canoniam debet dari præbenda, & adeptione secundæ præbendæ vacat prior. Sensus vero rubricæ iam habetur in secunda obseruatione.

*Ne sede vacante aliquid innouetur,*

*Tit. IX.*

**P**Rima obseruatio. Præmissa prohibitione de cōcessione præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis, prohibendum est ne sede vacante aliquid innouetur, vt sic sicut præbenda non vacante nihil innouandum est circa eam in præiudicium tenentis: sic per contrarium vacante sede nihil innouetur in præiudicium pastoris postea eligendi. Quare præmissis tractatu de concessione præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis, videamus ne sede vacante aliquid innouetur. Et nota, quod quia hæc rubrica ponitur generaliter, & negatiue, cum habeat orationem perfectam poterit citari sicut decretalis, & ab ea poterit argumentum confici, iuxta glossam in præsentis rubricæ, & ea



& ea quæ nos diximus in titu. vt lite non contestata obseruatione secunda.

Secunda obseruatio. Sedes, licet quandoque pro habitaculo vel domicilio ponatur nihilominus tamē significat locum in quo sedimus, qui & sella, & sedile dicitur, vt habet Ambrosius Calepinus in verbo sedes. Et hinc locus vbi sedet Episcopus in sua diœcesi dicitur sedes Episcopalis, & vbi sedet Papa dicitur sedes Romana, quia est Romæ, vel dicitur Apostolica, quia fuit à Beato Petro Apostolo instituta. Nota tamen quod in præsentem sedem vacare, nō erit actu in ea non sedere, vt contingit quando Episcopus est extra diœcesim, sed erit non esse qui in ea possit sedere, vt si Episcopus mortuus fuerit. Nota etiam duobus modis posse sedem vacare, vno modo vere, & proprie, quando sedes prælatum non habet: alio modo interpretatiue, quia licet Prælatum habeat, habet tamen illum hæreticum, excommunicatum, vel suspensum, vt in cap. quia diligentia, de electione. In hoc ergo titulo agitur de sede vacante vtroque modo, vt vult Host. in summa isto titulo. numc. 2. Nota denique Ecclesiam esse vel dici viduatam, idem esse quod sedem vacare. Et quemadmodum duobus modis diximus sedem vacare, ita etiam duobus poterit dici viduata, scilicet, vere, & proprie, quando non habet prælatum, & interpretatiue quando habet illum excommunicatum vel alias impeditum, vt diximus.

Tertia obseruatio. Duo ad meliorem huius tituli expositionem aduertamus. Primū est, quod quando  
in hoc

in hoc tit. dicitur, ne sede vacante aliquid innouetur nomine sedis intelligimus multas sedes, scilicet, Episcopalem, & regularem, & omnem exemptam, & maiorem prælaturam post Episcopalem, imo & omnem sedem beneficiorum duplicium, qualis est Ecclesia parrochialis. ca. cum vos de officio ordinarij: tum etiam omnem administrationem, vt decanatum, Archidiaconatum, & alias dignitates, vt vult Host. vbi supra. n. 2. Secundum est quid sit, quod non est innouandum quando in hoc titu. dicitur ne sede vacante aliquid innouetur. Respondeo, quod non est innouandū, omne illud, quod est in præiudicium sedis, nisi aliud iniure expresse caueatur, vt docet glo. in præfenti rubrica. Vnde quādo in præfenti tit. regula generalis constituitur. Ne sede vacante aliquid innouetur, intelligenda est de his quæ sunt in præiudicium sedis, & sic rubrica poterat hoc modo describi, *Ne sede vacante aliquid innouetur in præiudicium sedis*, Quas autem exceptiones ista regula patiatur non est nostri instituti disputare: quare videantur. Doctores in præfenti.

Hic titulus habet tria capita, habetur in. 6. & non in Clementinis, bene vero in extrauagantibus Ioannis. 22. & in extrauagantibus communibus, & de eius materia disputatur in ca. hæc huius placiti, & in multis alijs capitibus. 12. q. 2. Quod vero in eo disputatur est, quod sede vacante non debet mutari eius status: & quod beneficia spectantia ad collationem prælati, sede vacante non possunt conferri à capitulo, & denique, quod iudicium habitum contra ecclesiam

siam

siam sede vacante non tenet. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. *Ne sede vacante aliqui innouentur*, id est ne sede vacante mutetur Ecclesiæ vel sedis status, neque aliquid de nouo fiat in eius præiudicium.

*De his quæ fiunt à Prælati sine consensu Capituli. Tit. X.*

**P**rima obseruatio. Egimus supra ne sede vacante aliquid aduersus ipsam innouetur modo videndum est sede non vacante quæ possint fieri ab eius prælato sine consensu capituli, & an in omnibus, capituli consensum, & consilium debeat exigere, & sic ponitur rubrica. *De his quæ fiunt, à prælato sine consensu capituli.* In qua quid sit prælatus, & quid appellatione prælati veniat, non erit opus pertractare cum id iam disputatum sit in titulo de suppleta negligentia prælatorum obseruatione secunda. In præsentitamen accipiendum est prælati nomen pro Episcopo vel Abbate vel alio habente capitulum, vt colligitur ex rubrica quæ loquitur de prælato in ordine ad suum capitulum: præcipue tamen accipiendum est pro Episcopo, vt colligitur ex Host. qui nostram rubricam his verbis scribit. *De his quæ fiunt ab Episcopo sine consensu capituli.*

Secunda obseruatio. Vt plenam, & claram nostræ rubricæ expositionem proponamus sciendum est, quod quædam sunt in hoc titulo quæ requirunt consensum capituli: alia quæ requirunt consilium, & alia quæ sine capitulo fieri possunt, Prioris

Prioris generis sunt, quod non potest prælatus sine consensu capituli in perpetuum alienare res Ecclesiasticas, ut in cap. 1. licet in alienatione ad tempus taciturnitas capituli habeatur pro consensu, ut in cap. 2. vel subsequens rati habitio, ut in cap. 3. Etsi sua Ecclesia vel capitulum habet ius præsentandi, non potest ipse præsentare sine consensu maioris partis capituli, ut in capit. 6. neque vnam ecclesiam alteri ecclesiæ concedere, ut in c. 8. neque parrochias vel earum obventiones monasterio dare, ut capit. 9. Secundi generis, scilicet, quæ consilium capituli requirunt sunt instituire, & destituere, & alia negotia ecclesiastica tractare, ut in cap. 4. & confirmare, statuere, concedere, corrigere, & dissipare, ut in capi. 5. Tertij generis denique sunt illa quæ à prælato sine capitulo fieri possunt, de quibus in hoc titulo solum statuitur quod possit prælatus solo suo consensu facere, ut sit valida donatio, qua laicus donat ecclesiæ decimas quas habebat ab alia ecclesia in fraudem, ut patet in cap. 7. In hoc ergo titulo de ijs tribus generibus rerum disputatur, ut ex superioribus patet: quanuis rubrica solum de secundo & vltimo sermonem faciat. Quare nigrum in hoc titulo erit generalius rubro, ut de se patet.

Hic titulus decem habet capita, non habetur in 6. neque in Clementinis: & de eius materia tractatur 16. q. 5. & 7. per totum. Quod vero in eo disputatur iam explicauimus in superiori obseruatione. Sensus autem rubricæ facilis erit: nam dicit. *De his quæ fiunt à prælatis sine consensu capituli*, idest de his quæ potest prælatus

Prælatus facere absque eo, quod capitulum consentiat.

*De his quæ fiunt à maiori parte capituli.*

Tit. X I.

**P**rima observatio. Supra visum est de his quæ fiunt à prælato sine consensu capituli, modo videamus de his quæ fiunt à capitulo sine consensu prælati, cū ad solum capitulum spectent: sed quia in his quæ à capitulo fiunt necesse est, quod maior, aut sanior pars consentiat ideo videamus de his quæ fiunt à maiori parte capituli.

Secunda observatio. Capituli nomen tria significare potest. Primo enim diminutive significat supremum membrum corporis vbi sunt sensus, qua ratione à nomine caput, capitis derivatur. Secundo significat partem alicuius libri particulari. tit & numero subscriptam, quæ etiam caput dicitur. Tertio denique nouiter significat multitudinem personarū præcipue virorum sub vno prælato congregatam vulgo, *Cabildo*. Et sic accipitur in præsentī, quando loquimur, de his quæ fiunt à maiori parte capituli. Est tamē notādū prout ex hoc. ti. & ex superioribus colligitur, quod nomine capituli proprie non comprehenditur prælatus, vt docet Ab. in præsentī rubri. & in. c. post electionem de concessione præbendæ.

Tertia observatio. Quotiescunque capitulum in diuersas diuiditur sententias duo consideranda sunt, scilicet, maioritas, & sanitas, maioritas petitur

à nu-

à numero. c. 1. isto tit. & c. quia propter de electione. Et sanitas petitur à zelo. c. in Genesi, & c. ecclesia el segundo de electione. Vnde maior pars capituli cõmuniter, & realiter loquendo, ea est quæ numero-fior est. Sanior vero pars erit illa cuius zelus melior est, & quæ maiori nititur ratione. c. 1. isto tit. & c. sana. distinct. 9. Sed quid iuris fit in tali capituli diuisione videamus. Cui respondeo, quod semper præualere debet illud, quod videtur maiori parti. capi. 1. 2. & 3. dist. 65. ca. de quibus, dist. 20. & l. duo ex tribus. ff. de reiudicata: & hæc maioritas debet esse respectu totius capituli, non vero respectu aliarum partium in alias sententias diuisarũ. c. ex ore in fine isto tit. Sed si appareat, quod minor pars dignior est, vel rationabiliter mouetur, & maior irrationabiliter præualet minor pars, quæ tunc maior intelligitur respectu sanioris consilij, vt dicit. cap. sana. distinctio. 9. & d. c. 1. isto titulo.

Quarta obseruatio. Videamus denique quot capitulares debeant esse in capitulo ad hoc, vt aliquid ab ipsis fiat. Et dico, quod ad faciendã nouã, constitutionẽ necesse est, quod omnes sint præsentis quos constitutio tangit, vt docet Host. vbi supra. §. quid iuris, & glo. verbo. constitutũ. ca. 1. isto. tit. Ad alia vero negotia facienda sufficit, quod duo partes illorum adsint. l. plane. ff. quod cuiusque vniuersitatis, & l. 3. ff. de decretis ab ordine faciendis.

Hic titulus habet quatuor capita, non habetur in 6. neque in Clemētinis, & de eius materia tractatur in ca. vlt. d. 16. & c. hoc ius. 10. q. 2. Quod autem in eo dispu-

disputatur est, quod maior pars capituli præualet nisi  
 si minor sit rationabilior: & quod interdictum ab Episcopo  
 de consensu capituli fieri debet: & quod per con-  
 traditionem, & appellationem eius cuius non inter-  
 est non potest impediri communis ordinatio ecclesie:  
 & denique, quod prælatus cum maiori parte capitu-  
 li etiam minori contradicente, potest statuere, ut om-  
 nes de capitulo aliquam suorum reddituum portionem  
 ad fabricæ reparationem conferant. Sensus autem ru-  
 bricæ est huiusmodi *De his quæ sunt à maiori parte ca-  
 pituli*, id est quæ sunt illa quæ maior pars capituli fa-  
 cere potest, contradicente vel non contradicente minori.

*Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione con-  
 ferantur. Tit. XII.*

**P**rima observatio. Huius rubricæ continuatio sic  
 traditur ab Abb. in præfati. Quoniam visum  
 est supra de collationibus beneficiorum faciendis  
 tantum à prælato cum consensu capituli, quam ab ipso capi-  
 tulo sine prælato, & ipsa beneficia sine diminutione  
 sint conferenda: ideo ponitur rubrica, ut ecclesiastica  
 beneficia sine diminutione conferantur: quæ ius con-  
 stituit, & poterit pro nigro citari, cum aliquid iustum  
 de iure fieri præcipiat, ut donet Host. in summa isto  
 tit. versi. & sciendum.

Secunda observatio. In hoc tit. dicunt quidam Rubrum  
 esse summam nigri, & tantum contineri in nigro quam  
 tantum in rubro, ut docetur in summano in c. vnic. infra.  
 Sed hoc mihi falsum videtur, quia in rubrica vnum  
 dicitur

dicitur, & in nigro tria continentur, & sic nigrum erit generalius rubro. Ponuntur enim in capite unico, huius tituli tres utilissimæ iuris regulæ. Prima est, quod nullus sine legitimo accusatore debeat condemnari, ut probatur, capite. de manifesta. 2. quæstione. 1. & capite. 1. infra de accusationibus. Secunda est, quod actore non probante reus absoluitur, ut probatur in. cap. actor. 6. quæstio. vltima, & in §. & si in rem. inst. de officio iudicis. Tertia denique est quæ respondet ad præsentem rubricam, scilicet, quod beneficia Ecclesiastica sunt sine diminutione conferenda, ut probatur in. ca. si quis præbendas. 1. q. 3. & ca. maioribus & c. vacante. de præbendis.

Tertia observatio. Beneficium in præsentem accipitur in latissima significatione prout comprehendit quodcunque beneficium Ecclesiasticum siue simplex siue quodcunque aliud, ut docet glossa. 1. in principio in. c. beneficium de reg. iur. lib. 6. Et verbum conferri, non sumitur pro collatione proprie sumpta quæ fit solum de beneficijs non patronatis, ut diximus in. tit. de institutionibus observacione quinta, sed accipitur latissime, pro quacunque provisione seu beneficij donatione, ita ut sensus. tit. sit: quodcunque beneficiũ quomodocunque conferatur est sine diminutione conferendũ. Quas autem exceptiones hæc regulatio patitur, & quas aliæ duæ regulæ supra propositæ, non est nostri instituti disputare.

Hic titulus habet unicum caput, & non habetur in 6. neque in Clementinis, & de eius materia non assignatur ubi in decreto disputetur. Quod vero in eo di-



eo dicitur iam explicauit in secunda obseruatione. Sensus etiam rubricæ iam habetur in superiori obseruatione.

*De rebus Ecclesiæ alienandis vel non.*

*Tit. XIII.*

**P**rima obseruatio. Hactenus fuit disputatum de rebus spiritualibus clericorum, scilicet, de præbendis, & beneficijs, & eorum collationibus: atque ideo modo agendum erit de rebus tēporalibus eorundē, habere enim debēt clerici res spirituales, & tēporales, quoniā sine tēporalibus spiritualia diu esse non possunt sicut nec anima sine corpore, ut habetur in. c. si quis obiecerit. 1. q. 3. Primū tamē, quod de rebus tēporalibus clericorū quæritur est an possint alienari, & si alienantur an valeat talis alienatio & ideo ponitur hæc rubrica, quæ tripliciter legitur. Primo *de rebus Ecclesiæ alienandis vel non.* Secundo. *De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non alienandis.* Et tertio. *De rebus Ecclesiæ non alienandis.* In quibus inter primā & secundā lecturā, nulla est differentia; inter illas vero & tertiā hæc differentia esse potest, quod ille nō constituit regulā, & legē præceptiuā, quæ admodū tertia quæ potest citari sicut nigrū, imo quotidie citat. Omnes tamē optimæ sunt, & duæ priores sic intelligendæ, ut dicamus. *De rebus tēporalibus Ecclesiæ alienandis,* in commodū ipsius Ecclesiæ, & iuris obseruata solēnitate: *vel non alienandis,* in detrimentū eiusdē, aut sine iuris solēnitate. Tertia vero sic. *De rebus Ecclesiæ non alienandis,* in damnum Ecclesiæ, aut prætermissa

iuris solennitate. Horum autem ratio est, nam licet regula generalis constituitur, quod res ecclesie non alienentur, nihilominus intelligenda est, in praesudicium ecclesie, vel non observata iuris solennitate: nam in eius commodum et utilitatem, servatis que servari debent in earum alienatione, alienari poterunt, ut in presenti titulo docetur, & ut patet in his versibus. *Vultis, incommunitas, pietasque cessasse. Res alienari permittunt Ecclesiam.*

Secunda observatio. Hoc nomen, Res, valde commune est comprehendens omnia quae sunt, nam ut dicunt Metaphysici, Res est terminus transcendens sicut ens: ita ut Res, & Ens, significant omne id quod est, & sic significabunt omnia. In presenti tamen accipitur particulariter pro rebus temporalibus ecclesie, comprehendendo bona mobilia, & immobilia, corporalia, & incorporalia, iura, & actiones. l. rei appellatio. ff. de verborum sign. De quibus omnibus intelligenda nostra rubrica quando dicit, *De rebus Ecclesie alienandis, vel non alienandis.*

Tertia observatio. Huius nominis ecclesia multas tradit significationes gl in verbo ecclesia c. cum clerici de verborum significatione, & Lexico iuris in verbo ecclesia: quarum aliquae ratione profus carent, neque iura quae pro se citant aliquid probant. Quare nos de mente Canonistarum, & Theologorum de isto verbo ecclesia aliquid dicamus. Ecclesia ergo nomen Graecum est, quod latine significat congregationem seu multitudinem congregatam sub certis legibus, & ceremoniis ad cultum Dei ordinatam, quae in veteri lege appellabatur Synagoga, & in nova lege appellatur ecclesia. Haec autem, ut optimè explicat D. Tho. opus. c. de ex-

plica-

plicatione Symboli: si accipiatur pro cōgregatione  
 fideliū animarum quæ est in gl. appellatur, Ecclesia  
 Triūphās: si pro ea quæ est in purgatorio appellatur  
 purgans: & deniq; si pro ea quæ est in terris appella  
 tur militans. Et hæc ecclesia militans sic diffinitur.  
 Est congregatio fideliū certis legibus, & sacramētis  
 ad cultū Dei ordinata sub vno capite visibili in ter  
 ra, scilicet, Romano Pontifice, & alio inuisibili in  
 celo, scilicet, Christo. Quæ etiā ecclesia diuiditur  
 in alias ecclesias partiales, vt in Græcā, & Latinam,  
 seu Oriētalē, & Occidentalē. Et quælibet istarū etiā  
 potest diuidi in alias, vt in Toletanā, Valentinā, Sal  
 mantinam, etiam imo, &c. in partes minores, nam  
 quanuis ecclesia Valentina sit vna partialis congre  
 gatio fidelium sub vno Archiepiscopo contenta: ta  
 men potest diuidi in alias partiales congregationes  
 seu ecclesias, vt in ecclesiam Diui Bartolomæi, Diui  
 Ioannis, Diui Martini, &c. Sed his non obstantibus  
 aliquando etiam sumitur ecclesia pro congregatio  
 ne bonorum, vt Ecclesiastici. capi. 3. dicitur filij iusto  
 rum ecclesia, aliquando pro congregatione malorū,  
 vt psalm. 25. Odiui ecclesiam malignantium: aliquan  
 do pro congregatione fidelium prælatorum, & ma  
 iorū, vt Mat. c. 8. quod si te nō audierit dic ecclesie  
 idest prælatis: & denique aliquādo pro congregatio  
 ne fideliū plebis, vt actūū. ca. 20. attendite vobis, &  
 vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus  
 negere ecclesiam Dei.

Quarta observatio. Superioribus iam observatis  
 notandum est prout ad præsentis tituli expositionē

Q 4

attinet

attinet, quod per figuram Metonimiã qua continens sumitur pro contento factum est, ut templum in quo congregatio fidelium convocatur appelletur Ecclesia, & sic accipitur in presenti. tit. ut notat gl. in. l. sicut in fine. ff. quod cuiuscunque vniuersitatis nomine: & in hac etiam significatione accipitur in. tit. de religiosis domibus, & in. tit. de Ecclesijs edificandis, & in alijs multis titulis. Et Ecclesia sic accepta in presenti. tit. non solum comprehendit Ecclesias parrochiales, sed etiam & monasteria, praesertim cum huiusmodi materia sit favorabilis, imo etiam Xenodochia, & Hospitalia comprehenduntur, ut docet Ab. in. c. nulli. nam. si. isto. tit.

Quarta observatio. Alienatio duobus modis accipitur potest, ut docet gl. verbo alienationis in d. c. nulli. Primo proprie, & stricte, alio modo improprie, & large. Alienatio stricte sumpta est omnis actus per quem dominium transfertur. l. alienationis. ff. de verborum significatione, & l. i. C. de fundo dotali Alienatio vero large accepta comprehendit omnes actus, per quos dominia transferuntur, & aliquos alios in quibus dominia non transferuntur qualis sunt locatio hypotheca, & emphyteusis, ut accipitur in. l. sancimus. C. de rebus Ecclesiae alienandis vel non de quibus iudicij mutandi causa facta observatio secunda. In presenti tamen titulo accipitur verbum alienatio in latissima significatione, ut patet in d. c. nulli.

Hic titulus habet duodecim capita, habetur in 6. & Clementinis, & extrauagantibus communibus, & de eius materia disputatur. 10. q. 2. & capit. id consti-

constituimus 17. q. 4. & 16. q. 6. per totum. Quod autem in eo disputatur est, quod possint res Ecclesiasticas alienare, vel seruos Ecclesiasticos manumittere, & qui non: & quæ res Ecclesiæ alienari possunt, & quæ non. Sensus vero rubricæ iam habetur in prima obseruatione.

*De precarijs. Tit. XIII.*

**P**rima obseruatio: Visum est supra de alienatione, vel non alienatione rerum Ecclesiasticarum, cuius occasione modo agendum est de speciebus alienationis, & primò de precarijs, quoniam precario res Ecclesiæ aliquando conceduntur.

Secunda obseruatio, Precor, precaris, idè est quod orare vel rogare, & precario habere, est idè habere quia preces factæ sunt, & precibus res adeptæ est, ut docet Calepinus in verbo, precarium, à quo verbo inter alia duo nomina oriuntur, scilicet, precarium precarij neutri generis, & precaria precariæ, foemini generis, ut docet Abbas in cap. 1. in principio, isto titulo. Inter quæ hæc est differentia, quòd precarium nò fit ad certum & determinatum tempus, sed pro arbitrio concedentis. l. 1. ff. de precario: precaria vero fit ad certum & determinatum tempus. Quare precarium sic definitur: est contractus quo aliquid precibus ad utendum conceditur petenti, tam diu, quam diu patitur is qui cõcessit, cap. finali, isto titulo, & docet Abbas dicto capite. 1. isto titulo in principio. Vnde potest reuocari quando concedens voluerit, & dicitur precarium, quia est ad preces factum. Precaria vero

Q. 5

sic

sic diffiniatur est contractus, quo aliquid precibus  
 utendum conceditur petenti ad certum tempus in  
 vita recipientis, ante quod tempus reuocari non po-  
 test, c. si. illo tit & ca. l. ap. 12. q. 2. & ca. clerici 16. q. 3.  
 Notatamen in præfenti, quod aliqui ut Hostiensis  
 in Summa isto tit docent, precariæ in numero plura-  
 li esse contractum distinctum à precaria in numero  
 singulari, & differunt in hoc quod quamuis utraque  
 fit ad certum tempus (per quod à precario distinguitur)  
 tamen precaria non potest fieri ultra mortem re-  
 cipientis, id est, quando ei assignatur tempus debet  
 esse in vita recipientis, aut usque ad mortem illius,  
 & talis precaria non debet renouari: at verò precaria  
 magis durat quam recipientis vita, & sic transit ad  
 hæredes, & debet renouari de quinquennio in quin-  
 quenniū, ut habetur c. isto tit. Vnde sic poterit pre-  
 caria definiri: Est contractus quo aliquid precibus ad  
 utendum conceditur, petenti ad certum tempus, etiā ultra  
 recipientis vitam, & de quinquennio in quinquenniū  
 renouabilis. Quare tres erunt huiusmodi contractus,  
 de quibus hos tradunt versus glo. fi. & Doctores in  
 c. si. illo tit. scilicet, *Ria, ria, rium*, sunt quibus est caput  
*annu*, *Ria* sunt solita post singula lustra renouari. *Ria* fit ad  
 mortem, nec citra vult renouari. *Rium* finiuntur quando  
 vult finis. *an. hor.* In hoc ergo titulo de omnibus tribus  
 disputatur, ut patet ex nigro.

Tercia observatio: Quamuis ex superiori observa-  
 tione constat precarium esse contractum quo aliquid  
 precibus ad utendum datur, nihilominus tamen etiā  
 precarium dicitur, si ipsa precario data, & sic acci-  
 pitur

pitur & definitur à glossa in verbo precarium, cap. si. isto tit. quæ dicit precarium esse quod precibus ad utendū datur, quādiu patitur is qui concessit c. si. isto tit. Solū ergo hīc ex superioribus animaduerten- dū erit hos contractus de quibus in præsentī agitur esse ab omnibus alijs cōtractibus distinctos, sed quia maior est difficultas cognoscere quomodo à cōmo- dato distinguatur, dicendum est quòd precariū, pre- caria & precariæ in hoc distinguuntur à commodato, ut docet glos. in verbo cōmodatū, c. 1. de comoda- to, iud. precarium, precaria & precariæ concedun- tur sine præfinitione certi usus, at vero commodatū ad certum & determinatum usum conceditur.

Hic titulus tria continet capita, nō habetur in Sex- to vel Clementinis, & de eius materia habetur c. pre- caria. no. q. 2. & c. precaria. 12. q. 2. & c. clerici, cum c. sequenti, 16. q. 3. Quod autem in eo disputatur est, quando precariæ renouentur, & quando precarium precaria vel precariæ renouentur; & denique quādo precarium & precariæ extinguantur. Sensus verò ru- bricæ est, De precarijs, id est, de cōtractibus, quibus aliquid precibus ad utendum datur.

*De commodato. Tit. XV.*

**P**rima observatio. Post tit. de precarijs cōuenien- ter illico sequitur tit. de cōmodato, quia cōmoda- tū multū simile est precario, cū utrūq; precibus im- petretur, & utrūq; recipiētis gratia regulariter fiat, sicut est cui, In ist. quib. mod. recontrahitur obligatio. Secūda observatio. Cōmodator est ille qui ré suā alteri ad utendum cōcedit: Cōmodatarius, qui talem rem ad uten-

ad vtendum accipitur: Commodatum verò est ipse contractus dandi & accipiendi rem ad vtendū quod dicitur commodatum, quasi ad commodum vtentis datum, vt docet gloss. verbo, commodatum, cap. vni eo, isto titulo, & ideo reuocari nō poterit in præiudiciū recipiētis antequā certus vsus fuerit trāfactus vt docetur in l. 2. ff. si certum petatur. Diffinitur autē commodatum ab eadem glossa hac ratione, Commo datū est alicuius rei ad aliquem specialem vsum, gratuito facta cōcessio, quam definitionem sic explicat Medices. 2. p. de diffinitionibus. cap. 52. num. 1. nam in ea illa particula, concessio, habet vim generis, & alix partes habent locum differētiæ, vbi nota, vt docet dicta glossa in præsentī, quod dicitur concessio, & non dicitur translatio, quia qui commodat retinet sibi dominium, & possessionem, l. rei commoda tæ. ff. commodati, & tantum vsum concedit. Et dicitur in hac definitione, alicuius rei, id est earū, quarū fit commodatum, de quibus sequenti obseruatione dicemus. Dicitur, ad aliquem specialem vsum, quia res commodata semper ad certum vsum datur, qui vsus non debeat excedi, & si excedatur tenetur commo datarius actione commodati, vt si commodauit tibi equum, vt ad villam duceres, & tu ad bellum duxisti, & amisisti, teneberis mihi, l. si vt certo, §. sed interdum. ff. isto titulo. Denique dicitur, gratuito facta, quia mercede in commodato interueniēte fit locatio, & conductio, §. commodata, instituta, quibus modis re contrahitur obligatio, & aliqua alia re, seu specie interueniente fit contractus innominatus, do vt des,



ut des, vel do ut facias, l. naturalis, §. & cum do. ff. de  
prescriptis verbis.

Tertia observatio: Videamus in quibus rebus consistat commodatum, & dicimus quod licet quidam dixerint solum dari commodatum in rebus mobilibus, quia istę communiter ad utendum datur. Nihilominus tamen dicendum est, etiam in mobilibus, tamen corporalibus, ut domus, quam incorporalibus, ut servitutes commodatum consistere, ut probatur l. 1. §. 1. ff. isto titulo. Præterea quamvis in rebus quę usu consumuntur, non reperiatur commodatum, ut probatur in l. sepe, ff. eodem, tamen aliquando etiã in ijs consistere poterit, præsertim quando ita conceduntur, ut usu non consumantur, ut si quis ad pompam pecuniã commodatam acciperet, ut probatur in l. 3. §. ult. ff. eodem. Quare commodatum consistit in rebus mobilibus & immobilibus, corporalibus, & incorporalibus, & aliquando etiã in his quę usu consumuntur.

Quarta observatio. Actiones quę commodati causa dantur, duę sunt, scilicet, una directa, & alia contraria: directa est, quę datur ei, qui commodavit, vel eius heredi, contra eum qui commodatum accepit vel eius heredem: quę conceditur, vel ad repetendam re commodatam, vel ad petendum damnum illatum, vel ad aliud simile. Contraria verò est, quę quasi ex opposito respicit directã, & datur ei, qui commodatum accepit contra eum qui commodavit, vel eius heredem, l. in commodato, §. 1. ff. commodati, quę conceditur commodatario, si commodator non permittat uti re commodata ad eum, usum ad quem commodata fuit.

dicta

dicta l. in commodato, §. sicut autem. Ex quibus col-  
ligitur non immerito in ff. iste titulus scribi. Com-  
modati vel contra.

Hic titulus vnicum continet caput, non habetur  
in Sexto, neque in Clementinis, & de eius materia  
disputatur in c. ius naturale, dist. 1. Quod verò in eo  
disputatur est, quòd còmodatarius tenetur de leuif-  
sima culpa, non verò de casu fortuito, nisi acciderit  
culpa sua, vel interuenerit pactum, vel fuerit in mo-  
ra: & denique dicitur, quòd actione commodari nò  
agitur ante quam finiatur vsus cuius gratia res fue-  
rat commodata. Sensus vero rubricæ est, *De commoda-  
to*, id est, de concessione gratuita alicuius rei ad ali-  
quem certum vsum.

*De deposito, Titulus XVI.*

**P**rima obseruatio: Visum fuit supra de còtractu  
qui fit gratia recipientis, scilicet, de commoda-  
to, videamus modo de còtractu, qui fit gratia  
concedentis, scilicet, de deposito, sic còtinuatur hæc  
rubrica à glossa in præsentì.

Secunda obseruatio: Depositor est qui rem depo-  
nit. Depositarius qui recipit depositum ad illud cu-  
stodiendum. Et depositum duo significat: primò sig-  
nificat còtractum consistentem inter depositorem,  
& depositarium, quo scilicet, depositor dat deposita-  
rio, vt custodiat, & depositarius recipit, teneturque  
custodire, de quo agitur toto isto titulo, ff. depositi.  
Secundò significat ipsam rem apud depositarium de-  
positam. l. 1. in princip. ff. depositi. In præsentì ergo  
tit. accipitur depositum in priori significatione. Di-  
citur

citurq; depositum à præpositione, de, & à dictione positum, quasi sit de custodia mea seorsum positum, & in tuam translatum, d. l. 1. in prin. ff. isto tit. nam ut communiter dicitur, præpositio, de, auget positum, ut ostendat totum illud quod ad custodiam rei pertinet fidei depositarij esse commissum.

Tertia observatio: Diffinitur depositum hac ratione, depositum quod custodiendum alicui datum est d. l. 1. in prin. ff. eodem. In qua definitione verbum illud, datum est, interpretatur ibi glossa, idest, traditum est, nam qui deponit non dat rem, sed tradit illam, quia sibi possessionem & proprietatem reseruat, l. licet, §. 1. ff. eod. Sed ista definitio, quæ communis est, & ab omnibus traditur, non est definitio depositi, prout significat contractum, sed prout significat rem depositam, nam certe quod custodiendum alicui datum est res deposita est, non vero contractus depositi. Quare depositum prout significat contractum sic commodè & facile diffiniri poterit: Depositum est contractus celebratus quo aliquid alicui custodiendum traditur, quæ definitio de se facilis est. Est autem duplex depositum, scilicet, necessarium & voluntarium, ut colligitur ex dicta l. 1. paragrapho, Prætor ait, ff. eodem.

Quarta observatio: Videndum erat in præsentibus, quibus modis depositum à sequestro distinguatur, sed quia id iam disputauimus in lib. 2. titulo de sequestratione possessionum & fructuum, observatione. 2. & 3. consultò prætermittimus. Quare ad hujus tituli clariorem expositionem, videamus in quibus rebus depo-

depositum consistat. Cui respōdemus quòd si loquamur de deposito vt est quid distinctum à sequestro, quod solum potest fieri de rebus mobilibus & se mouentibus: vt docet Hostiensis in Summa, isto titulo numero 3. in immobilibus autē consistere non potest, sicut neque in rebus accessorijs, vt si deponam seruum vestitum, vel equum cum capistro, de veste vel capistro non censetur factum fuisse depositum, l. i. §. quę depositis, ff. de positi, licet actione depositi vestis & capistrum repetantur.

Quinta obseruatio: Actiones quę depositi causa dantur duę sunt, scilicet, directa & cōtraria. Directa est quę datur deponitori, aut hæredi ipsius aduersus depositarium vel hæredem suum, quę conceditur, verbi gratia, vel ad repetendam rem depositam, vel ad damnum eiusdem, vel ad aliud simile. Contraria vero est, quę quasi ex opposito respicit directam, & datur depositario aduersus deponitorem, vt quando deponitarius aliquid impēderit in re deposita, l. ei apud quē. ff. de positi. Quare optime scribitur iste titulus in ff. sic: *Depositi, vel contra.*

Hic titulus duo continet capita, non habetur in Sexto, neque in Clementinis, & de eius materia habetur in capite, ius naturale, distinctione. i. & capite, ne quis. 22. quęst. 2. Quod autem in eo disputatur est, primò, quòd ex deposito facto apud clericum Ecclesia non tenetur, nisi fuerit conuersum in utilitatem Ecclesię: & secundò ad quid tenetur depositarius, & quomodo repetitur depositum. Sensus verò rubricę est huiusmodi: *De deposito, id est, de cōtractu quo*

quo aliquid alicui ad custodiendum traditur.

*De emptione & venditione, Tit. XVII.*

**P**Rima observatio: Quoniam in superioribus disputauimus de contractibus qui gratia alterius tantum partis celebrantur, agendum erit in sequentibus titulis de illis qui gratia vtriusque partis solent celebrari: & quia inter illos potissimus est contractus emptionis & venditionis, cum præ cæteris frequentari soleat, ideò de emptione & venditione in præsentī rubrica erit disputandum.

Secūda observatio, Isti contractus cum sequenti de locatione & conductione inter alios contractus hoc peculiare habent, quòd duobus nominibus nominentur, nō quidem quia quilibet illorum duplex contractus sit, sed quia diuersis habitis considerationibus, diuersis insigniuntur nominibus. Contractus enim de quo in præsentī disputatur, si consideretur respectu euentis, dicitur emptio, & si respectu vendentis dicitur venditio. Similiter etiam contractus locationis & conductionis, de quo in sequenti rubrica disputatur. Si consideretur in ordine ad dantem rem locatam, dicitur locatio, & si consideretur in ordine ad accipientem dicitur conductio. Quod quidem etiam in omnibus alijs contractibus fieri posset si vocabulorum copia non deficeret, sæpè enim contingit vt plura sint negotia quàm vocabula, l. natura enim. ff. de præscriptis verbis. Quæ omnia sunt verissima, licet olim veteres emptionis & venditionis verbis promiscue vterentur, vt docet Othomanus

de verbis iuris, verbo, emptionis el segundo, & ex l. veteres. ff. de actionibus empti: & licet etiam lex duodecim tabularum nomine emptionis omnem alienationem fuerit complexa, l. statu liberi. ff. de statu liberis.

Tertia obseruatio: Contractus emptionis, & venditionis sic definitur, à Medices. 2. parte de definitionibus, capite. 48. numero primo. Emptio, seu venditio est contractus bonæ fidei, vltro citroque obligatorius, qui consensu celebratur, & re, & pretio perficitur. Diffinitur autem ab Othomano de verbis iuris, verbo, emptio, el primero, hac ratione: Emptio, seu venditio est contractus iuris gentium de quantitate cum corpore in perpetuum commutanda, sola inter se pactione contrahentes obligans. In qua definitione præcipuè ostendenda est illa particula, in perpetuum, nam per illam distinguitur emptio & venditio, in qua res vendita in perpetuum traditur à locatione & conductione, in qua ad certum tempus res locata conceditur: ex quibus duabus definitionibus elige quam malueris. Emptionis autem, & venditionis duæ sunt species, alia quæ fit sine scriptura, quæ est illa quæ contrahitur simulatque de pretio conuentum fuerit, quamuis pretium nondum enumeratum sit, neque arrha data fuerit. Alia verò species est, quæ fit cum scriptura, quæ contrahitur simulatque scriptura fuerit partibus absoluta, vt probatur in principio Instituta, isto titulo. Vtraque tamen emptionis & venditionis species cum sit contractus qui con-

qui consensu celebratur contrahi potest tam inter  
præsentes, quam inter absentes, per nuncium,  
vel per epistolam, l. 1. paragrapho ultimo. ff.  
eodem.

Quarta obseruatio. Quoniam olim dubitatum  
fuit, an quando datur altera res seu species in pre-  
tium rei emptæ sit emptio, & venditio, & præua-  
luerit opinio illorum, qui dicebant, emptionem,  
& venditionem non fieri, sed potius permutatio-  
nem contrahi, ut probatur in paragrapho, nam  
in cæteris, instituta, eodem, ideò proponendæ  
sunt differentiæ, quæ inter emptionem seu vendi-  
tionem & permutationem reperiuntur. Prima est  
quòd in emptione datur res pro numis, in permu-  
tatione vero res pro re. Secunda est, quòd in em-  
ptione ex sola conuentione, seu consensu nascitur  
obligatio, in permutatione vero ex rei traditione.  
Tertia est, quòd in emptione venditor solum tene-  
tur ad possessionem præstendam, in permutatione  
vero tenetur permutator dominium transferre.  
Quarta est, quòd emptio potest consistere in tra-  
ditione rei alienæ, permutatio vero nequaquam, quæ  
omnia patent in l. 1. ff. de rerum permutatione.

Quinta obseruatio: Quia in emptione & vendi-  
tione sæpissimè arrhæ dantur, videndum est, quid  
sit arrha, & cuius gratia in emptionibus & venditio-  
nibus detur. Arrha ergo licet aliquando pro pig-  
nore accipiatur apud authores, proptie tamen est  
id quod datur in signum contractæ emptionis,  
vel in signam futuri matrimonij. Vnde Arrhæ  
alia

aliae sunt emptionis, aliae sponsalitia. Sponsalitia sunt munuscula quaedam quae dantur sponsis in sponsaliorum contractuum, l. si quis, 38. ff. de ritu nuptiarum, & l. si legibus 17. C. de Episcopali audientia. Arrha vero emptionis vel venditionis est signum emptionis & venditionis contractae, ut evidentius probari possit contrahentes convenisse de pretio. l. 35. ff. de contrahenda emptione, & l. 2. §. is qui vina. ff. de actionibus empti. Post emptionem ergo emptor dat arrham venditori in signum venditionis contractae, qua data, si recedat emptor perdit arrham: & si recedit venditor reddit duplum, in quo duplo arrha accepta contineatur. §. donec. inst. de emptione, & venditione.

Sexta observatio. Actiones quae ratione emptionis & venditionis dantur duae sunt. Altera, quae dicitur actio ex empto, quae datur emptori contra venditorem, ut ad petendam rem venditam. Altera vero quae dicitur actio ex vendito, quae datur venditori contra emptorem, ut ad petendum pretium, unde est quidam titulus in ff. qui dicitur, de actionibus empti & venditi.

Hic titulus septem continet capita, & habetur solum in Extrauagantibus communibus, & de eius materia habetur in capite, qualitas, de penitentia, distinctione quinta, & capite, eos, 1. quaestione. 1. & in multis capitibus. 1. quaestione. 2. & 3. Quod vero in eo disputatur est de pretio rerum venditarum, & defraudantibus mensuras, de venditore decepto ultra dimidium pretij: de pacto retro



retrouendendi, & denique de euictione rei vendita. Sensus vero rubricæ non eget clariori expositione.

*De locato & conducto. Tit. XVIII.*

**P**rima obseruatio: Quoniam locatio & conductio ad similitudinem emptionis & venditionis contrahitur in tantum, vt aliquando dubitetur, an locatio & conductio vel potius emptio & venditio contrahatur, vt probatur l. 1. & 2. ff. locati, ideò post titulum de emptione & venditione, de locatione & conductione sequitur, videamus.

Secunda obseruatio: quanquam apud veteres locare & conducere inter se sæpissimè confundantur, & vnum pro alio accipi soleat, vt docet Accursius in l. 1. in principio. ff. ad legem Rhodiam, de iactu, & habetur, in l. veteres. ff. de actionibus empti. Nihilominus tamen locare propriè significat mercedem recipere & rem locatam præstare: conducere verò est contra mercedem dare, & rem locatam ad vtendum accipere. Ex quibus oriuntur locatio, & conductio, & locator, & conductor. Locator enim est, qui pretium, vel mercedem recipit, & rem locatam ad vtendum tradit. Conductor vero qui mercedem tradit, & rem locatam ad vtendum recipit. Inter locatorem ergo & conductorem contractus locationis & conductionis celebratur, qui sic definitur: Est rei vel personæ ad certum tempus, vel ad certum usum

concessio mercede in pecunia consistente. In qua definitione dicitur, rei, vel personæ, quia tam personæ, seu operæ personales, quam ipsæ res possunt locari. Et dicitur, ad certum tempus, vt distingua- tur à venditione, quæ est perpetua. Dicitur, vel ad certum usum, quia non potest conductor vti re lo- cata alio fine, quàm locauerit. Et denique dicitur, mercede in pecunia consistente, quia si pro operi- bus personalibus locatis, vel pro rei locatæ usu, non daretur pecunia, sed alia res vel species, non fieret lo- catio & conductio, sed contractus in nominatus, do- vt des, vel facio vt facias, aut è contractus quo age- tur præscriptis verbis, l. si conuenerit. ff. communi diuidendo, & l. 1. paragrapho, si quis seruum. ff. de- positi.

Tertia obseruatio: Contractus locationis, & con- ductionis contrahitur eisdem modis quibus emptio & venditio: vnde simulatque de mercede conuen- tum fuerit pro usu alicuius rei, vel pro facienda ali- qua re contracta cenletur locatio & conductio, & hoc siue inter præsentis, siue inter absentes, per epistolam, vel per nuncium: est enim contractus, qui consensu celebratur, vt probatur in principio in- stit. de obligationibus ex consensu. Ex quibus infer- tur, quòd quemadmodum pretium emptionis, & venditionis in arbitrium tertij refertur potest, §. pre- tium, instituta de emptione & venditione, ita etiam locationis, & conductionis mercedem in arbitrium & voluntate n alterius referre licebit, vt quanti illi visum fuerit, tanti res ipsa locetur vel conducatur.

Quar.

Quarta obseruatio: Quemadmodum in superioribus contractibus duæ dantur actiones, ita etiam in locatione, & conductione. Altera enim est actio ex locato, quæ datur locatori aduersus conductorem, ut ad petendam mercedem. Altera verò est actio ex conducto, quæ datur conductori aduersus locatorem, ut si sibi re conducta frui non permittatur. Et sic est titulus in ff. qui dicitur, locati, & conducti, id est, de actionibus locati & conducti.

Hic titulus quatuor habet capita, & neque habetur in Sexto, neque in Clementinis, & de eius materia habetur capite, ea enim, paragrafo, perpetua, 10. quæstione secunda. Quod autem in ea disputatur est, quod domus scholarium Bononiensium non possunt locari ante tempus, & quod prouentus decimarum locari possunt, & quod pensio conductoris remitti debet propter sterilitatem rei locatæ, & denique, quod emphyteuta Ecclesiæ meliorationes suas vendere non potest. Sensus verò rubricæ facilis est, nam dicit, De locato, & conducto, id est, de contractu locationis, & conductionis.

*De rerum permutatione. Tit. XIX.*

PRIMA obseruatio. Hanc rubricam sic continuat Hostiensis in præsentis. Prætermisso tractatu de contractibus nominatis, videamus de innominatis, & sic de rerum permutatione, glos. autè in præsentis

fic continuat: Visum est supra de emptione & venditione, deinde de quodam contractu emptioni, & venditioni vicino, scilicet, de locatione & conductione, ac proinde agendum est de rerum permutatione, quæ etiam est emptioni, & venditioni similis & vicina.

Secunda observatio: Duo vocabula in hac rubrica reperiuntur, scilicet, hoc nomen, res, & hoc nomen permutatio, de quibus sigillatim dispiciamus. Res ergo ut diximus in tit. de rebus Ecclesiæ alienandis valde generale est, nã significat omnia quæ sunt cum sit nomen transcendens, in præfenti tamen aliquantulum limitatur, quãvis etiam satis generaliter accipiatur, capitur enim pro omnibus rebus temporalibus & spiritualibus, quæ in Ecclesiæ cõmercio (ut ita loquar) esse possunt: hæc enim inter se possunt permutari, scilicet, temporalia cum temporalibus, & spiritualia cum spiritualibus, non tamen temporalia cum spiritualibus, ut probatur capite finali, isto titulo. Præterea hoc nomen, permutatio, duobus modis accipi potest. Primò in communi, & generali significatione, qua ratione comprehendit sub se omnem contractum, in quo vnum pro alio datur, ut mutuum, locationem, & conductionem, emptionem & venditionem, & alia similia. l. prima, ff. de contrahenda emptione. Secundo modo accipitur in quadam minus lata significatione, qua ratione comprehendit illum contractum, in quo vna certa species pro alia certa specie datur, ita ut vna non sit pretium, neque

merces

merces alterius, & permutatio hac ratione sumpta est contractus innominatus, & re celebratus, vt docet glossa in rubrica. ff. isto titu. Et de permutatione sic accepta in præsentit. disputatur.

Tertia obseruatio. Permutatio sic diffinitur à Medices. 1. par. de diffinitionibus. cap. 73. numero 1. Permutatio est vnius rei pro altera vicaria præstatio. In qua diffinitione nomine, *Rei*, debet intelligi res seu species certa, & determinata, ita vt vtraque res certa sit. nam si res incerta pro certa, vel incerta pro incerta detur non est permutatio, sed contractus innominatus do vt des. Contrahitur enim permutatio simul atque conuentum fuerit, vt certa species pro certa specie detur, vt Sticus pro Pamphilo, vel domus pro vinea. Et dicitur, *vicaria præstatio*, id est donatio in qua vna res sustinet vicem alterius: nam hoc nomen vicarius, vicaria, vicarium, nihil aliud significat quam quod vim alterius gerit, vt docet Calepinus in verbo vicarius. Quare permutatio ea parte qua re celebratur distinguitur à contractibus qui cō sensu celebrantur: & ea parte qua vna res pro alia datur distinguitur à solutione indebiti, commo dato, deposito, pignore, & à contractibus innominatis do vt facias, facio vt des, & facio vt facias: & ea parte qua vna res pro alia statim datur siue sit eiusdē siue diuersi generis distinguitur permutatio à mutuo: & denique ea parte qua certa res pro certa re datur distinguitur ab alio contractu innominato do vt des, in quo certa res pro incerta vel incerta, pro incerta dari potest.

Quarta obseruatio. Dicit aliquis quare permutatio dicitur contractus innominatus si appellatur cōmuniter à Doctōribus permutatio? Respondeo ideo innominatum dici, quia caret nomine certo, & speciali, nomen enim permutationis generale est multos contractus comprehendens, vt diximus obseruatione. 2 Sed dices quare quidam contractus dicuntur nominati, & quidam innominati, & qui sunt illi? Respondeo cum Host. in præsentī. §. quid sit permutatio, in fine: quod contractus nominatus est ille, & dicitur ille, qui habet proprium nomen sibi ita appropriatum, vt nulli ali; contractui tale nomen conueniat, vt emptio, depositum, mandatum, &c. Et cōtractus innominatus est ille, & dicitur ille qui nō habet nomē, aut non habet illud ita appropriatum, vt sibi solum conueniat, qualis est permutatio. Ex quibus facile colligitur contractus innominatos esse quinque, scilicet, permutationem, quæ licet habeat nomē generale, tamen propriū nomen nō habet: & isti quatuor, do vt des, facio vt facias, do vt facias, & facio, vt des, qui nullū nomen habēt, neque propriū neque generale, sed per plura vocabula nominātur ac proinde innominati dicuntur.

Hic titulus nouē habet capita, habetur in 6. & Clemētinis, & de eius materia agitur. c. ca enim. §. sed & permutare. 12. q. 2. & in multis alijs capitibus. Quod vero in eo disputatur est. An res Ecclesiasticæ, serui Ecclesiastici, & præbēdę seu beneficia Ecclesiastica possint permutari, & sū vero rubricæ est. De rerū permutatione: id est de rerū ecclesiasticarū permutatione.

De Ferr.

## De Feudis. Tit. XX.

**P**rima obseruatio. Haftenus dictum fuit de contractibus per quos dominia rerum transferuntur modo videamus de his per quos ius percipiendi fructus transfertur, & sic de feudis sequitur disputandum.

Secunda obseruatio. Feudum quamuis aliqui dicant à fædere dici, dicitur tamen à fidelitate seu à fide quam vassallus seruare debet domino, non enim debet fieri aliqua inuestitura vassallo qui fidelitatem facere recusat, vt dicitur in constitutionibus feudorum capit. nulla. & capite. sequenti, titulo, per quos fiat inuestitura feudi, nisi ita comparatum sit feudum, vt de eo fidelitas non præstetur. capite. est & alia, titu. in quibus causis feudum amittatur. Contrahitur autem feudum inter dominum, & feudatarium seu vassallum. Dominus est qui feudum concedit. Et vassallus qui feudum recipit. Et fit feudum per inuestituram rei de qua feudum datur. Est autem inuestitura idem, quod possessio illius rei quæ in feudum datur. Res autem de qua feudum constituitur debet esse res immobilis, seu res soli, vel solo cohærens, aut res quæ inter immobilia computetur. Fidelitas vero quam vassallus facere debet nihil aliud est, quam iusiurandum, quod præstatur domino pro inuestitura, quo iurat ipsi domino fore fidelem in omnibus sicut bonus vassallus, & ei seruitium exhibere. Seruitium autem est id quod vassallus domino pro feudo

p. 282.

præstare tenetur: quid autem istud sit, in principio quando feudum contrahitur: inter dominum, & vassallum paciscitur.

Tertia observatio, visum est vnde dicatur, Feudum quis dicatur Dñs, quis vassallus, quid sit investitura, quid fidelitas, & quid seruitium: ideo videndum est quomodo diffiniatur feudum: cuius quæque proponam diffinitiones, vt vnã libere eligere possis. Prima est quã tradit Medices 2. part. de diffinitionibus. c. 49. n. 8. quæ est huiusmodi. Feudum est contractus in quo alicui datur res immobilis, vt ad eum hæredesque suos masculos vel foeminas, si de his nominatum dictum fuerit, in perpetuum pertineat ob fidelitatem præstandam, & seruitia impendenda. Secunda est quam tradit Lexicon iuris verbo feudum quæ est huiusmodi, feudum est beneficiũ rei alicuius investitura interueniente sic concessæ seu datæ alteri, quod dominium penes concedentem remaneat. Tertia est quam tradit Hostiensis in summa isto titulo numero. 1. Feudum est beneficium id est beneuolactio tribuens gaudium capienti, Capiensque tribuendo in id, quod facit prona & sua sponte parata. Quarta est, Feudum est beneuola rei immobilis concessio facta alicui ad vtendum pro seruitio. Quinta est, Feudum est beneuola actio tribuens gaudium capienti cum seruitio retribuendo, per quam transferatur utile dominium de domino in vassallum.

Quarta observatio. Ex superioribus diffinitionibus collige dominium esse duplex aliud directum, & aliud utile. Directum est quod retinet is qui concedit



cedit feudum qui quidem ciuilitate tanquam directus dominus possidet, & liberam habet rei potestatem. Dominium utile est, quod habet feudatarius qui quidem naturaliter possidet, & recipit omne commodum, & utilitatem rei feudatæ, à qua utilitate dicitur utile.

Hic titulus duo habet capita, non habetur in. 6. vel Clementinis, & de eius materia tractatur. capit. de forma. 22. quæst. ultimo. Quod vero in eo disputatur est, quod si dominus suscipiat rem feudatam in pignus, non tenetur fructus computare in sortem, & quod non obstante iuramento de non infeudandis Ecclesiasticas, potest Episcopus in quibusdam casibus nouum feudum facere. Sensus vero rubricæ est huiusmodi. *De Feudis*, id est de beneuola rei cõcessione, qua dominus rem immobilem vassallo pro seruitio præstando concedit.

*De pignoribus, & alijs cautionibus. Tit. XXI.*

**P**rima obseruatio. Quoniam disputauimus in superioribus qualiter res alienentur modo restat videamus qualiter obligentur, & sic de pignoribus, & alijs cautionibus dispiciamus. Vel cõtinua hac ratione. Qui pignori dat alienare quodammodo videtur. l. cum hic status. §. si maritus. ff. de donationibus inter. ideo postquam egimus de rerum alienatione, agendum erit de earundem pignoratione, & sic ponitur rubrica. *De pignoribus, & alijs cautionibus.*

Secunda

Secunda observatio. Hæc rubrica præterquã, quod inscribitur. *De pignoribus, addit. Et de alijs cautionibus,* in numero plurali: quoniam præter pignus multiplex est cautio. Cautio enim significat securitatem qua quis fit securus de eo, quod sibi promittitur, quod cum multipliciter contingat, multiplex erit cautio: quædam enim est simplex, quæ fit sola promissione; alia iuratoria, quæ fit cum iuramento alia fideiudoria, quæ fit datis fideiussoribus, alia hypothecaria, quæ fit cum hypotheca: & sic de alijs. In præsentî tamen titulo licet dicatur, *De pignoribus, & alijs cautionibus,* nihilominus tamen fere solum de pignoribus disputatur: nam de alijs cautionibus in particulari nihil loquitur.

Tertia observatio. Pignus dicitur à pugno, quia est res mobilis quæ quasi transit à pugno in pugnum. l. plebs. §: pignus. ff. de verborum significatione. Diffinitur autem hac ratione. Pignus est obligatio rei licitæ pro debito inita, quæ fit, ut creditor securior de debito fiat: tutius enim est pignori incumbere quam in personam agere. §. furti, instituta de obligationibus quæ ex delicto nascuntur. Sed quoniam hæc diffinitio satis exacta non est cum conveniat etiam hypothecæ erit sic melius diffiniendum. Pignus est res mobilis vel semouens apud creditorem à debitore tradita, & collata ad præstandum securitatem de soluendo debito, vel de adimplendo promisso. Vel sic, & breuius. Pignus est res mobilis obligata pro debito ad securitatem creditoris. Vbi nota quod quan-

uis

uis in diffinitione dicatur, quod pignus obligatur ad securitatem creditoris, quod nihilominus pignus utriusque gratia contrahitur, scilicet, creditoris ut securus fiat, & debitoris, ut melius ei debitum credatur. §. creditor inst. quibus modis re contrahitur obligatio. Est autem creditor ille, cui ex qualibet causa debetur. l. creditores. ff. de verborum significatione. Et debitor est ille à quo inuito debitum exigipotest. l. debitor. ff. eod. Animaduertendum tamé est ex superiori pignoris diffinitione colligi, pignus, & contractus pignoris, res esse distinctas: nam pignus est illa res mobilis quæ pro debito obligatur creditori, at vero contractus pignoris est conuentio illa re celebrata, qua debitor, & creditor conueniunt, ut talis res mobilis, sit pro debito obligata. Et hoc idem proportione seruata dicendum est de hypotheca, & contractu hypothecario.

Quarta obseruatio. Ut facilius pignoris natura cognoscatur videamus quo modo pignus, & hypotheca distinguantur, pro quo obseruandum est: Inter pignus, & hypothecam quantum ad actionem hypothecariam nihil interesse, nam de quacunque re inter creditorem, & debitorem conuenit, ut sit pro debito obligata appellatione actionis hypothecariæ utraque continetur. Sed in alijs est differentia, scilicet, quod pignus est res quæ obligatur, & creditori traditur maxime si mobilis sit. Hypotheca vero est res quæ obligatur, & creditori non traditur, maxime si sit immobilis, ut probatur in §. item seruiana inst. de actionibus. Vnde pignoris  
 contra-

contractus re celebratur: Hypotheca vero nudo cō-  
sensu. In hoc ergo titu. de pignore, & hypotheca dis-  
putatur, quoniam si animaduertas in multis huius ti-  
tuli capitibus, sub nomine pignoris etiam hypothe-  
ca comprehenditur, vt patet in capite. ex præsentiu  
capite. illo vos, & cap. ex literis, & in alijs multis in-  
fra. Quare aliqui voluerunt, quod quando in rubri-  
ca dicitur, *De pignoribus*, intelligatur de pignoribus  
proprie sumptis, & quando addit. *Et de alijs cautio-  
nibus*, intelligatur de hypothecis. Quod quidē nō im-  
merito animaduertēdū, nā vt diximus in secūda ob-  
seruatione non disputatur in hoc tit. de alijs cautio-  
nibus quam de pignoribus & hypothecis.

Hic titulus continet octo capita, non habetur in  
6. neque in Clementinis, & de eius materia agitur,  
12. quæst. 3. & 4. per totum. Quod vero in eo disputa-  
tur est quod res Ecclesiæ, neque liber homo debent  
pignorari, & quod hæres rectoris qui rem Ecclesiæ  
pignorauit cogitur pignus redimere, & quod bona  
mariti tacite sunt mulieri obligata pro dote, & quod  
fructus pignoris debēt computari in sortem, & alia  
similia. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. *De pig-  
noribus, & alijs cautionibus*, id est. De rebus mobilibus  
vel immobilibus pro debito obligatis ad securita-  
tem creditoris.

*De fideiussoribus. Tit. XXII.*

**P**rima obseruatio. Diximus supra qualiter per  
obligationem ipsarum rerum creditoribus ca-  
ueatur nūc dicamus qualiter caueatur per obli-  
gatio.

gationem personarum, & sic de fideiussoribus disputemus, qui principalibus obligationibus applicentur.

Secunda observatio. Duobus modis aliquis obligatus est alicui, aut proprio nomine pro sua obligatione, aut nomine alieno pro aliena obligatione, ut habetur in. l. 1. §. sed aut proprio ff. de obligationibus & actionibus. Ex quibus qui nomine alieno, & pro aliena obligatione obligatur fideiussor appellatur. Diciturque fideiussor à fide, & à iubeo iubes, quasi sit qui iussu alterius ponit fidem suam. l. 1. & 2. ff. de fideiussoribus. Potest autem sumi fideiussoris nomen duobus modis. Primo in lata quadam significatione qua ratione significat, & comprehendit sub se omnes intercessorum species, scilicet, Mandatorem, Constitutorem, Expromissorem, Sponsorem, & proprium fideiussorem. Secundo modo sumitur proprie, & stricte pro vna intercessorum specie à cæteris distincta, scilicet, pro illo qui alienam in se suscipit fidem principali manente obligato, qui proprie fideiussor appellatur. In hoc ergo titulo in hac secunda significatione accipitur fideiussor.

Tertia observatio. Fideiussor sic diffinitur ab Hostiense in summa isto titulo, numero 1. Fideiussor est qui alienam obligationem in suam suscipit fidem, principali nihilominus manente obligato. Et hanc eandem diffinitionem tradit Medices. 2. parte de diffinitionibus. cap. 64. nume. 13. Sed ut meliorem diffinitionem tradamus, & clarior fiat fideiussoris natura, proponamus in præsentì diffinitiones illorū qui

fideiussores etiam in latissima significatione appellantur. Ex quibus mandator est qui solum obligatur ante obligationem principalis. l. si vero. §. si post creditam. ff. mandati. Constitutor est qui solum obligatur post obligationem principalis. l. . . C. de constituta pecuniaria. Expromissor est qui se obligat pro alio non obligato glossa in. l. Stichum. §. aditio verbo intercesserat. ff. de solutionibus. Sponsor denique est qui sponte, & sine rogamine intercedit pro alio præsente principali debitore. l. qui patitur. ff. mandati. His ita definitis proponi poterit optima fideiussoris definitio quæ est huiusmodi. Fideiussor est qui rogatus alienam in se suscipit fidem pro principali iam antea obligato vel postea obligando, civiliter tantum vel naturaliter tantum, vel civiliter, & naturaliter simul. Ex qua definitione facile est colligere quomodo fideiussor distinguatur à mandatoribus, constitutoribus, expromissoribus, & sponsoribus.

Quarta observatio. Breuiter hic tria videamus. Primum est quomodo fideiussor constituatur seu obligetur? Et respondeo obligari seu fideiubere per interrogationem qua interrogatur hac ratione, *Fideiubes pro tali, & promittis mihi pro eo*, & ipse respondeat, *Promitto*: ita tamen, vt non obligetur plus quam principalis. §. fideiussores instituta eod. Secundum est quare exigatur Fideiussor. Et respondeo exigi, vt melius creditoribus cautum sit, & vt id quod à debitore consequi non potest, à fideiussore consequatur. §. final. instituta de replicationibus: ita tamen, vt prius exigatur à principali,

in

in cuius defectum exigi debet à fideiussore. Tertium est quis sit ille qui iniure appellatur fideiussor in rem suam. Et respondeo illum dici qui fideiubet pro aliqua re quæ futura est eius, vt si fideiubeam iudicatum solui pro meo procuratore. l. si defunctus ff. de procuratoribus.

Hic titulus quinque habet capita, non habetur in sexto, neque in Clementinis, & de eius materia agitur, capite. cum homo. 27. questione. 5. & capite. nos autem, & capite. quæris de consecratione, distinctione. 4. Quod autem in eo disputatur est, quod clericus non potest esse fideiussor, & quod debitor tenetur suum fideiussorem indemnem seruare, & denique, quod fideiussor in tribus casibus agere potest contra debitorem antequam solvatur. Sensus autem rubricæ est huiusmodi, *De fideiussoribus*, id est de his qui alienas obligationes in suam suscipiunt fidei principali etiam manente obligato.

*De solutionibus. Titulus XXIII.*

**P**rima observatio. Quoniam in obligatione somnia de quibus supra disputauimus per solutionem tolluntur, nã solutione eius, quod debetur tollitur obligatio in principio. quibus modis tollitur obligatio ideo post disputationem obligationum videamus de solutionibus, & sic conuenienti loco ponitur iste titulus.

Secunda observatio. Solutionis verbum (præterquã in quacũq; facultate significat argumetorũ responsionem)

nem) nihilominus latepatens est, & satisfactionem omnem qua creditor contentus fuerit comprehendit: solvere enim dicimus eum qui id facit, quod facere promisit. l. solutionis. ff. de verborum significatione: quomodo in lata significatione accipitur solutio, potestque hac ratione diffiniri, solutio est obligationis liberatio. Proprie tamen, & stricte prout in presenti titulo de ea disputatur aliter diffinitur ab Host. in presenti, nume. 1. & colligitur ex princ. inst. quibus modis tollitur obligatio, scilicet, solutio est redditiō eius, quod debetur. Redditione ergo eius quod debetur tollitur omnis obligatio siue principalis, siue accessoria, siue fiat solutio à principali debitore, siue ab alio, etiam invito principali, ut probatur in principio inst. quibus modis tollitur obligatio.

Tertia observatio. Solutio duplex est, alia naturalis & vera, alia civilis siue imaginaria: naturalis & vera est quæ fit per realem redditiōem eius, quod debetur, scilicet quando realiter pecunia numerata est, ut docet Hortomanus, de verbis iuris verbo, solutū Civilis vero siue imaginaria est quæ fit nō pecunie numeratione, sed varijs alijs modis, scilicet, per novationem, delegationem, acceptilationem, & compensationem. Quid autem ista sint videamus. Novatio est obligationis prioris debiti, in aliam obligationem translatio. l. 1. ff. de novationibus. Delegatio est vice unius, alterius debitoris datio. l. 2. & l. de delegare ff. de novationibus. Acceptilatio est per mutua interrogationem debiti liberatio. l. 1. ff. de acceptilatione



lationibus. Compensatio denique est debiti, & crediti inter se contributio. l. 1. ff. de compensatio-  
nibus.

Hic titulus quatuor habet capita, non habetur in  
vel Clementinis, & de eius materia tractatur in. c.  
medicina de poenitentia, d. 1. & in tribus primis ca-  
pitibus de poenitentia dist. 4. Quod vero in eo dispu-  
tatur est primo, quod successor in beneficio tenetur  
soluere debita prædecessoris pro necessitate Eccle-  
siae contracta. Secundo, quod si prælatus obligat Ec-  
clesiam pro alienis debitis est suspensus, & ecclesia  
non tenetur. Tertio, quod clericus qui non potest  
soluere non debet molestari, licet cogatur præstare  
cautionem de soluendo quâdo poterit. Et quarto, quod  
qui dicit se indebitum soluisse id probare tenetur.  
Sensus vero rubricæ est. De solutionibus, id est de red-  
ditionibus eius, quod debetur.

### De Donationibus. Tit. XXIII.

**P**rima observatio. Supradictum est de contracti-  
bus quibus nō gratuito res alienantur, nūc dicē-  
dum erit de donationibus quibus res gratis trās-  
feruntur: donationem autem alienationem esse pro-  
batur in. capite. nulli de rebus ecclesie alienandis  
vel non.

Secunda observatio. Donatio dicitur à dono, &  
datio, quasi doni datio, quia qui donat domum dat  
l. senatus §. 1. ff. de donationibus causa mortis. Hæc  
enim reperitur differentia inter donationem, & da-  
tionem

tionem, quod datio significat quamcūque alienationem § sic itaque discretis, inst. de actionibus. Donatio vero solum significat illam alienationem quę cū dono fit, id est in qua liberalitatis causa aliquid datum est unde creditor qui mutuat vel debitor qui soluit non dicitur donare, sed dare : & hoc confirmat, quod Latini donari dicunt cum solum liberalitatis, & munificentię causa aliquid alicui traditur. Diffinitur autem donatio hoc ratione, donatio est rei licitę nullo iure cogente mera liberalitate facta collatio, l. 1. & l. donari, ff. de donationibus, l. donari. ff. de reg. iur. In qua diffinitione, *Collatio*, habet locum generis, licet ornatus orationis causa ponatur in vltima parte diffinitionis. Et alię partes habent locum differentię, nam dicitur, *Rei licite*, quia illicita donatio non tenet, capite, in malis de reg. iur. libro sexto dicitur. *Nullo iure cogente*, quia si ius cogit, iam erit aliqua obligatio, & sic potius diceretur solutio, quam donatio. Denique dicitur. *Mera liberalitate facta*, quia si daretur ex aliqua necessitate non esset donatio, sed datio, & in necessitate nemo liberalis existit, l. rem legatam. ff. de aduocandis legatis. Unde si donatio non proueniat ex mera liberalitate donatio non dicitur. l. 1. ff. de donationibus.

Tertia observatio. Donatio in communi triplex est, alia inter vivos, alia mortis causa, & alia propter nuptias, instituta, de donationibus per totum. Donatio inter vivos est, quę sine vlla mortis sit suspicione, scilicet, quando rem quam do-

no malo habere illum cui dono quam me, vt colligitur ex, l. prima, in principio ff. de donationibus. Cuius duæ sunt species prima est quando quis donat ob aliquam causam, secunda quando quis donat simpliciter, & sine causa, & hæc alia est pura, & perfecta: alia conditionalis, & imperfecta seu sub modo. Donatio causa mortis est, timore mortis, alicuius rei prouide, & liberaliter facta collatio, leg. prima & secunda ff. de causa mortis donationibus. Cuius tres sunt species, prima quando quis donat metu mortalitatis futuræ, & non instantis. Secunda quando quis donat metu mortalitatis instantis, & desperans omnino à cõualescentia. Tertia quando quis ita donat, quod magis vult se habere quam eum cui donat, & magis donatarium quam suum hæredem: quæ tres species donationum colliguntur ex l. senatus. §. mortis, & l. prima & secunda. ff. de donationibus. Donatio denique propter nuptias est illa quæ ante Iustinianum vocabatur ante nuptias: ideo quia solum poterat fieri ante matrimonium: Sed quia voluit Iustinianus, vt & post matrimonium posset fieri, ideo ei conueniens nomen accõmodauit, vt diceretur donatio propter nuptias, quæ sic diffiniri poterit. Donatio propter nuptias, quæ etiam sponsalitia vocatur est donatio qua sponsus vel aliquis nomine eius dat sponsæ vel alicui nomine eius, aut è conuerso sponsa sponso: quæ donatio dici potest, donatio ob causam, quia fit ob matrimonium, nam si fiat ante matrimonium, & matrimonium non sequatur est

nulla, quemadmodum, & dos est nulla matrimonio non sequuto. In hoc ergo, tit. solum de donationibus inter viuos disputatur.

Quarta observatio. Alia potest in præsentì propo- ni donationis diuisio, vt scilicet, alia sit quæ non indiget insinuatione, scilicet illa, quæ nõ excedit sum- mã quingentorũ solidorũ, & alia quæ cum insinua- tione fieri debet, scilicet, illa quæ quingentorũ soli- dorũ quantitatẽ superat. §. perficiuntur inst. de dona- tionibus. Insinuatio autem, vt docet Medices. 2. p. de diffinitionibus. c. 54. nu. 9. est donationis præexisten- tis in scripturam redactæ eodem tempore vel diuer- so apud competentem iudicem facta publicatio, & eius autoritate in publica instrumenta vel alia fa- cta traditio, vt fraus, & suspicio vitetur, & perpetuo atque facilior sit veritatis probatio.

Hic titulus continet. 10. capita, non habetur in. 6. neque in Clementinis, & de eius materia agitur in capite. non satis, distinct. 86. capite. placuit. 16. quæst. 3. capite. illud 16. quæst. 6. capit. possessiones. 16. q. 1. & cap. Ecclesiasticis. cap. si quis bonæ & cap. religio- sam. 12. quæst. 2. Quod vero in eo disputatur est, quod promissum debet, vt debitũ adimpleri, & an valeat donatio de rebus Ecclesiæ facta, & quod donatio est plenissime interpretanda, & denique an & quando donatio possit reuocari. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. De donationibus, idest de donationibus seu, de collationibus vel dationibus mera liberalita- te factis.

## De peculio clericorum. Tit. XXV.

**P**rima obseruatio: Abbas in hoc titulo sic con-  
tinuat hanc rubricam. Supra visum est de dona-  
tionibus, sed quia dubitari poterat, an clerici  
possent donationes de eorum peculio facere, meri-  
to subiicitur hæc rubrica, de peculio clericorum. In  
qua quid veniat appellatione clericorum non erit  
opus disputare, cum iam id visum fuit in. l. lib. tit. 28  
de clericis peregrinis, vbi dixi quis dicatur clericus  
& vnde dicatur, & quodnam sit clerici signum: qua-  
re ad nominis peculij expositionem transeamus.

Secunda obseruatio. Peculium erat olim particu-  
la quædam gregis quam patres suis filijs vel domini  
suis seruis industriæ exercendæ causa concedebant  
vt docet Othomanus de verbis iuris, verbo peculiũ  
el tercero. Nunc verò cõmuniter apud iuris peritos  
summa quædam est pecuniæ eadẽ de causa concessa  
& à paternis, dominicisq; rationibus seruicta l. de po-  
siti, ff. de peculio. Quare peculium dictum est quasi  
patrimonium pusillum, vel pecunia pusilla. Et pecu-  
nia dicitur à pecoribus, quia vniuersum fere patri-  
monium habebant antiqui in pecoribus positum: vn-  
de hodie pecuniæ appellatione venit totũ patrimo-  
nium & omnis res quæ in bonis est. l. 2. C. de consti-  
tuta pecunia. Sed nihilominus hodie peculium qua-  
tuor modis capitur. Primò, pro illo pusillo patrimo-  
nio concessio seruis vel filijs familias, Secundò, pro  
pecunia parata alicuius præsidij causa. l. si chorus, ff.  
de legat. 3. Tertio, pro bonis paraphernalibus: sunt  
autem bona paraphernalia res mulieris extra dotem.

cōstitutæ. l. si ego. §. dotis. ff. de iure dotium Et dicū  
 tur paraphernalia. à para, quod est iuxta, & pherna,  
 quod est dos, quasi sint res iuxta dotem positæ, licet  
 dotis nō sint. Quarto capitur pro vniuerso patrimo  
 nio, & pro omnibus bonis alicuius. l. cogi. 16. ff. ad  
 Trebel. In hoc ergo tit. in hac quarta significatione  
 capitur peculiū, disputatur enim in præfenti, de bo  
 nis omnibus seu de vniuerso patrimonio clericorū.  
 Tertia obseru. Quoniam in toto iure civili de pe  
 culio in prima significatione disputatur, & de eo in  
 ea significatione sumpto traditur peculiij definitio,  
 ideò videamus quid & quotuplex sit peculiū. Peculiū  
 est pusilla substantia vel pecunia separata à rebus &  
 ratione inijs patris vel domini, data vel permissa filio  
 vel seruo. l. depositi. §. peculiū. ff. de peculio. Peculij  
 autē summa diuisio hæc est, quòd aut est paganū, aut  
 nō paganū, & quodlibet istorū est etiā duplex. Paga  
 nū enim aut est aduentitiū, aut profectitiū, nō paga  
 nū verò aut est castrense, aut quasicastrense, vnde qua  
 tuor erūt peculiōrū species, scilicet, aduentitiū, pro  
 fectitiū, castrense, & quasicastrense. Aduentitiū est,  
 quod acquiritur ex donatione vel successione alicu  
 ius, vel aliunde ex prospera fortuna, quasi adueniat,  
 ipsi possidenti, nō vt est filius vel seruus, sed ex alia  
 causa: profectiū est, quod proficitur de rebus  
 paternis, vel dominicis, & filio vel seruo datur, vt in  
 eo negotietur: castrense est quod in castris acquisitū  
 est à milite si uero militat. Et denique quasi castrense  
 est quod filij familias de sciētia sua acquirūt occasio  
 ne aduocatoris vel aliorum magistratū publicorū.

Quar-

Quarta obser. In clericis ergo licet castrēse peculiū nō reperiatur, reperiūtur tamē quascāstrēse, aduentitiū, & profectitium. Quascāstrēse est quod ipsi clerici propria industria vel scientia adquirunt, vt si sint in causis spiritualibus aduocati, vel si habeant aliquod officium non intuitu Ecclesiæ eis permissum: de quo bene possunt clerici testamentum facere, capite vlt. de successiōibus ab intestato. Aduentitiū est quod acquiritur à clerico non intuitu Ecclesiæ, sed intuitu personæ ex rebus eorum, vel ex qualibet alia prospera fortuna, quasi adueniat ipsi non vt clericus est, sed aliunde, & de hoc peculio potest clericus libere testamentum facere, capite, quia nos, de testamentis. Profectitium deniq; est quod de bonis Ecclesiæ procedit, vel quod Ecclesiæ contemplatione acquiritur, & proficiscitur, de quo non licet clericis pro arbitrio disponere, & liberè facere testamentum cap. requisisti, infra, de testamentis.

Hic tit. habet quinque capita, nō habetur in 6. neq; in Clemētinis, & de eius materia agitur. 12. q. 1. & 3. & 4. per totū, & c. de laicis, & c. sequē. 12. q. 2. Quod verò in eo disputatur est, primò, quod quæsitā per rectorē nihil habentē, præsumūtur de bonis Ecclesiæ quæsitā. Secūddò, quod quādo aliquid emitur de bonis Ecclesiæ debet confici instrumentū nomine Ecclesiæ. Tertiò, qd quæsitā per Episcopū post cōsecrationē sunt Ecclesiæ. Quartò, quod emptā à prælato ex emolumentis Ecclesiæ, efficiūtur Ecclesiæ, licet, emptā fuerint nomine alieno. Quintò, qd meliorationes à prælato in rebus Ecclesiæ factæ, suæ sunt in ipsius vita.

Sensus

Sensus verò rubricæ est huiusmodi: *De peculio clerico-  
rum*, id est, de bonis clericorum.

*De testamentis & ultimis voluntatibus. Tit. XXVI.*

**P**rima observatio: Quoniam post titulum supe-  
riorem de peculio clericorum, dubitare quis  
poterat, an clerici de peculio suo possint face-  
re testamentum, ideo de testamentis & ultimis volū-  
tatibus erit in præsentī rub. suscipienda disputatio.

Secunda observatio. Testamentum æquiuocum  
nomen est, significat enim apud Theologos sacrarū  
literarum partes, nam diuidūt sacram scripturam in  
duo membra, quorum primum vocāt Testamentum  
vetus, quod tractat de ijs quæ gesta fuerūt ante Chri-  
stum Dominum: & secundum vocant Testamentū  
nouum, quod Christi, & Apostolorum vitam & mi-  
racula continet. Significat etiam testamenti nomen  
in ipsamet Sacra scriptura omne pactum & placitū,  
sic Laban, & Iacob testamentum fecerunt, id est, pa-  
ctum. Apud Iurisperitos verò, & Canonistas signifi-  
cat testamentum, voluntatis dispositionem post mor-  
tem adimplendam. Et dicitur testamentum quasi te-  
stimonium seu testatio mentis, vt probatur in prin-  
cipio inst. de testamentis. Quamuis secundum hanc  
etymologiam, etiam codicillus potest testamentū  
largo modo appellari, l. ab intestato. ff. de iure codi-  
cillorū. Diffinitur autem testamētum hac ratione.  
Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia,  
de eo quod quis post mortem suam cum hæredis in-  
stitutione fieri vult. l. i. ff. de testamentis. Fit autem  
testa-



testamentum de hæreditate, & hæreditas est successio in vniuersum ius quod defunctus habet tempore mortis, l. hæreditas, ff. de regulis iuris.

Tertia obseruatio. Testamentum olim triplex erat. alterum, quod fiebat in pace, & vocabatur Testamentum caratis comitijs, idest, bonis factum in ijs seu bonis conuentibus, à calo quod est bonum. & comitia, quod est conuentus; vel vt alij volunt, à calo, quod est bonum, & comicus quod est pax, quia in bona pace fiebant. Alterum quod fiebant, quando exiuri erant in bellum, & dicebatur procinctum, eo quod tempore breui & procinctu fiebat, scilicet, tempore quo prælium proximè sperabatur. Alterum denique erat quod fiebat per emancipationem, idest, imaginariam quandam venditionem, cum quinque testibus & libripende, seu æstimatore præsentem, qui libripendebat, seu æstimabat familiam, siue hæreditatem, & præsentem etiam quodam familie emptore, qui certo esse heredis loco imaginariè emebat hæreditatē. Sed ista tria genera testamentorum in desuetudinem abiierunt, & sic statutum fuit aliud testamentorum genus. Quare hodie alia erit proponenda testamentorum diuisio, vt scilicet, testamentum aliud sit militare, aliud priuatum, & præterea, priuatum aliud solemne, aliud nuncuparium. Testamentum militare est illud quod facit miles, cuius maxima sunt priuilegia, vt per totum ff. C. & inst. de militari testamento. Solemne, seu in scriptis est, quod fit coram septem testibus rogatis, & subscribentibus, & sigillantibus, ita vt testator vel alius pro eo scribat nomen heredis, l. hac cō-

sultis.

ultissima. C. de testamentis. Nuncupatiuū deniq; est quod fit sine scriptis septem testibus rogatis presentibus, & vnico cōtextu, id est, continuatione, nomine hæredis palam dicto.

Quarta obseru. Posset quis dubitare, quare in hac rubrica primò dicitur, De testamentis, & postea subdit, & vltimis voluntatibus, nā videretur talis additio superflua cū vltima voluntas & testamentum idem sit. Respondeo non esse idē testamentum & vltimā voluntatem, nā quamuis omne testamentum sit vltima voluntas, non tamen omnis vltima voluntas est testamentū. Præter testamentū enim nomine vltimæ voluntatis cōprehendūtur, codicillus, legatū, donatio causa mortis, & fideicōmissum. Ex quibus codicillus est quædā dispositio vltimæ volūtatē sine hæredis institutione. Legatū est donatio à defuncto relicta ab hærede præstāda. §. legatum. inst. de legatis. Donatio causa mortis est quæ propter mortis suspicionē, vt diximus sup. tit. de donationib. obseru. 3. Fideicōmissum deniq; est donatio quæ nullo vinculo iuris sed tantū pudore eorū qui rogantur, cōtinetur. §. 1. inst. de fideicōmissarijs hæreditatibus. Vt ergo intelligeremus in præser tit. nō solum disputari de testamentis, sed etiam de illis alijs quæ appellatione vltimæ voluntatis, ideò nostra rubr. postquam dicit, de testamētis, addit, & de vltimis voluntatib. Hic tit. viginti habet capita, habetur in 6 & Cleinētinis, & de eius materia tractatur, 12. quæst. 5. & 3. & 18. quæst. 4. per totum, & cap. quia, vsque ad finem, 19. quæst. vlt. & §. si aliud, & c. sequenti. 13. quæst. 2. & cap.

& cap. de laicis, 12. q. 2. & cap. commonere, & cap. sequenti, 16. q. 1. & §. quamuis. 27. q. 8. Quod vero in eo præcipuè disputatur, est, qui clerici vel prælati possunt facere testamentum, & de quibus rebus, quales debeant esse executores testamētorum. & intra quod tempus debeant testamenta executioni mādare: quæ testamenta & legata valeant, qui testes de iure Canonico sufficiant, & denique aliqua de quarta Trebellianica disputantur. Sensus vero rubricæ est huiusmodi, *De testamentis & ultimis voluntatibus, id est, de testamentis, & legatis, & fideicommissis, & alijs similibus.*

*De successione ab intestato. Tit. XXXVII.*

**P**rima obseru. Supra disputatū fuit de testamētis, & sic de successione ex testamento, sed quia multoties homines intestati decedunt, videndum est de successione ab intestato.

Secūda obser. Successio duplex est, alia ex testamēto, alia ab intestato vt probatur in, §. si. inst. per quas personas nobis acquiritur: cum ergo in hoc titulo de successione ab intestato disputatur, videamus quorū modis aliquis ab intestato decedat, & quidem quatuor modis, vt probatur in prin. inst. de hæreditatib. quæ ab intest. deferuntur. Primo, quādo quis omnino nō fecit testamētū. Secūdo, quādo illud nō iure fecit. Tertio quando licet iure fecerit, tamen ruptum, aut irritum factum est. Et quarto denique, quando ex eo testamento nemo hæres extiterit. Sed his quatuor modis alios duos addere possumus.

Prima

Primò, quando re incidit testamētum per querelam, de inoficioso testamento: & secundò quando re inciditur per bonorum possessionem contra tabulas, l. vt liberis. C. de collationibus, quos duos modos ponit glossa, verbo, extiterit, in principio, inst. de hæreditatibus, quæ ab intestato differūt. Propositis ergo modis quibus quis ab intestato decedit, prout ad præsentis tituli expositionem attinet, sciēdum est quòd mortuo clerico ab intestato, si non habuerit agnatos vel cognatos succedit Ecclesia, c. si. in fin. 12. quæst. 4. & capite 1. isto titulo, Hoc autem in quibus bonis sit intelligendum docet glossa, verbo, morientium. cap. 2. isto titulo.

Tertia obseruatio: Successio ab intestato triplex est, aut enim est ascendentium, aut descendentium, aut collateralium. Et quidem primo defertur hæreditas ad descendentes, siue sint sui hæredes, siue nō, nullo habito sexus aut ætatis discrimine. Secundò defertur ad ascendentes proximiores. Tertio defertur ad collaterales, & inter hos primò vocantur fratres, secundò fratrum filij, quibus deficientibus, omnes alij collaterales suo ordine admittuntur, vsque ad decimum gradum, ita vt semper proximiores: remotiores excludant. Quartò defertur ad virum, vel uxorem. Quintò deniq; loco prædictis omnibus deficientibus, bona censentur vacantia, & fisco cedūt. Vbi animaduerte, quod iste est nouus Iustiniani succedendi ordo ab intestato tradito de iure authenticorum & nouellarum, quem latius refert Minsyngerus in quodam proœmio posito ante principiū tituli

tituli de hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur à num. 5. vsq; ad numerum 10. Et dicit diligenter iuris rationes memoriæ eum commendare debere, ut eius semper memores existant, quando inter finuosas ambages antiqui iuris iactentur.

Hic titulus tria tantum continet capita, non habetur in Sexto, vel Clementinis, & de eius materia agitur, cap. 1. 22. q. 3. & cap. vit. 12. q. 5. Quod verò in eo disputatur est, quòd clericus si decedat intestatus & sine agnatis vel cognatis succedit Ecclesia: & quòd si seruus presbyter factus intestatus decedat bona eius diuiduntur in quatuor partes, quarum prima datur Episcopo, secunda Ecclesie, tertia, pauperibus & quarta eius parentibus. Et denique dicitur, quòd per vnum testem & per confessionem etiam inoidenter factam probatur oblatio, & quoad effectum consequendi bona oblata. Sensus autem rubricæ est huiusmodi, *De successione ab intestato, id est, de hæreditatibus clericorum intestatorum.*

### *De sepulturis. Tit. XXVIII.*

**P**rima obseruatio. Quoniam vidimus de bonis defunctorum, quo scilicet, deuolui debeant tã ab intestamento, quàm ab intestato, videndũ erit quorsum corpora eorum referentur, hæredes enim bona defunctorum non corpora capiunt, & sic de loco vbi reponenda sunt videamus, & per hoc de sepulturis.

Secunda obseruatio: Sepultura nomen quinque significat, primo locum siue terram vbi fit sepultura, ut docet glossa, verbo, sepultura, capite, abolenda, isto

titulo. Secundo, significat officium quod sepeliendis impenditur, vt docet Hostiensis in Summa isto titulo, §. quid sit sepultura. Tertio significat ius funerandi in cæmeterio, seu quod idem est, potestas sepeliendi in cæmeterio. Quarto significat tumbam marmoream, vel lapideam sub qua corpora reponuntur. Quinto denique significat locum concauum in cæmeterio, factum ad reponendum corpora. In hoc tamen titulo accipitur sepulturæ nomen præcipue in vltima significatione, qua ratione sic definitur à Doctoribus. Sepultura est locus concauus in Ecclesiastico cæmeterio in quo corpus catholici requiescit. In qua definitione dicitur, locus concauus, quia cum sit receptaculum cadauerum, oportet locum concauum esse, vt colligitur ex capite penultimo, isto titulo. Dicitur, in Ecclesiastico cæmeterio nam varijs ex causis statutum est, vt corpora fidelium in Ecclesiasticis locis reponantur, ne scilicet, à Dæmonibus vexentur, & vt vvisis sepulturis fideles eorum recordentur. Et denique dicitur: In quo corpus Catholici requiescit, quia infideles non possunt in Ecclesiastica sepultura sepeliri, sicuti neque excommunicati, hæretici, vsurarij, & qui se ipsos interficiunt, & omnes alij obstinate in peccato decedentes.

Tertia observatio, quamuis aliqui existiment, hæc nomina, scilicet, sepultura, sepulchrum, monumentum, sacellum, & cæmeterium esse synonyma, id est, eandem significationem habentia, nihilominus inter se aliquo modo distinguuntur. Quare ad clariorem huius tituli expositionem etiam illa erunt  
in præ-

in presenti exponenda sepultura prætermiffa, de qua iam diximus in superiori obferuatione. Sepulchrum ergo est locus in quo corpus vel offa fidelis feputa iam funt: & dicitur feputehrum quafi feortum à pulchro, vel fine re pulchra, vt docet Calepinus in verbo feputehrũ. Monumentum est feputura fumptuofa memoriæ caufa facta, ante quam in ea aliquis feputus fit, nam fi iam feputus fuerit, dicitur feputehrum, vt docet gloffa i. in l. fi feputehrũ C. de religiofis & fumptibus funerum. Sacellum est locus facer & paruus Deo dicatus, cum ara, fiue in eo reponantur corpora fiue non. Cæmiterium est locus in quo fiunt feputuræ: & legitur cæmiterium & non cimiterium. Dicitur enim à voce Græca, cæmome, quod est, dormio, quafi cæmiterium fit mortuorum dormitorium: & iure ita dicitur: nam in fpe refurrektionis mortui dormire dicuntur: Vti nam fic tarde dormiamus.

Hic titulus quatuordecim continet capita: habetur in Sexto & Clementinis, & Extrauagantibus communibus, & de eius materia difputatur 13. quæftione. 2. & capite 1. 13. quæftione. 1. Quod vero in eo difputatur eft, in qua feputura quisque fepehendus eft, & quibus eft liberum eligere feputuram. Sensus vero rubricæ eft, *De feputuris* id eft, de locis Ecclefiafticis vbi corpora fidelium defunctorum reponuntur.

(1)

De paro

*De Parochis & alienis parochianis. Tit. XXIX.*

**P**rima observatio. Quoniam de quodam iure parochiali, scilicet, de funerando disputauimus, & poterat quis de alijs iuribus parochialibus dubitare, ideo ponitur rubrica, de parochis: sed quia Decretales, quæ sub isto rubro collocantur quando de parochianis aliquod ius statuunt: solum de extraneis loquuntur, ideo dicitur, & de alienis parochianis: conficiturque tota rubrica, ut in presenti scribitur, scilicet, *De parochis & alienis parochianis.*

Secunda observatio: Parochia, quæ ut quidam volunt, olim parœcia appellabatur, hodie vero parochia dicitur, & deriuatur à parochi, quod est largitio, quia in ea elargiuntur Ecclesiastica sacramenta, vel secundum Ioannem Andream dicitur, quasi partitio curæ, quoniam cura populi partita fuit inter Ecclesias parochiales, quæ partitio, seu diuisio initium habuit à Dionysio Papa, ut habetur in capite, Ecclesias, 13. quæstione. 1. Nomen autem parochia, tria significat, primò enim accipitur pro toto Episcopatu, capite, licet in regulis, 16. quæstione 3. & hinc forte est quòd Cathedralis Ecclesia appellatur parochia totius ciuitatis. Clementina dudum, §. verum de sepulturis. Secundò significat locum, seu districtum alicuius Ecclesiæ intra certos terminos Ciuitatis deputatum, in quo non sit nisi vnum Baptismale seu Baptisterium. Est autem Baptisterium concha illa lapidea vbi baptizantur infantes



fantes, quæ in vna parochia, vna tantum reperiri debet. Tertio denique significat illam Ecclesiam, quæ est caput illius districti, in qua Baptisterium illius parochiæ cõtinetur. In hoc ergo titulo aliquando in vna, aliquando in alia significatione accipitur parochia. Diffinitur autem à quibusdam sic: Parochia est locus in quo degit populus alicui Ecclesiæ deputatus certis limitibus constitutus. Ab alijs verò sic diffinitur: Parochia est locus Deo dicatus, in quo Ecclesiæ sacramenta fidelibus administrantur. Sed vtraque diffinitio optima est, si animaduertas, quòd prima traditur de parochia in secunda significatione, & secunda traditur de parochia in tertia significatione. Obiter tamen nota, quòd hoc nomẽ parochia legi debet simpliciter, R, scilicet, parochia, nõ verò Parrochia, vt quidam existimant.

Tertia observatio: Parochianus est qui in parochia habet domicilium, vnde si quis transfert domiciliũ suum, erit parochianus illius Ecclesiæ ad quam domicilium transfert. cap. vltimo, isto titulo. Et est aduertendum, quod idẽ parochianus dicitur proprius & alienus, distinctis habitis considerationibus: nã in ordine ad parochiã in qua viuit, dicitur proprius parochianus, & in ordine ad aliam in qua nõ viuit, dicitur alienus. Parochus autem quis dicatur, videndum erit ad clariorem huius tituli expositionem, de quo dico, parochũ proprie & in sua legitima significatione, esse idem quod parochianus, per translationem tamen, & quasi ex Theologorum institutione factum esse, vt communiter accipiatur pro Re-

ctore parochiæ, qui pastor est, & administrator illius, & sic accipitur in toto Concilio Tridentino, ubi parochi nomen exprimitur, ut in capite. 1. de reformatione matrimonij; sessio. 24. Quare proprius parochus erit, qui mee parochiæ curam habet: & alienus parochus, qui alterius parochiæ curam gerit: appellaturque aliquando sacerdos parochialis. Est tamen hic obiter animadvertendum ex Budeo quem citat Anastasius Germanus in Paratitla huius tituli, quod parochia vocatur etiam curia, & parochiani appellantur curiales, & denique parochus appellatur Curio, quod certe mihi minime displicet, nam hinc forte est quoddam Hispanè parochus, vocatur, *Cura*: imo & Latinè beneficium quod habet parochus, *Cura* animarum appellatur.

Quarta observatio: Ius parochiale consistit primo in cura animarum parochianorum, quarum parochus coram Deo tenetur reddere rationem, si culpa sua perierint, capite, placuit. 16. questione prima. Secundo in decimis & primitiis. Tertio in cæmeterio, & iure sepeliendi. Quarto in penitentijs audiendis. Quinto in oblationibus. Et sexto, in omnibus alijs proveniuntibus, qualitercunque provenientibus.

Hic titulus habet quinque capita, non habetur in Sexto, neque in Clementinis, & de eius materia agitur 10. quest. 1. & 16. quest. 5. & 13. quest. 1. per totum. Quod verò in eo disputatur est primo, quomodo sit dividendus Episcopatus inter Episcopum substitutum, & Episcopum reuersum ab heresi. Secundo, quoddam

quòd parochus diebus festiuis debet eijcere alienos parochianos à sua Ecclesia, si accedant in contemptũ proprij parochi. Tertio, quòd Episcopus non debet alienos parochianos ordinare, vel iudicare. Quarto, quòd fines parochiarum de quibus constat, non possunt præscribi. Et denique quinto, quid iuris sit de parochiano transferente domiciliũ ab vna parochia ad aliam. Sensus vero rubricæ est huiusmodi: *De parochis & alienis parochianis*, id est, de locis in quibus degit populus Christianus, aut de Ecclesijs in quibus ei sacramenta administrantur, & de illis fidelibus, qui sunt alterius parochiæ.

*De decimis, & primitijs & oblationibus. Tit. XXX.*

**P**rima obseruatio: Quoniam decimæ, & primitiæ, & oblationes sunt de iure parochiali & parochis solui debent, ideo post titulum de parochis, & alienis parochianis subiicitur hæc rubrica. Vel continua sic. Quoniam parochi diuina mysteria fidelibus administrant, & quilibet mercenarius dignus est mercede sua, ideo postquam egimus de parochis, agendum est de mercedibus illis debitis, & sic de decimis, primitijs & oblationibus, de quibus singulis diuisim videamus.

Secunda obseruatio. Decima dicitur ex eo, quia est dona, seu decima pars illarum rerum, vel fructuum ex quibus detrahitur, & diffinitur sic: Decima est omnium bonorum mobilium licite qua-

re quæſitorum pars decima Deo data, & diuina  
 conſtitutione debita, vt colligitur cap. 1. & c. paro-  
 chianos, & capite non eſt, iſto titulo. In qua defini-  
 tionem dicitur, omnium bonorum mobilium: quia  
 licet ſæpiſſime decima ex rebus immobilibus oria-  
 tur, tamen quod pro decima datur non eſt pars bo-  
 norum immobilium, ſed bonorum mobilium. Di-  
 citur, licite quæſitorum, quia de iniuſte adquiſtis  
 non datur decima. Dicitur, Deo data, quia datur  
 Eccleſiæ ſuæ & miniſtris ſuis, & per Eccleſiam, &  
 miniſtros ſuſcipit Deus, quem admodum & per  
 pauperes. Denique dicitur: Diuina conſtitutione  
 debita: quia licet modus & quantitas decimarum  
 ſit de iure poſitiuo, tamẽ abſolutẽ ipſæ decimæ ſunt  
 de iure diuino ſtatutæ & debitæ, vt colligitur ex  
 Leuitico 27. Deuteronomio. 17. & Exodi. 22. vbi  
 dicitur: *Decimas & primitias non tardebis offerre.* Et no-  
 ta diligenter hanc doctrinam, ſcilicet, quomo-  
 do decimæ ſint de iure poſitiuo, & quomodo de  
 iure Diuino: nam valet ad multarum difficulta-  
 tum ſolutionem. Decimarum autem tres ſunt  
 ſpecies, aliæ enim ſunt personales, quæ debentur  
 ex opere personali, vt ex artificio, ſcientia, mili-  
 tia, vel negotiatione. Aliæ prædiales, quæ ex præ-  
 dijs proueniunt, vt vinum, bladum, vel fructus  
 arborum. Aliæ denique decimæ ſunt mixtæ, quæ  
 partim videntur eſſe personales, & partim viden-  
 tur eſſe prædiales, & ſic de eis dubitatur, an per-  
 ſonales, vel prædiales appellari debeant, vt ſunt  
 agni, vituli, & cætera animalia, quæ gregatim  
 pascun-

pascuntur. In hoc ergo titu. de his tribus speciebus decimarum disputatur, sed præcipue de decimis prædialibus.

Tertia obseruatio. Primitiæ sunt primi fructus ex agro suscepti qui Deo offeruntur, seu, quod idem est sunt primæ portiones nouarum frugum quæ Deo offeruntur. Et hinc est quod sacerdos primam Missam cantando, dicitur celebrare primitias. Et hinc etiam est, quod qui aliquas alicui dicat conclusiones solet dicere, se laborum suorum primitias offerre. Quantitas tamen primitiarum non est determinata. Sed olim qui plus dabat quadragesimam partem fructuum dabat, & qui minus dabat sexagesimam, & sic licitum erat dare inter quadragesimam & sexagesimam partem quantum quisque volebat. capite. i. isto titu. Et hoc erat solum constitutum in rebus aridis & liquidis, veluti in frumento & oleo nam in animalibus qui primitias dabat vnum de ducentis dare solebat, vt ait D. Hieronym. super Ezechielem, & habetur in glossa verbo, in primitijs dicit cap. i. isto titu. Sunt autem debitæ primitiæ de iure diuino, vt colligitur Exodi. 22. in dicta authoritate, *Decimas, & primitias non tardabis offerre.* Sunt etiam debitæ de iure Canonico, vt probatur. capi. reuertimini. 16. quæst. 1. & capit. decimas. 16. q. 7. Et debent offerri seu dari sacerdoti parochiali capi. doctos, & cap. moderamine. 16. q. 1.

Quarta obseruatio. Oblationis nomine comprehenditur, quicquid offertur Ecclesiæ quocunque modo, in Missa vel extra, & in Ecclesia vel extra ca.

cum inter, §. final. de verborum dignificatione. definitur autem, vt docet Medices de definitionibus, 2. parte, capite. 55. numero primo. hac ratione, oblatio est translatio sui ipsius vel donatio alicuius rei sponte alicui Ecclesie vel pio loco, ad ipsius Ecclesie vel pij loci vtilitatem celebrata. In qua definitione, dicitur. *Translatio sui ipsius*, quia se ipsum potest quis offerre, & quia quis non est dominus sui ipsius dicitur translatio, & non donatio: translatio enim non supponit dominium, quemadmodum donatio. Dicitur etiam, *Vel donatio alicuius rei*, quia quando quis alias res offert Ecclesie ita offert vt donet. Dicitur, *sponte*, vt differat oblatio a decimis, & primitiis quæ etiam inuiti soluturi sumus, vt docet glossa verbo in primitiis, dict. capite primo. isto titulo. Dicitur, *Ecclesia vel pio loco*, vt distinguatur ab alijs donationibus quæ cuiuscumque fieri solent. Denique dicitur. *Ad ipsius Ecclesie vel pij loci vtilitatem celebrata*, quia si donatio fieret ad incommodum donatarij, non esset donatio. Oblatio autem triplex est prima est alicuius rei donatio Deo vel Ecclesie inter viuos sponte facta, vt sunt eleemosynæ, quæ Ecclesijs fieri solent. Secunda est alicuius rei donatio Deo vel Ecclesie causa mortis facta, vt sunt oblationes quæ relinquuntur pro anima. Tertia denique est quædam donatio cotidiana, & vsualis quam faciunt fideles ad altare vel ad manum sacerdotis: & est illa quæ cotidie fit Parocho in Missæ sacrificio.

Hic titulus habet triginta & quinque capita, habetur

habetur in sexto. in Clementinis, & extrauagan-  
 tibus communibus, & de eius materia agitur, 15.  
 quæst. septima, per totum, & 13. quæstione prima.  
 per totum, & capite. cunctis usque ad finem. 16.  
 quæstione prima. Et de oblationibus etiam dispu-  
 tatur, 10. quæstione prima, & secunda. 23. quæ-  
 stione prima. per totum. Quod autem in hoc ti-  
 tulo discutitur est qui, & quibus, & ex quibus re-  
 bus decimæ, primitiæ, & oblationes, sint soluen-  
 dæ. Sensus vero rubricæ est, *De decimis, & pri-  
 mitiis, & oblationibus*, idest de decima parte hono-  
 rum mobilium licite quæsitorum, & de primis fru-  
 ctibus nouarum frugum, & alijs donationibus Ec-  
 clesiæ factis.

*De regularibus, & transeuntibus ad Religio-  
 nem. Tit. XXXI.*

**P**rima obseruatio. Quoniam virorum Ecclesia-  
 sticorum duo sunt genera, quoddam, scilicet,  
 Clericorû seculariû, & quoddâ religiosorû,  
 & vidimus in superioribus, de primo genere, sci-  
 licet, de clericis secularibus, & eorum rebus: ideo  
 videndum est iam de secundo: & sic proponitur  
 rubrica de regularibus, & transeuntibus ad religio-  
 nem, de quibus, & eorum rebus in præsentî disputa-  
 bitur.

Secunda obseruatio. Regularis nomen illos  
 comprehendit, qui tria substantialia vota alicuius  
 religio-

religionis approbatæ profitentur, scilicet, Castitatē, Paupertatem, & Obedientiam. cap. cum ad monasterium, de statu regularium, & dicitur regularis à regula: non quidem à regula, prout regula significat illam orationem quæ rem quæ est, breuiter enarrat, vt accipitur in, l. i. ff. de reg. iur. Sed à regula prout significat rectam, & castam viuendi normam. Ex quo infero, quod illi qui quemcunque modum viuendi etiã confirmatum à Papa profitentur, si illa tria vota non profiteantur proprie regulam habere non dicuntur & per consequens proprie regulares non dicuntur. Hæc docet Ab in rub. isto. tit. num. 1. & 2. Vnde regularis poterit diffiniri sic, Regularis est qui per professionem paupertatis, castitatis, & obedientiæ imperio prælati se subijcit.

Tertia obseruatio. Ad clariorem huius rubricæ expositionem duas dubitationes in præsentî proponere possumus. Prima est, an regularis sit aliquid distinctum à religioso: ad cuius cognitionem animaduertito, quod religiosus potest sumi primo in latissima significatione, prout significat omnem profitentem religionem Christianam. capi gaudemus de diuortijs. Secundo potest sumi magis contracte prout significat omnem hominem honeste viuentem cap. fin. de rebus Ecclesiæ. Tertio potest sumi minus late prout significat clericos seculares, cap. Saluator 1. quæst. 3. Quarto denique capi potest strictè prout significat illos qui per professionem religionis superioris imperio sunt subiecti. Est enim religio status eorū qui per professionem castitatis, paupertatis, & obedientiæ



obedientiæ se prælati vel Abbatis imperio subiecerunt. Ex quibus manifestissime respondeo regularem esse idem quod religiosum quarto modo sumptum. Secunda dubitatio est, an regularis sit idem quod monachus: ad cuius cognitionem animaduerto, quod monachus latine dicitur solitarius, quia appellatur sic à dictione Græca *Monos*, quæ significat unum, & à dictione *achos* quæ significat tristem, quia monachus debet stare solus & tristis. cap. placuit. el. 2. 16. quæst. 1. unde monachus est qui vivit vitam solitariam & separatam à communicationibus seculi: qui olim appellabatur etiam Anachoreta, Helycastra, & Eremita, ut autor est Iustinianus novel. 4. Ex quibus ad secundam dubitationem manifestissime respondeo omnem regularem esse monachum: licet non omnis monachus sit regularis, ut videre est in eremitis qui licet monachi dici possint: regulares tamen non possunt appellari.

Quarta observatio. Posset aliquis in presenti quæ-  
rere: quare postquam in hac rubrica dicitur. *De regularibus*, addit, & *transseuntibus ad religionem*. Respondeo, inter religiosos, & transseutes ad religionem hanc esse differentiam, quod religiosus est qui in sua religione subiectus est Prælato per professionem Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, & non negotiatur transitum ad aliam religionem. Transiens vero ad religionem, est ille, qui vel de nō religioso fit religiosus, vel de vna religione trāsit ad aliā: ut igitur intelligeremus de vtrisque in præsentī disputari, ideo dicit, *De regularibus & transseuntibus ad religionem*.

Hic

Hic titulus habet 24. capita, habetur in 6. Clementi. & extrauagantibus communibus, & de eius materia tractatur. 27. q. 1. & 2. & 3. & 4. & 19. q. 1. & 2. & 3. & 20. q. 1. 2. 3. & 4. & 1. q. 2 per totum. Quod uero in eo disputatur est de ætate, & habitu monachorū, de professione, & de tempore professionis vel profitentis, & qui profiteri dicantur, & denique quomodo, quando, & cuius licentia possunt ad aliam religionem transire: Sensus uero rubricæ est. *De regularibus, & transeuntibus ad religionem*, idest de his qui in regula seu religione uiuunt, & de his qui religionem ingrediuntur uel ad aliam religionem migrantur.

*De Conuersione coniugatorum. Tit. XXXII.*

**P**rima obseruatio. Quoniã superiori tit. uidimus de regularibus, & transeuntibus ad religionem & coniugati aliquãdo ab statu coniugali ad religionem transeunt, ideo ad clariorem doctrinam specialiter de eorū transitu in præsentī titu. disputatur: poterat enim de eis specialiter dubitari, an possēt religionem introire: unde proponitur rubrica de conuersione coniugatorum.

Secunda obseruatio. Conuersionis nomen latissimū est: significat enim quęcunq; actū quo aliquis ad rē aliquã de nouo se uertit, dicit, enim quandam habitudinē ad rē ad quam quis cōuertitur, unde qui conuertitur ad religionē Christianā dicitur cōuersus ad fidē, & qui à uitijs transit ad uirtutē, dicitur cōuersus ad bonā uitā, & sic de alijs. In præsentī ra-

men

men conuersio refertur ad religionem, vt colligitur ex ti superiori: & vt intelligeremus nō disputari hic de quacunq; cōuersione ad religionē, sed de illa quę fit à cōiugatis, dicitur in rubro. *De conuersione coniugatorum*: cui possemus addere claritatis gratia hanc particulam. *Ad religionem*, vt esset sensus tituli *De conuersione coniugatorum ad religionem*. Conuersus igitur prout ad præsens attinet institutum, sic describi poterit, conuersus est qui de nouo religionem profitetur per susceptionem habitus monachalis, & professionem paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Est enim conuersus in præsenti idem, quod religiosus. Coniugatus vero poterit etiam hac ratione diffiniri: coniugatus est is qui matrimonialiter est ligatus capit. accedens isto tit. Coniugium enim idem est, quod matrimonium, vt dicemus lib.

4. titu. 1.

Tertia obseruatio. Pro maiori huius rubricæ expositione dicet aliquis quomodo coniuges possunt ad religionē cōuerti, & ibi profiteri? Respondeo cum distinctione, nā aut cōsummatū fuit matrimoniū aut nō. Si nō fuit cōsummatū quilibet illorū ad arbitriū etiā alio reclamāte potest religionem intrare, & profiteri. ca. verū isto. tit. Si vero fuit cōsummatū iterū distinguo, nā aut alter cōiux cōmisit adulteriū, & tūc inuito illo, potest alter coniux religionem intrare, & profiteri. capite. constitutus, & capite. veniens isto titulo: aut non commisit adulterium, & tunc nullus coniugum potest sine alterius licentia religionem intrare, & profiteri: & si introiret.

altero

altero nesciente vel reclamante renouabitur ingres-  
sus, & professio, si id à coniuge remanente postula-  
tum fuerit. capite. sunt qui dicunt. 27. quæst. 2. Sed di-  
ces quid iuris erit, de alio coniuge remanente in se-  
culo. Et respondeo etiam sub distinctione: nam aut  
loquimur de eo quantum ad ingredendum etiam  
religionem, aut quantum ad aliud matrimonium  
contrahendum. Et primo modo, dico indistincte,  
quod omnis coniux relictus in seculo poterit si vo-  
luerit religionem intrare, & profiteri. Si vero secun-  
do modo loquamur, dico quod coniux relictus ante  
copulam (id est non cognitus ab alio coniuge qui in  
religione est) poterit aliud matrimonium contrahere,  
cap. verum isto ritu. Deinde dico, quod coniux  
propter adulterium relictus non poterit, cap. gaude-  
mus etiam isto tit. Et denique dico, quod coniux de  
sua propria licentia ab alio relictus, etiam matrimo-  
nium contrahere non poterit, sed tenebitur etiam  
religionem intrare, nisi talis fuerit ætatis, vt pericu-  
lum suæ continentie non timeatur, vt probatur in  
capite. cum sis isto titulo. compellitur tamen votum  
castitatis emittere, vt dicitur in eod. c. cum sis.

Hic titulus habet 21. capita non habetur in 6. ne-  
que Clementinis, & de eius materia agitur. 33. q. 5.  
& cap. sunt qui, cum duobus sequentibus. 17. quæst.  
2. Quod vero in eo disputatur est totum id quod di-  
ximus in superiori obseruatione, & quod vir manens  
in seculo potest ordinari etiam Episcopus, & quod  
coniux quæ continentiam vouit tenetur reddere de-  
bitum, & quæ & qualis licentia alterius coniugis  
sit

fit necessaria ad ingrediendam religionem: & denique multipliciter dicitur quomodo, & quando coniuges teneantur exire religionem vel ad illam reuerti. Sensus veto rubricæ est huiusmodi. *De conuersione conjugatorum*, id est, de coniugatis qui ad religionem se conuertunt, seu religionem ingrediuntur.

*De conuersione Infidelium. Tit. XXXIII.*

**P**rima obseruatio. Quoniam in superioribus visum fuit de conuersione conjugatorum, modo videndum est de conuersione infidelium, cum hoc tamen discrimine, quod illa erat conuersio conjugatorum ad religionem, & habitum monachalem: hæc vero est conuersio conjugatorum ad fidem, & religionem Christianam. Sed quia qui ad fidem conuertuntur infideles sunt, ideo in rubrica dicitur de conuersione infidelium, vt per hoc sic exponatur rubrica: de conuersione infidelium conjugatorum, qua ad fidem Catholicam conuertuntur. Quid autem conuersio sit iam dixi in tit. superiori obseruatione. 2.

Secunda obseruatio. Infidelis ab infidelitate dicitur, & infidelis est ille qui sine fide est, cumque fides multipliciter sumatur, vt diximus in lib. 1. tit. de summa Trinitate obseruatione tertia, ita etiam infidelis multipliciter accipietur. Primo ergo accipitur in latissima significatione pro omni homine à fide, & religione Catholica deuiante, qua ratione etiam ille qui est in peccato largo modo dici poterit infidelis. Secundo accipitur pro omni non credente ea que sunt de fide, qua ratione comprehendit Hæresi

cos, Apostatas, Mahometanos, Gentiles, & Iudæos. Tertio denique capitur pro illo qui nunquã habuit fidem Catholicam qua ratione solum sub se continet Mahometanos, Gentiles, & Iudæos. In præsentia ergo tit. accipitur infidelis in ista tertia significacione, & de eo sic sumpto disputatur in hoc tit. quid iuris esset in matrimonio si conjugatus qui nunquam habuit fidem ad fidem Catholicam converteretur. Quis autem sit Hæreticus, Apostata, Mahometanus, Gentilis sive Idolatra, & Iudæus dicemus in lib. 5. tit. de Iudæis, & Saracenis, & in tit. de Hæreticis, & in tit. de Apostatis. Hic titulus duo habet capita, non habetur in 6. neque in Clementinis, & de eius materia agitur 8. q. 2. & 2. & 3. q. 8. Quod vero in eo disputatur est primo, quod Saraceni captivi fraude interficientes dominos suos, non possunt si ad fidem convertantur contrahere cum dominabus suis, secus vero si in bello ante captivitatem occidissent. Et secundo, quod si ex duobus infidelibus coniugatis alter convertatur & alter non, debet proles assignari cõverso. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. *De conversione infidelium* id est de conversione infidelium conjugatorum ad fidem Catholicam.

*De voto, & voti redemptione. Tit. .XXVIII.*

**P**rima observatio Quoniam conversio conjugatorum ad religionem, & conversio infidelium ad fidem de quibus in superioribus est disputatum sepiissime per votum fiunt, ideo proponitur rubrica, *De vo-*

18. Sed quia aliquando expedit, ut quis à voto tam mis-  
 so liberetur, propterea ne esset necessarium duas di-  
 stinctas constituere rubricas addit, *Et de voti redemp-  
 tione*, & ita totus tit. inscribitur sic de voto & voti re-  
 demptione. Licet in aliquibus veterioribus Codi-  
 cibus, ita legatur de votis, & votorum redemptio.

Secunda observatio. Verbum à verbo volendi,  
 deducitur quasi votum sic idem, quod volitum, ut docet  
 D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 1. ad 1. Et tres habet significatio-  
 nes. Primo enim significat voluntatem seu desiderium,  
 unde voti copotem dicimus eum, qui desiderium suum  
 assequutus est, & pro voto succedere, & aliquid se-  
 cundum nostrum desiderium accidere. Secundo significat  
 suffragium seu vocem activam quam aliquis habet in aliqua  
 electione pro suo arbitrio, & animi sententia, quomo-  
 do accipitur in ultoribus in tit. de electione lib. 6. Ter-  
 tio denique significat promissionem, non quidem quā-  
 cumque, sed illam quæ fit Deo. Hanc enim legitur  
 apud sacros, vel profanos auctores, quod homo ho-  
 mini vouerit, & observat Chrysostomus lib. 5. Comment.  
 iuris. c. 8. q. 6. In hoc ergo tit. hoc nomen votum in  
 tertia significatione est accipiendum.

Tertia observatio. Omissis varijs voti definitionibus  
 hac libuit proponere, votum est promissio cum delibera-  
 tione Deo facta de his quæ illi grata sunt, quæ colligi-  
 tur ex D. Th. ubi sup. ar. 1. Et explicatur hac ratione,  
 in ea, Promissio, habet locum generis quia sub pro-  
 missione continentur ista quatuor, Pactum, Pollicitatio,  
 stipulatio, & votum. Aliæ autem definitionis partes  
 habent locum differentie, nam dicitur, *Cam deliberatione,*

quia votum debet fieri cū consultatione, & iudicio rationis. Dicitur *Deo facta*, quoniam votū, vt dixi: solū Deo fit vel sanctis in ordine ad Deū, nam est actus religionis, & religio solum versatur circa Deū, vel circa res sacras in ordine ad Deum. Et denique dicitur *De his, quæ illi gratia sunt*, quoniā de peccato vel de re indifferenti non potest votum emitti, sed solū de opere virtutis, siue consistat in faciendo, siue in non faciendo, & hoc est, quod alij dicunt votum esse de re excellentiori, idest de re quam melius est facere, quam non facere: si enim de re turpi, & mala fieret, nec esset votum, nec valeret, vt probatur, c. in malis 22. q. 4. cuius hæc sunt verba, *In malis promissis rescinde fidē, in turpi voto muta decretū, quod incaute vouisti ne facias, impia enim est promissio quæ scelere adimpletur.*

Quarta observatio. Visum de priori parte rubricæ scilicet, de voto, modo videamus de voti redēptione vbi animaduertēdū est voti redēptionē nihil aliud esse quā liberationē à voto. Quæ fieri potest duobus modis: vno modo absoluēdo omnino à voto sine aliquo opere relicto, quæ absolute dicitur remissio: alio modo cōmutādo votū in aliud bonū opus quod succedat loco prioris voti, & hæc absolutio seu liberatio vocatur cōmutatio, seu redēptio. Quæ omnia colliguntur ex glo. magna, in extrauagāte prima de poenitentijs, & remissionibus, vbi hæc differētia reperitur inter remissionē, & redēptionē seu cōmutationē: quod redēptio seu cōmutatio est releuatio oneris pro aliqua re, quæ offertur loco prioris: at vero remissio est gratuita oneris releuatio. In hoc ergo titulo



nulo non agitur de priori absolute à voto, sed de  
 secunda quæ aliquando appellatur commutatio, vt  
 in c. 1. & 2. & in multis alijs capitibus, aliquando ve  
 ro redemptio, vt in ipsa rubrica, & in c. quod super,  
 & in c. ex multa infra isto tit.

Quinta obseru. Aliquæ votorū species libet in præ  
 sente proponere: quorū prima diuisio est, votū aliud  
 est expressum, quod scilicet ore, vel alio signo exte  
 riori exprimitur, aliud tacitum quod in mente reti  
 netur, vel in aliquo actu virtualiter continetur, vt votū  
 castitatis in eo qui ordinatur. De hac diuisione lo  
 quitur glo. in c. beata, verbo ore. 27. q. 2. Secūda diui  
 sio, votū aliud necessariū sine quo nō potest quis sal  
 uari, quod emittitur in baptismo, de seruāda religio  
 ne Christiana, obseruādo præcepta Decalogi, credē  
 do ea quæ sunt de fide, & abrenūciando Sathanae, &  
 Pompis eius: de quo non disputatur in hoc titu  
 lo. Aliud vero voluntarium sine quo æterna salus  
 haberi potest, vt votū de seruanda Castitate, vel de  
 danda elemosyna. Ex quibus votum voluntarium  
 etiam est duplex. Vnde fit tertia diuisio. Votū aliud  
 solemne, & aliud simplex. Solemne est, quod fit in  
 eueniente aliqua istarum solemnitatū, scilicet,  
 vel quod fiat per susceptionem sacri ordinis. c. diaco  
 ni, dist. 2. 8. vel per susceptionem sacre vestis quæ  
 tantum profitecibus datur, capite. statnimus de re  
 gularibus. Vel per professionem quando is qui pro  
 fitetur denouet se alicui religioni in manu Abba  
 tis, vel Abbatisse, vel monachi præsentibus testibus  
 & facta publica scriptura, vt possit professionem

probatis capitaneis consuluit isto titulo. Simplex vero  
 sit cui omnes iure solemnitates de sunt. Et de hac  
 divisione loquitur glossa magna in capite. rursus  
 Quia clericus vel monachus. Vbi inter hæc duo vocandi  
 cet apud Deum nullum sit discrimen, ut colligitur  
 ex capite iudicanti. et questione. sicut in hæc pro-  
 testat proponi differentia quod votum solemnne im-  
 pediat matrimonium contrahendum, & dirimit seu  
 dissolvit iam contractum: simplex vero impedit con-  
 trahendum, non vero dirimit contractum. In quibus  
 casibus qui emisit votum solemnne non potest con-  
 trahere, & si contrahit non tenet matrimonium, sed  
 potius dissolvitur. At vero qui emisit votum vni-  
 plex non potest contrahere, sed si contrahit, valis-  
 dum est matrimonium, quod ab eis peccat contrahen-  
 do. In eadem etiam glossa ad cognoscendum votum  
 solemnne quot modis fiat ista veritas proponuntur.  
 Ordo sacer, vel sit, professio religionis. Quod si sit ipse, si  
 dicit solemnne vota abbas, vel abbatissa, vel monachus, vel  
 n. Hic titulus videtur habet capita, habetur in Sex ob-  
 hū vero in Clementinis, & de eius materia agitur  
 in quæstione de penitentia, & capite finalis. quæstio  
 ne. i. Quod vero in eo disputatur est quæ vota possunt  
 sine reditu vel commutari, & quomodo, & a quo, &  
 qui possunt votis obligari, & quomodo, & quando  
 illud debeant exequi. Sensus autem rubricæ est huius-  
 modi. *De votis et redemptione, et de pro-*  
*missio nibus Deo factis, & de talium*  
*promissionum libertate, et de*  
*monialibus, et de quibusdam aliis*  
*de*

De statu Monachorum, & Canonico-regularium. Tit. XXXV.

**P**rima observatio. Quoniam qui per votum ingrediuntur religionem sunt monachi vel canonici regularium. Res ideo post tit. de voto disputandum erit de statu monachorum, & canonicorum regularium. Prætermisso illo antiquo monachorum statu, quo non omnes simul commorabantur, sed domunculæ sparsim per montes, & saltus structas habebant, quo derelicto inceperunt postea ad modum Reipublicæ in communitate habitare, vno eorum electo veluti Principe, & Governatore qui eos regeret, & gubernaret, præficeret Monasterio quæ Græci appellabant Archimandrita, & Cœnobiarcha, nos vero communiter vocamus Abbatem, licet temporis lapsu factum sit, ut multiplicatis Monachorum ordinibus, illorum nomina etiam multiplicata sint, vnde apud Dominicanos vocatur Prior, apud Franciscanos Guardianus, apud Trinitarios Minister, & sic de cæteris.

**S**ecunda observatio. Quod primo venit explicandum in hac rubrica est quid significet nomen Status, de quo dicimus esse nomen significans hominis conditionem, ut si est servus vel liber, nobilis vel plebeius mercator vel artifex, & sic de alijs. In presenti vero significat vitam, & mores, ut etiam & vestitum seu habitum ipsorum monachorum & canonicorum regularium.

**T**ertia observatio. De Monachis iam dixi supra tit.

de regularibus, & transeuntibus ad religionē: quod scilicet, monachi nomen significat Latine idē, quod solitarium, & quod monachus est qui viuit vitā solitariā, vnde in sua ampla significatione comprehendit sub se religiosos, canonicos regulares, & eremitas. In presentī tamen eremitis exclusis accipitur prout est idem, quod religiosus, nam loquimur in hoc tit. de illis, qui profitentur, paupertatem, castitatem, & obedientiam, qui & monachi, & religiosi dicuntur. Sed dices si Monachus est idem, quod religiosus, & religiosus comprehendit Canonicos regulares, à primo ad vltimū bene sequitur, quod monachus comprehendit Canonicos regulares, & sic sufficiebat in rubro dicere, de statu monachorum. vt intelligeremus etiam de canonicis regularibus disputari. Huic tamen difficultati respondeo dupliciter. primo cōcedendo totum argumentum: dicendo tamen post monachos exprimi canonicos regulares tum, quia in nigro aliquando specialiter suo nomine exprimuntur, tum etiam maioris expressionis, & maioris claritatis gratia. Secundo respondeo non esse absolute verum, quod sub nomine religiosi vel monachi comprehendatur canonicus regularis, nā Ab. in c. quod De iur. isto tit. disputat, an appellatione monachorū veniant canonicus regulares, & tenet partem negantē in materia odiosa: vt ergo tolleretur talis dubitatio iure optimo in hac rubrica post monachos exprimuntur Canonici regulares, eū de vtrisque in ea disputetur.

Quarta obseru. Canonici regulares in substātibilibus

reli-

religionis non distinguuntur ab alijs religiosis, scilicet in voto castitatis, paupertatis, & obedientia: nam ista tria & alia multa ab ipsis observantur, differunt tamen ab eisdem in quibusdam, nam Hostiensis in Summa isto titulo, num. 7. dicit, quod Canonici regulares interviunt regulæ laxiori, nam & in esu carni, & in habitu differunt, & in quibusdam alijs, ut notorie cunctis patet. Quare Canoniorum regularium non poterit commode aliqua optima definitio tradi, quæ sit distincta à definitione religiosorum, cum in substantialibus ab eis non differant.

Hic titulus continet octo capita: habetur in Sexto & Clementinis, & de eius materia tractatur di. 58. & 16. quæst. 1. & 18. q. 1. & 1. per totum, & generaliter à causa. 16. usque ad causam. 21. Quod autem in hoc titulo disputatur est, de cibis, silentio, concilijs celebrandis, institutionibus, presidentibus capituli, visitatoribus, & visitationibus, & de correctione, & Auctoritate, quàm visitantium. Sensus vero rubricæ est huiusmodi: *De statu monachorum, & Canoniorum regularium, id est, de vita & moribus, victu & vestitu monachorum, & Canoniorum regularium,*

*De religiosis domibus ut Episcopo sint subiectæ.*

### Titulus XXXVI.

**P**Rima observatio. Quoniam sicuti pisces sine aqua vivere non possunt, cap. placuit. 16. quæst. 1. ita neque monachi sine claustris & domibus religiosis, tunc etiam quia disputauimus in titulo superiori

si de monachis & cui subijciantur, ideo videndum  
 erit de domibus, & cui sint subiectæ, sicque proponi  
 tur titulus, de religiosis domibus, vt Episcopo sint  
 subiectæ, vel vt in aliquibus legitur, de religiosis do  
 mibus, vt Episcopis sint subiectæ. Animaduerto ta  
 men quod de Episcopis nihil in præsentibus dicemus,  
 quoniam de eis iam est disputatum in lib. i. titu. de  
 translatione Episcopi, obseruatione 4.

Secunda obseruatio. Nomen domus, in varijs acci  
 pitur significationibus, primo enim significat familia  
 liã. l. cum vnus. in prin. ff. de alimentis & cibarijs le  
 gatis. Secundo significat omnes habitantes in domo  
 per figurã metonymiã, qua cõtinẽs famitur pro cõte  
 to. l. in prin. ff. ad Syllaniam. Tertio significat mul  
 titudinẽ illorũ, qui gerũt eadẽ signa vel arma. Quar  
 to deniq; significat habitaculũ in quo viuimus, cuius  
 appellatione aliquãdo etiã porticus cõprehenditur.  
 Diffiniturq; hac ratione. Domus est receptaculũ ex  
 fundamẽtis, parietibus & tectis compositũ, ad defen  
 dendum nos ab iniurijs cæli. Vnde religiosa domus  
 erit receptaculum religiosorum, quo se defendunt  
 ab iniurijs cæli. Quod ergo in præsentibus de religiosis  
 domibus disputatur ex ipsa rub. clarescit, nam addit  
 vt Episcopi sint subiectæ, quasi dicat quod de religiosis  
 domibus hic disputatur est, vt subijciatur Episcopo  
 suæ diœcesis: subijciuntur autem de iure communi  
 in multis, vt docent Doctores in hoc titulo. Ipsi ta  
 men religiosi & domus suæ, ita hodie exempti sunt,  
 vt forẽ in nullis subijciantur Episcopo. Quare de eo  
 qui subiectio, erit diiudicandum secundum eorũ  
 exem.

exemptionem, vide glos. verbo, in quoru' diocesi. c.  
 Xenodochijs, isto titulo. Scienidum tamen est dupli-  
 ci iure posse domos religiosas esse subiectas Episco-  
 po, scilicet, iure diocetano, quo Episcopus exigere  
 potest cathedraticum, & tertiam aut quartam partem  
 oblationum. Et iure iurisdictionis quod ius consistit  
 in conferendis sacramentis, causarum cognitionibus  
 & coercendis delictis.

Tertia observatio: Quidam dicunt hic poni da-  
 mum religiosam pro domo sacra, & sic exponendam  
 esse ubi iam, ut dicimus de religiosis domibus, id  
 est sacris domibus. Alij vero dicunt optime dici de  
 religiosis domibus, ut sic comprehendantur domus  
 quoru' sunt sacre, id est consecrate, & tam in  
 domus religiose, ut hospitalia, & hae. Secunda inter-  
 pretatio melior est, nam non omnes domus de quibus  
 in nigro disputatur, sunt sacre seu consecrate;  
 nam aliquae sunt solum religiose ab Episcopo bene-  
 dicere, cap. de, de Xenodochijs, & capite, ad haec, in o-  
 titulo. Sacrae autem domus sunt, quae rite, id est,  
 iuxta Ecclesiae formam per Pontifices, id est per Epi-  
 scopos, Deo consecrate sunt. Religiosae vero sunt  
 quae ad servitium Dei destinate sunt, quod sine  
 Episcopi licentia constitui non possunt, nec ad usus  
 humanos amplius converti. Ex quibus collige, quod  
 domus religiosa & sacra se habent sicut genus &  
 species. Religiosa enim est genus, & sacra, est spe-  
 cies; nam omnis domus sacra est religiosa, non vero  
 omnis religiosa est sacra, ut patet de hospitalibus.

Quarta observatio: Species domorum religiosa-  
 rum

rum quindecim sunt (& dico, religiosorum, ut com-  
 prehendam sacras) scilicet, Ecclesia Cathedralis, Ec-  
 clesia collegiata, Ecclesia parochialis, Oratoriū, Coe-  
 nobium seu Conuentus, Eremita, & Hospitale. Ho-  
 spitalium autem plura sunt genera, scilicet, Xenodo-  
 chia, Orphanotrophia, Brophotrophia, Bethetro-  
 phia, Nosochomia, Gerochomia, Tocotrophia, Le-  
 profariū, & Eleemosynariū. Ecclesia Cathedralis est  
 in qua sedet Episcopus. Collegiata est ubi sunt plu-  
 res Collegiati, ubi vero vel solus Rector vel unus  
 cum rectore est, non dicitur Ecclesia collegiata. Col-  
 legium enim constare debet saltem ex tribus. Nera-  
 rius. ff. de verborum significatione. Parochialis est  
 Ecclesia cui certus locus & districtus datus est in ci-  
 uitate, ut in illo loco sacramenta administret & Bap-  
 tisterium habeat. Oratorium est paruum cubiculum  
 quandoque ab Episcopo benedictum in particulari-  
 bus domibus constitutum, ubi aliquando de licentia  
 Episcopi Missæ sacrificium celebratur. Coenobium  
 vel Conuentus est locus seu domus religiosorū, ubi  
 in cōmunitate viuunt & dicitur à coenon, id est, com-  
 mune, quia ibi omnia debent esse communia, capite  
 cum dilectus, de consuetudine. Eremita est domus  
 religiosa in eremo constituta, in qua non est multi-  
 tudo religiosorum, sed vnus solus Eremita. Hospita-  
 le est nomen genericū ut dixi, potest tamen describi  
 hac ratione. Est domus religiosa ubi hospites paupe-  
 res recipiuntur. Xenodochiū est domus religiosa, ubi  
 peregrini recipiuntur. Orphanotrophū est domus  
 religiosa vbi pueri vtroque parēte orbati nutriuntur,  
 & alun-



& aluntur. Brephotrophium est domus religiosa vbi  
 infantes, idest, minores septē annorum aluntur. Be-  
 thotrophium est domus religiosa vbi pauperes infir-  
 mi pascuntur, & curantur. Nosochomiū est domus re-  
 ligiosa vbi ægroti curantur, Gerochomiū est domus  
 religiosa vbi senes & valetudinarij sustentantur, To-  
 cotrophium est domus religiosa vbi pauperes sustē-  
 tantur. Leprosarium est domus religiosa vbi leprosi  
 curantur. Et denique eleemosynarium est domus re-  
 ligiosa vbi eleemosynæ elargiuntur. Hæc omnia nō  
 minimo labore colligere potui ex toto titulo. C. de  
 Episcopis & clericis, & ex capite siqui omnem. r. q.  
 7. & ex Hostiense in Summa isto titulo, & ex Lancelo-  
 trinstitutionibus, titu. de religiosis domibus, & ex  
 alijs multis quos breuitatis gratia non recenseo.

Hic titulus nonem habet capita: habetur in Sex-  
 to & Clementinis & Extrauagantibus Ioannis Vige-  
 simi secundi, & extrauagantibus communibus, & de  
 eius materia agitur in 11. quæstione. 1. per totum, & c.  
 omnes basilicæ cum sequentibus, 16. quæst. 7. & cap.  
 quidam, cum sequentibus, 18. quæst. 2. Quod verò in  
 eo disputatur est, vt domus religiosæ sint Episcopis  
 subiectæ, & quale ius habeant, Episcopi in ipsas, &  
 quod nouam religionem constituere non licet, sine  
 auctoritate Apostolica. Sensus autem rubricæ est  
 huiusmodi: De religiosis domibus vt Episcopo sint  
 subiectæ, idest, de domibus Deo dicatis, siue  
 sint consecratæ siue nō, quatenus Episcopo suæ diœcesis sunt  
 subiectæ.

De Capelis monachorum, & aliorum religiosorum. Titulus XXXVII.

**P**rima observatio. Supra disputatum est de religiosis domibus in communi & in generali comprehendendo tam seculares quam regulares, id est, tam Ecclesias clericorum quam conventus religiosorum, & hospitalia pauperum, modo in particulari disputandum est de domibus monachorum, & aliorum religiosorum tantum ac proinde proponitur rubrica de capelis monachorum: quid autem sit monachus & quid religiosus, & quomodo inter se conveniant vel differant, iam diximus in titulo de statu monachorum, observ. 3. Quare de capelis ipsorum aliquid dicendum erit.

Secunda observatio: Capelæ nomen quatuor significat. Primum enim capela est quædam avis, quam Græci vocant Exegos, ut docet Antonius in suo dictionario, verbo, capela. Secundo significat capram parvam, est enim nomen diminutivum derivatum à capra. Tertio significat oratorium, ut docet glossa verbo, in capelis, c. concedimus, de consecratione, dist. 1. Quid autem sit oratorium dictum est in titulo superiori, observ. 4. Quarto denique significat Ecclesiam seu templum non consecratum, ut docet quædam glossa marginalia, quæ habetur in d. c. concedimus de parit. dist. 1. In hoc ergo tit. accipitur capela pro Ecclesia, ut patet ex huius tituli capitibus.

Tertia observatio. Olim capelæ non erant Ecclesiæ, sed erant quædam tuguriæ caprarum pellibus

tecta:

recta: modo autem sunt Ecclesie non consecratæ,  
 vel oratoria, idest, loca specialiter ordinata ad orā-  
 dum. Dicitur enim capela quasi capiens laos, idest,  
 populum, vel laudem: seu dicitur capela quasi can-  
 pana, quia paucos capiat. Vbi obiter primò aduertē-  
 dum est, hinc oriri, quòd clerici qui Ecclesijs ser-  
 uiunt, & eorum curam habent, vocentur capelani.  
 Secundo aduertēdum est, ideo in nostra rubrica post  
 quam dicitur, *De capelis monachorum*, addi, & *aliorum*  
*religiosorum*, forte vt comprehendat Ecclesias Cano-  
 nicorum Regularium, quemadmodū in titulo trige-  
 simo quinto huius libri postquam dicit, *De statu mo-*  
*nachorum*, addit, & *Canonice Regularium*.  
 Hic tit. q. atque habet capita, habetur in 6. non ve-  
 ro in Clementinis, & de eius materia tractatur. 16.  
 q. 2. & cap. peruenit 16. q. 1. Quod vero in eo dispu-  
 tatur est. Primo, quod populus non debet per mo-  
 nachos gubernari, sed per capelanos. Secundo,  
 quod Ecclesia non Cathedralis vendicans sibi ius  
 in alia Ecclesia, obtinebit solum quoad ea quæ pro-  
 babit sibi deberi aliquo legitimo titulo. Tertio, qd  
 religiosi non debent soli commorari, ita vt singuli  
 sint in singulis prioratibus. Et quarto, quod ordina-  
 rius potest compellere Abbates vt suos monachos  
 ad claustrum reuocent. Vensus vero rubricæ est: *De*  
*capelis monachorum & aliorum religiosorum*  
*ideū, de Ecclesijs monachorum, seu*  
*religiosorum.*

( ? )

De iure:

## De iure patronatus. Tit. XXXVIII.

**P**rima obseruatio: quoniam supra disputatū est de religiosis domibus, & de capellis monachorum ad quas nonnūquam fit institutio per præsentationem patroni, vt habetur in glossa, verbo de capellis. 16. quæstione. 2. in principio. Ideo postquā de illis disputauimus, de iure patronatus disputandum erit, Et quia in nostra rubrica de iure fit mētio videndum est quid sit ius. Pro quo dico: ius esse artē boni & æqui, & iustitiam esse perpetuam & constantem voluntatem ius suum cuique tribuendi, & iuris prudentiam, id est, scientiam iuris, esse diuinarum, atque humanarum rerum notitiam iusti atq; iniusti scientiam. Et præterea ius aliud esse naturale, quod natura omnia animalia docuit: aliud gentium, quod gentes humanæ sibi ipsæ cōstituerunt: & aliud civile, quod vnaquæque ciuitas ipsa sibi cōstituit. Deinde, ius aliud est publicū quod primò & per se ad statum reipublicæ pertinet, aliud priuatū, quod primò & per se ad commodum singulare spectat. Diuiditur etiam ius in Canonicum & Civile, Diuinum & humanum, scriptum & non scriptum, nouum, & antiquum, & alijs etiam modis, de quibus non est præsentis instituti disputare.

Secūda obseru. Patroni nomē variè accipitur apud iuris peritos. Primò enim patronus est aduocatus qui aliquem in causa defendit. l. rem nouā. §. patroni, C. de iudicijs. Secundò patronus est dominus respectu seruorum, vt ff. de iure patronatus, per totū. Tertio denique

denique est patronus qui construxit Ecclesiam, vel eam dotauit, vel fundauit: qui in hac materia alijs nominibus appellatur, Vicedominus, Custos, Guardia habens, & ius frequentationis, vel processionis habens Aduocatus & defensor. nam etiam ius patronatus alijs nominibus vocatur, Aduocatio, seu Aduocatus, cap. quia clerici, isto titulo, vel Vicedominus, Custodia, siue Guardia, cap. præterea, isto tit. Vel ius frequentationis, vel processionis, ca. piæ mētis. 16. q. 7. vel denique dicitur Gratia, c. si quis Episcoporum. 16. q. 5. de quibus omnibus vide glos. in verbo aduocatus. d. cap. quia clerici. In præsentibus ergo titulo accipitur patronus in tertia significatione, & dicitur patronus quasi pater, quia vt docet Abbas hic n. 2. sicut pater ducit filium de non esse ad esse, ita patronus de non esse ad esse ducit Ecclesiam. A patrono ergo deriuatur nomen patronatus, quod significat id, quod ad patronum spectat: & sic ius patronatus est ius ad patronum spectans. Cui ergo patronus de quo hic disputatur sit patronus Ecclesiarum, etiam ius patronatus erit ius ipsarum Ecclesiarum vt sic intelligamus ius patronatus, de quo in præsentibus agimus, esse distinctum à iure patronatus seruorum, de quo in ff. & C. disputatur.

Tertia obseruatio. Ius patronatus est ius honorificum, onerosum, & vtile alicui competens in Ecclesia pro eo quod de Dioecesani consensu Ecclesiam fundauit, construxit vel dotauit ipse vel is, à quo causam habuit. In qua diffinitione, ius, habet locum generis, & dicitur, honorificum, quia patronus habet honorem præsentando, & quia debetur illi

tur illi præ cæteris honor in Ecclesia patronata. Dicitur, onerosum, quia patronus tenetur defendere Ecclesiam. Dicitur, utile, quia consequitur utilitatē ex patronatu, nam si deuenit ad inopiam tenetur Ecclesia patronum alere pinguius quàm alios pauperes. Dicitur, alicui competens in Ecclesia, pro eo quod de diocesani consensu Ecclesiam fundauit, construxit vel dotauit, quia tribus modis acquiritur ius patronatus. Primò, quia quis construxit Ecclesiam, vt in capite monasterium, 16. quæstione. 7. Secundo, quia eam dotauit, vt in capite filijs, eodem. 16. quæstione. 7. Et tertio, quia illam fundauit, id est, assignauit fundum vbi construeretur, vt in cap. Abbatem. 17. quæstione. 2. Ex quibus colligo, posse tres esse patronos in eadem Ecclesia. Vnde vertus: *Patronum faciunt dot, edificatio, fundus.* Denique dicitur, ipse vel is à quo causam habuit: quia duobus modis potest quis esse patronus, aut quia ipse est qui fundauit, construxit vel dotauit, aut quia est successor eorum qui construxerunt, fundauerunt vel fundauerunt: quoniam ius patronatus transit ad hæredes, vt docet Abbas in hac rubrica in fine, & transit etiam ad alios alijs modis, vt dicemus sequenti obseruatione. Ad videndum autem quid ex iure patronatus competat patrono, suscipe hos duos versus. *Patrono debetur honor, onus emolumentum, Presentet, praesit, defendit, alatur egenus.*

Quarta obseruatio: Notandum est, quod post consecrationem non potest fieri de nouo aliquis patronus

patronus Ecclesiæ, etiam si dotaret. Primo ne videatur imponi seruitus rei sacræ: nam imponi non potest, l. caueri. ff. communia prædiorum Et secundo, quia qui post consecrationem Ecclesiam dotaret, non produceret eam de non esse ad esse, sicut ille qui vel fundauit, vel construxit, vel arte consecrationem dotauit. Sed dices, ius patronatus, quod patroni adquirunt, est ne ius spirituale, an temporale? Respondeo cum glossa prima, in dicto capite pax mentis, 16. quæstione septima, quod neque est mere temporale, neque mere spirituale: non mere temporale, quia vendi non potest, capite, de iure isto titulo: & non mere spirituale, quia competit laicis, & transit ad hæredes, capite, considerandum, isto titulo. Sed dico, quod est partim spirituale, & partim temporale, quemadmodum seruus cõmunis partim est vnius domini, & partim alterius, l. seruus cõmunis. ff. de stipulatione seruorũ. Vnde dico, & melius, quod licet non sit ius spirituale, neq; temporale, absolute loquendo, est tamen ius rei spirituali annexum, vt dicitur in d. c. de iure: quare nihil mirum si trãsfertatur ab vno patrono in aliũ per hæredationem, permutationem, donationem, & venditionem, vt patet in his Versibus: *Iura patronatus trãsiue facit nouus heres. Res permutata, donatio, venditioque.* Aduerte tamen, quod non potest vendi aut permutari cum re temporali, si solum & diuisim de per se sumatur: nam committeretur simonia, bene vero si cum vniuersitate bonorum accipiatur, vt coningeret si quis venderet, aut

permutaret omnia bona sua, iura, & actiones, qua ratione venduntur etiam oratoria consecrata, quando venditur domus, quæ tamen de perse vendi non possent.

Hic titulus habet triginta vnum capita, Habetur in Sexto & Clementinis, & de eius materia agitur in capite piæ mentis. §. cum ergo, vsque ad finem quæstionis, 16. quæstione. 6. & capite, si quis Episcoporum. 16. quæstione. 5. Quod in hoc titulo disputatur est, quid iuris sit, quando est discordia inter patronos, vel si patroni laici instituunt vel destituunt clericos in suis Ecclesijs, vel si patronus laicus præsentet duos, & alia similia. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. *De iure patronatus*, id est de iure quod habet patronus in Ecclesia patronata.

*De Censibus & exactionibus, & procurationibus.*

**Titulus XXXIX.**

**P**rima observatio. Dictum fuit supra de iure patronatus, sed quia patronus aliquando exigit censum, aliquando exactionem, & aliquando procurationem, dicendum erit de iure eorum, qui censum, exactionem, vel procurationem ab Ecclesia exigere possunt, & sic ponitur rubrica, de censibus, exactionibus & procurationibus.

Secunda observatio. Nomen census, in præsentis titulo non scribitur, cum S, nam sic venit à verbo, sentire, & significat tam sensus externos, scilicet, visum,



sum, auditum, odoratum, gustum, & tactum, quàm sensus internos, scilicet, sensum communem, phantasiam, cogitativam, & memoriam: sed scribitur cum c. qua ratione primò in generali & communi significatione significat quidquid annuatim in quantitate seu summa persoluitur. l. ætatem. ff. de censibus, & hac ratione sunt vnum & idem, census, tributum & pensio. Secundò minus late significat omnem pensionem quæ prælatis de Ecclesiasticis prouentibus singulis annis in signum subiectionis, vel alterius iuris persoluitur. Tertio denique significat illam pensionem, quæ solum Episcopo ab Ecclesijs in argumentum subiectionis tribuitur, quæ Cathedraticum vocatur, eo quod ob honorem cathedræ persoluitur. In hoc ergo titulo non accipitur census in prima significatione, nam non significat omnem pensionem in communi, sed capitur in secunda vel tertia: qua ratione poterit sic definiri. Census est pensio quæ de prouentibus Ecclesiæ alicui soluitur. De censibus ergo sic acceptis disputatur in hoc titulo, & quæriuntur multa, vt an Episcopo patronus, vel Rector possint novos census Ecclesiæ imponere, vel antiquos augere, & in qua moneta sint persoluedi, & deniq; an priuetur Ecclesia, qui illam facit censuale, & alia similia. Notandū est tamen, nouū censum illum esse qui non fuit impositus tempore fundationis, constructionis, dotationis, consecrationis, & exemptionis, seu immunitatis, indultæ: ijs enim temporibus, vel augentur, vel imponuntur census.

Tertia observatio. *Exactio* est idem quod *petitio*, nam venit à verbo *exigere*, quod significat rem ab aliquo petere: contractius tamen accepta capitur in præfenti titulo pro pensione extraordinaria, qua ratione sic describi poterit. *Exactio* est tributum, quoddam vel pensio, quæ extra ordinem exigitur. De exactiõibus ergo sic acceptis, disputatur in præfenti, licet de ipsis minus quam de censibus, & procurationibus mentio fiat. Sciendum tamen est, exactiões prohibitas esse extra casum necessitatis: necessitate vero exigente possunt Episcopi charitatiuũ subsidiũ ab inferioribus exigere: dũmodo adsit causa manifesta, & rationabilis, facit *tx. in c. cũ Apostolus. §. 1. infra isto titulo*, quod charitatiuũ subsidiũ est exactio.

Quarta observatio: *Procuratiõis* nomen tria potissimum significat. Primò enim significat administrationem rerum alienarum: & hinc venit procurator, qui est, qui aliena negotia mandato domini administrat, vt habetur in toto titulo, ff. de procuratoribus. Secundò significat maximam curam, seu studiosam sollicitudinem, vt docet *Diuus Hieronymus ad Damascum*, qui sic habet: *Sathanas cum aliquem sua arte deceperit ultra eũ vitiorum abundantiam non procurat sciens, iam esse mortuum.* Tertiò significat sustentationem seu adiutorium quod datur, vt aliquis susciatur. In hoc ergo titulo accipitur procuratio in tertia significatiõne: qua ratione diffinitur sic: *Procuratio est necessariorum sumptuum exhibitio: vel sic: Procuratio est solutio expensarum, quas faciunt vi-*  
sitato-

fitatores. Vnde disputatur in præfenti de exhibitio-  
ne sumptuum necessariorum, qua inferiores Eccle-  
siastici suos superiores coadiuuant. Quare quadru-  
plex est, alia quæ debetur ratione visitationis, vt in  
capite procuratores, isto titulo. Alia ratione con-  
suetudinis, vt in capite seruitium. 17. quæstione. 2.  
Alia ratione pacti, vt in capite, quanto, isto titulo.  
Alia denique ratione priuilegij, vt docet Hostien-  
sis in Summa, isto titulo num. 13.

Hic titulus habet viginti & septem capita: habe-  
tur in Sexto & Clementinis, & in Extrauagantibus  
communibus, & de eius materia agitur 10. quæst. 1. &  
3. per totum, & §. Ecce, vsque ad §. hinc datur. 23.  
quæstione vltima, & capite, si tributum cum alijs se-  
quentibus, 11. quæstione, 1. Quod verò in eo dispu-  
tatur est, quod diximus supra in prima obseruatio-  
ne, in fine, & quod mansus Ecclesiæ datus debet es-  
se liber ab omni seruitio temporali, & quod dare tri-  
butum inducit subiectionem, & quod cæcus & pau-  
per non tenetur ad collectas, & quod petens censum  
debet rationem exprimere, & quæ prohibeantur præ-  
latis visitantibus, & alia similia. Sensus autem rubricæ  
est huiusmodi: *De censibus, exactionibus & procura-  
tionibus: idest, de pensionibus, quæ de prouentibus  
Ecclesiæ alicui soluuntur, & de pensionibus vel tri-  
butis extraordinarijs, quæ prælatis Ecclesiæ dantur:  
& de exhibitionibus necessariorum sump-  
tuum, quæ sunt visitatoribus  
Ecclesiarum.*

## De consecratione Ecclesie vel altaris.

## Titulus XL.

**P**rima obseruatio: Hæc rubrica sic potest continuari. Vidimus supra de rebus quæ consecrari debent, scilicet, de religiosis domibus, & de capellis monachorū, necnon de alijs rebus ad ipsas spectantibus, vt de iure patronatus, de censibus, exactiōnibus, & procurationibus, ideo modo agendum erit de earum consecratione. Vel sic: Visum est supra de censibus seu pensionibus Ecclesiasticis, sed quia in consecratione ipsius Ecclesie vel altaris, quandoq; huiusmodi census imponuntur, ideo de earum consecratione agendum erit, poniturq; rubrica: De consecratione Ecclesie vel altaris, vbi Ecclesia (de qua iā disputatum est in tit. de rebus Ecclesie alienandis) accipitur pro vt est idem quod templum, & altare, prout est idem quod locus sacer vbi missæ sacrificiū celebratur: & dicitur altare quasi alta res, seu alta ara, capite, de fabrica, de consecratione distinctione. i.

Secūda obseruatio. Consecrare est sacrum facere, cuius contrarium est execrare. Sacrum autem est, quod rite, idest iuxta Ecclesie formam, per Pontifices, idest, per Papam vel Episcopos Deo consecratū est. vt Calix, Crux, Altare, Ecclesia, Sacerdos, Christisma, Rex, Episcopus, & alia permulta, in quibus omnibus varia sunt genera consecrationum: nam quodlibet istorum suo modo, certis obseruatis ceremonijs, & ritibus, consecratur: De quibus in præ.

in presenti disputare esset ab instituto recedere, & maximum temporis spatium consumere. In hoc enim. tit. solum de consecratione Ecclesie vel altaris disputatur quæ sunt duæ diuersæ consecrationes ut colligitur ex cap. 1. isto. tit. nam sæpe vnum sine alio consecratur. Quarum prima, scilicet, Ecclesie consecratio fit ab Episcopo. cap. nemo. de consecratione, dist. 1. & celebrando Missæ sacrificium ca. 2. eadem distinctione, & cum aliquibus sanctorum reliquijs. cap. placuit eadem distinctione, licet quidam dicant sufficere Corpus Christi loco reliquiarum, & denique cum alijs multis rebus, & ceremonijs quæ in ordinario reperiuntur. Secunda vero consecratio, scilicet, Altaris etiam fieri debet ab Episcopo benedictione, & Chrismatis vntione interueniente: quod quidem altare debet esse lapideum. cap. te altaria, de consecratione. dist. 1. & debent etiam aliquæ reliquæ super lapidem poni dict. cap. placuit. distinctione. 1.

Tertia observatio. Duo in presenti animaduertenda sunt: primo, quod istæ consecrationes possunt quibuslibet diebus pro Episcopi arbitrio fieri, quod non contingit in consecratione Chrismatis, & aliarum rerum quæ solum certis diebus consecrantur. Secundo animaduerte, quod consecratio Ecclesie vel Altaris nõ est iteranda, sicut neque infans semel baptizatus iterum baptizatur vel sacerdos semel consecratus iterum cõsecratur. Exceptis quibusdam casibus. Primus est si Ecclesia vel Altare pro maiori parte ab igne combustum fuerit. cap. Ecclesijs de cõ-

secratione. d. 1. Secundus est si in Ecclesia vel Altari effundatur iniuriose sanguis humanis ca tuarum de privilegijs. Tertius est si in Ecclesia vel Altari semē humanum effundatur. c. 1. isto. ti. lib. 6. Quartus est si excommunicatus in Ecclesia sepeliatur ca. consuluiti isto tit. Quintus est si homicidiū in Ecclesia fiat etiā sine sanguinis effusione. c. proposuisti isto tit. Sextus est si fere omnino corruat Ecclesia vel Altare, argumento. c. ligneis isto tit. Septimus est si sit dubiū an Ecclesia vel Altare sint cōsecrata c. Ecclesia de consecratione. d. 1. nec tali casu timetur reconsecratio, quia non videtur iteratum, quod nescitur esse factū c. solemnitates ead. d. 1.

Hic titulus decē habet capita, habetur in. 6. nō vero in Clemētinis, & de eius materia agitur de cōsec. d. 1. & c. Ecclesijs. d. 68. & c. 1. p. q. 2. Quod vero in eo disputatur est, vt diximus in superiori obseruatione in quibus casibus Ecclesia vel Altare possint reconsecrari, seu recōciliari, & à quo. Deinde dicitur quibus diebus, & quod polluitur Ecclesia si excommunicatus in ea sepeliatur, & q̄ qui fecit Ecclesiā cōsecrare retetur eā dotare. Senius vero rubricæ est huiusmodi. *De consecratione Ecclesie vel altaris, id est de cōsecratione templi, vel altaris lapidei super quo Missæ sacrificium celebratur.*

*De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistie, & diuinis officijs. Tit. XXI.*

**P**rima obseruatio. Glossa ex Abbate in præsentī sic continuat hanc rubricam. Visum est supra de conse-

consecratione Ecclesiæ vel altaris, sed quia in Eccle-  
 siâ cõsecrata Missæ celebrantur, & a'ia diuina officia  
 dicuntur, ideo subiungitur hæc rubrica de celebratio-  
 ne Missarũ, & sacramẽto Eucharistiæ, & diuinis offi-  
 cijs. Vel cõtina sic, quoniã egimus de cõsecratione  
 Ecclesiæ vel altaris, & nõ potest fieri cõsecrato sine  
 celebratione Missarũ: ideo post titulũ de cõsecratio-  
 ne Ecclesiæ vel Altaris ponitur titulus de celebra-  
 tione Missarum: in quo additur de sacramento Eu-  
 charistiæ, quia sine illo Missa celebrari nõ potest, &  
 denique ponitur de alijs diuinis officijs, ne aliam ru-  
 bricam esset opus constitũere.

Secũda obseru. Verbũ celebrare primo, vt vult Am-  
 brosius Calepinus significat frequẽtare, & quia que  
 frequẽtamus etiã colimus per trãslationẽ etiã signi-  
 ficat colere, & venerari, & hinc est, qd dicimus cele-  
 brare festũ pro colere festũ. Secũdo significa cũ fa-  
 ma, & gloriã diuulgare. Tertio denique significat cũ  
 suis solẽnitatibz aliquid facere, qua ratione dicimus  
 celebrare cõtractũ, & celebrare diuinũ officiũ, & sic  
 accipitur nomẽ celebratio in præsentĩ rubrica de ce-  
 lebratione Missarũ. Præterea Missa nõ est nomẽ Lati-  
 nũ, se Hedbraicũ, qd Latine significat: cõ sacrã, seu sa-  
 crificiũ: & Græce dicitur Liturgia, seu Liturgiõ. Vn-  
 de quãdo in 1. p. rubricæ dicit de celebratione Missa-  
 rũ, idẽ erit qd dicere, de celebratione rei sacræ seu  
 sacrificij Christiani. Ad cuius meliorem expositio-  
 nem nota has voces sacrificium Missa Eucharis-  
 tia, & Sanctum Sacramentum, sic se habere,  
 quod sacrificium est nomen generale significans  
 omnem

omnem oblationem Deo factam, & dicitur sacrificium quasi sacrum factum. Missa vero est, quoddam speciale sacrificium in quo Corpus, & sanguinem Christi Domini, Deo Patri offerimus. Eucharistia (de qua infra dicemus) est Corpus & Sanguis Christi sub speciebus Panis & vini. Et denique Sanctum Sacramentum est ipsamet Eucharistia, quæ per Anthonomastiam vocatur Sacramentum, vel sanctum Sacramentum, quia est omnibus alijs sacramentis longe præstantius. capite. nihil de consecratione distinctione. 2.

Tertia obseruatio. De hoc verbo Sacramentum, iam diximus in titu. de sacramentis nõ iterandis obseruatione. 2. & 3. quare restat, quod de Eucharistia aliquid dicamus. Eucharistia ergo nomen Græcum est significans Panis & Calicis sacramentum. Latine vero significat bonam gratiam: & potest sic describi. Eucharistia est Sacramentum, in quo panis & vinum fiunt vera caro, & sanguis Christi, quod transubstantiationem appellant. In præsentibus ergo. tit. quo de Sacramento Eucharistiæ disputatur primo est, quod panis transubstantiatur in Corpus Christi, & vinum in sanguinem. Secundo, quod debeat tractari decenter. Tertio, quod debeat confici in pane Azymo, & in vase aureo vel argenteo. Quarto, quod miscetur aliquantulum aquæ cum vino, & quinto improbatum opinio illorum qui dicebant aquam conuerti in phlegmam, & denique alia similia dicuntur.

Quarta obseruatio. Quando in nostra rubrica dicitur, & de diuinis officijs nomine diuinorum officiorum



rum intelliguntur horæ Canonicae quæ septē sunt, scilicet. Matutina, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completa, de quibus dicit Propheta Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*, ad cuius similitudinē septem sunt mundi ætates, septem dona Spiritus Sancti, septem dies hebdomadæ, septem petitiones in oratione dominica, septem psalmi pœnitentiales, septē Candelabra, & septem Diaconi, vt docet glossa verbo septenarius, capite. i. isto titulo. Quid autem significent seu propter quid canantur huiusmodi septem horæ his quinque versibus continetur. *Hæc sunt septenis, propter quæ psallimus horis, Matutina ligat Christum, qui crimina purgat, Prima replet spiritibus, causam dat terribia mortis. Sexta Crucinebit, latus ei nona bipertit. Vespera deponit, tumulto completa repunit.*

Hic titulus habet quatuordecim capita non habetur in .6. bene vero in Clementinis, & extrauaganti. bus communibus, licet in Clemētinis solum dicat, *De celebratione Missarum, & alijs diuinis officijs*, & in extrauagantibus dicatur solum, *De celebratione Missarum*. De materia huiusmodi tituli disputatur. capite. conuenit, cum duobus sequentibus de consecratione d. 5. c. sancta in Pascha dist. 15. & de consecratione dist. 2. per totum. Quod vero in præsentī disputatur præter iam dicta in tertia obseruatione est, quod presbyter debet dicere horas canonicas debito tempore, & deuote, & quod propter Missam specialem dimittitur Missa de feria, & quod sufficit sacerdoti semel in die celebrare. Et denique, quod si ex priuilegio vel ex alia causa aliam Missam sit dicenturus

cturus, non perfundat post sumptam Eucharistiam prioris Missæ. Sensus vero rubricæ est huiusmodi, *De celebratione Missarum, & sacramento Eucharistia, & alijs diuinis officijs, idest quomodo, quâdo, & quibus obseruatis ceremonijs sint celebranda Missa, Eucharistia, & alia diuina officia.*

*De Baptismo & eius effectu. Tit. XLII.*

**P**rima obseruatio. Quoniam post Eucharistiæ sacramentum inter omnia alia sacramenta baptismus principem obtinet locum cum sit omnibus alijs magis necessarius, & efficax, & ianua aliorum: ideo postquâ de sacramento Eucharistiæ disputauimus, de sacramento Baptismi, & eius effectu agendum erit, & sic proponitur rubrica de baptismo, & eius effectu.

Secunda obseruatio. Baptismus seu Baptismum, vel Baptisma, nomē Græcū est, quod Latinè significat intinctionem, immersionem, seu ablutionem, & est primum sacramentū Ecclesiæ Catholicæ institutum loco antiquæ Circumcisionis, sine quo (saltim in voto seu desiderio) non potest esse salus, neque patet Ecclesiæ aditus, cum sit aliorum sacramentorum ianua, & principium. Fuit institutum à Christo sicut omnia alia sacramenta Matth. 28. sub his verbis. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ut habetur in capit. proprie de consecratione. distinctione. 4. Minister baptismi extra necessitatem est sacerdos: in casu vero necessitatis tam vir quam foemina possunt esse ministri: hoc tamen*

tamen obseruato, quod nunquam quis potest baptizare se ipsum cap. debitum isto titu. Materia huius sacramenti est sola aqua naturalis. Forma vero est ista ego te baptizo in nomine Patris & filij & Spiritus sancti. Cui formæ quando baptizatur aliquis de quo dubitatur an fuerit iam baptizatus addenda sunt hæc verba, *si non es baptizatus*, ita vt baptizetur dicendo. Si non es baptizatus ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: & sic vitatur periculū rebaptizandi, cum secundum baptismum detur sub conditione, *si non es baptizatus*.

Tertia obseruatio. Baptismus sic diffinitur. Est ablutio corporis exterior, quæ adhibita certa verborum forma interiori animæ ablationem significat, & operatur. Et est triplex, scilicet, fluminis, flaminis, & sanguinis. Baptismus fluminis est baptismus aquæ & verborum, quo omnes quotidie baptizantur. capi. debitum isto titulo. Baptismus flaminis est baptismus Spiritus sancti, quod contingit quando quis non potest aqua baptizari, & habet maximū desiderium baptismi: tunc enim intelligitur baptizatus baptismo flaminis per Spiritus sancti gratiā. Baptismus danique sanguinis est baptismus martyrij, vt si quis antequam aqua baptizetur subest martyrium pro Christo: qua ratione fuerunt baptizati sancti Innocentes. In hoc ergo titulo de hoc triplici baptismis disputatur.

Quarta obseruatio. Effectus in cōmuni, & generali est id, quod fit vel depēdet à causa, vnde in hac rubrica effectus baptismi erit id quod depēdet vel fit à baptismis quorūdam

quorum effectuum primus est infundere gratiã. Secundus abluere animam ab omni peccato præsertim ab originali. Tertius vitare dånationis periculum. Quartus denique aperire Regnum Cœlorum, vt habetur. c. maiores isto. tit.

Hic titulus sex habet capita, non habetur in 6. bene vero in Clementinis, & de eius materia agitur de conse. dist. 4. per totum. Quod vero in eo disputatur est. Primo quod non sufficit trina immersio in aqua nisi applicetur forma. Tertio, quod quando dubitatur an quis sit baptizatus, debet baptizari sub conditione. Tertio, quod licet paruuli nec intelligant nec credant vtiliter baptizantur. Quarto, quod nemo potest seipsum baptizare. Quinto, quod sine aqua vel verbo non datur baptismi sacramentum, & denique, quod Græci non debent rebaptizare baptizatos à Latinis. Sensus vero rubricæ est, *De baptismo & eius effectu*, idest de sacramento baptismi, & quid illud operetur.

*De presbytero non baptizato. Tit. XLIII,*

**P**rima obseruatio. Quoniam de baptismo disputauimus, posset aliquis dubitare quid esset dicendum de clerico non baptizato, nã si baptizatus non est, quomodo clericus erit, quia baptismus est ianua aliorum sacramentorum, & per consequens ianua ad sacramentum ordinis. Quare, vt videremus an aliquis non baptizatus posset fieri Clericus, & ordinis characterem suscipere, proponitur præsens

præfens rubrica, *De presbytero non baptizato*. In qua cū manifestum sit quid sit non baptizatus, ideo quid sit presbyter videamus.

Secunda obseruatio. Presbyter nomen Græcum est, & Latine est idem, quod senior, cumque sacerdotes saltem exemplo, & moribus debeant esse seniores, factum est, vt per translationem presbyteri nomen pro sacerdote accipiatur. Vel dicamus ex capite. Cleros. §. presbyter. distinctione. 1<sup>a</sup>. quod ideo sacerdotes presbyteri dicuntur, quia non dicitur aliquis presbyter pro ætate vel decrepita senectute, sed etiam propter honorem, & dignitatem quam accepit: vnde videtur, quod presbyter non sit nomen ætatis, sed potius dignitatis, vt dicitur in dict. capite. Cleros. Quæ ergo in præfenti dicuntur de presbytero non baptizato tria sunt: primum est, quod non est presbyter, neque suscepit ordines si baptizatus non est. capite. 1. isto titulo. Secundum est, quod si mortuo presbytero, nobis intelcat, quod non erat baptizatus, nihilominus possumus pro eo orare, quoniam satis erat illi in bona fide baptismi mortuum fuisse. capite secundo. isto titulo, licet vere tenendum sit presbyterum non fuisse, cum baptismus, vt diximus ianua sit aliorum sacramentorum. capite. præter. §. verum distinctio. 3<sup>a</sup>. & ipse non fuerit baptizatus. Tertium denique est, quod qui baptizatus non est ordinari non potest nec debet, quoniam non recipiet ordines, etiam si baptizatus credatur. c. vlt. infra isto tit.

Hic titulus habet tria capita, nō habetur in 6. neque

Clementinis, & de eius materia tractatur capite. si quis confugerit, & capite. si quis per ignorantiam. 1. quæstio. 1. Quod vero in eo disputatur iam dixi in superiori obseruatione. Sensus vero rubricæ est huiusmodi. *De presbytero non baptizato*, idest de sacerdote qui ordines suscepit ante baptismum.

*De Custodia Eucharistie, Chrismatis, & aliorum sacramentorum. Tit. XLIII.*

**P**rima obseruatio. Quoniam in superioribus disputauimus de Eucharistia, ideo videndum est de illius custodia, & quia etiam disputatum fuit de baptismo in quo Chrismate vtimur, etiam de Chrismatis custodia in præsentis disputabimus, & ne esset necesse de aliorum sacramentorum custodia aliam constituere rubricam, ideo in ista additur & aliorum sacramentorum, conficiturque tota simul hac ratione. *De custodia Eucharistie Chrismatis, & aliorum sacramentorum.* Aqua breuiter nos expediemus quoniam de Eucharistia iam diximus in titulo de celebratione missarum obseruatione tertia, & de Chrismate etiam tractauimus in primo libro titulo de sacra vnctione obseruatione prima. vbi diximus Chrisma esse quid compositum ex oleo, & Balsamo. capite. vnico. §. scire de sacra vnctione. Oleum vero quo Chrisma conficitur esse oleum oliuarum consecratum ab Episcopo. capite. quod in dubijs de consecratione Ecclesiæ vel altaris. Balsamum vero esse liquorem quendam qui emanat à qui.

à quibusdam arboribus dum putantur, vt docet Ab.  
in d. §. scire vers. vltimo.

Secunda obseruatio: Præsens rubrica est valde  
generalior nigro cum dicat de custodia Eucharis-  
tiæ, Chrismatis, & aliorum sacramentorum: &  
tamen in nigro de aliorum sacramentorum custo-  
dia, nec verbum vllum habeatur. Solum enim duo  
capita in hoc tit. habentur quorum primum præ-  
cipit, vt chrisma & Eucharistia sub clauibus custo-  
diantur, & contra facientibus pœnam suspensio-  
nis per tres menses imponit. Secundum vero præ-  
cipit ne extra casum necessitatis suppellectilia in Ec-  
clesijs ponantur, & quod vasa, & vestes Ecclesiasticæ  
nitidæ conseruentur.

Hic titulus duo habet capita, non reperitur in  
sexto neque in Clementinis, & de eius materia  
agitur. capite. clerici qui comam. distinctione. 23.  
vsque ad finem, & capite. qui bene, & capite. si-  
quis per necessitatem, & in alijs capitibus de con-  
secratione, distinctione secunda. & capite inter-  
rogo, prima quæstione prima. Quod vero in hoc  
titulo disputatur iam diximus in superiori obser-  
uatione. Sensus autem rubricæ facilis est: nam

dicit. *De custodia Eucharistiae Chrismatis, & alio-  
rum sacramentorum, idest quomo.*

*do Eucharistia, & Chris-  
ma custodian.*

III.

Y a

Dere-

## De reliquijs, &amp; veneratione sanctorum.

## Tit. XLV.

**P**rima observatio. Quoniam consecratio Altaris de qua supradictum est sine reliquijs fieri non debet. c. placuit de consec. d. i. ideo in presenti rubrica de reliquijs, & veneratione earum disputemus, & additur de veneratione sanctorum, quoniam in veneratione reliquiarum, sanctos quorum sunt reliquiae etiam veneramus.

Secunda observatio. Reliquiae nomen primo significat frustula panis, & aliarum rerum quae post prandium vel coenam de mensa tolluntur quae Hispanice. *Reliezes*, appellantur. Secundo, ut vult Calepidus significat pauca quae relicta sunt quomodocunque, & ubicunque relinquuntur. Tertio denique significant sanctorum ossa, vel vestes, vel alia similia, quae quia eorum fuerunt in eorum honorem veneramus. In praesenti ergo titulo satis patet, quod nomen reliquiae in hac ultima significatione capitur. Et dicuntur reliquiae quasi ab aliquo relictae: possuntque diffiniri hac ratione, Reliquiae sunt res sanctorum nobis relictae, & a nobis venerandae siue sint vestes, siue ossa, vel aliud simile. Vbi nomine sanctorum etiam Christum Dominum & Beatam Virginem comprehendimus, nam omnia quae ab ipsis nobis relicta fuerunt sunt maximae ac sanctissimae reliquiae.

Tertia observatio. Ut de veneratione sanctorum aliquid disputemus, videamus quid, & quotuplex  
sic



fit veneratio, & quid & quotuplex fit sanctus. Venerari ergo verbum est comprehendens adorationem quæ fit Deo vel rebus sacris, & honorationem, seu honoris exhibitionem quæ fit cuicumque superiori, vel cuicumque homini literis, & virtute prædito, & plus est adorare, quam honorare. Adorationum autem duæ sunt species, scilicet, Latria, & Dulia: Latria est seruitus siue cultus soli Deo debitus. Dulia est seruitus seu cultus qui debetur creaturæ. Vnde versus, *Dulia fit seruitus: debetur Latria Christo*. Præterea sancti appellatione varia continentur: nam sanctus primo significat id, quod est perfecte mundum, vt Ecclesia. Secundo, id quod est aliqua lege sancitum & roboratum, vt mari & portæ ciuitatum. Tertio id quod est Deo consecratum, vt templum. Quarto id quod est sanguine tinctum, vt ars sacrificiorum Iudæorum. Quinto denique significat viros iustos, quorum alij viuunt, vt sunt homines probi, qui in gratia viuunt. Alij iam mortui sunt qui cum Deo habitant in gloria. Et isti adhuc sunt in triplici differentia. Alij sunt quos sacra scriptura nominauit sanctos, qui nec fuerunt canonizati, neque indigent canonizatione, vt Beatus Ioseph. Alij quos summus Pontifex canonizauit, vt Beatus Franciscus. Alij denique quos nec scriptura vocauit sanctos, nec Papa canonizauit, sed in aliquibus ciuitatibus venerantur, & inuocantur tanquam sancti, vt Beatus Sahagum Salmanticæ, & Beatus Ludouicus Bertrandus Valentia.

Quarta obseruatio. Visis quæ in superiori obseruatione continentur. Dico sanctos viuos esse colendos non vero simpliciter adorandos: mortuos vero tam illos quos sacra scriptura vocauit sanctos quam illos quos Papa canonizauit, dico esse adorandos ab vniuersali Ecclesia etiam sine licentia Papæ. Alios vero quos nec scriptura vocauit sanctos, nec Papa canonizauit, dico posse in particulari oppido, vel ciuitate etiam sine licentia Papæ adorari, & genibus flexis ad eos preces effundere, & alia multa: ab vniuersali tamen Ecclesia sine expressa Summi Pontificis licentia adorari non posse, nec in Letanijs scribi, nec Missæ sacrificium vel alia diuina officia de ipsis celebrare. Et hæc sufficient de veneratione Sanctorum, sed semper aduertendum erit esse adorandos adoratione Dulix, non vero Latriæ.

Hic titulus habet duo capita, habetur in c. & Clementinis, & extrauagantibus communibus, & de eius materia agitur, capite. si quis dixerit. 11. quæstione. 1. & ca. si quis præpostera distinctione 50. & capite. loca, de consecratione, distinctione prima. Quod vero in eo disputatur est primo, quod sine Papæ licentia non licet aliquem venerari pro sancto, quod qua ratione intelligendum sit iam explicauimus obseruatione quarta. Secundo dicitur, quod reliquix sanctorum vendi non possunt, nec debent passim ostendi, ne populus circa eos decipiatur. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. *De reliquijs, & veneratione Sanctorum, id est de rebus*  
*quæ*

quæ à sanctis nobis relictæ sunt, & de eorundem  
sanctorum adoratione.

*De obseruatione Ieiuniorum. Tit. XLVI.*

**P**rima obseruatio. Quoniam in superioribus  
diximus de veneratione sanctorum in com-  
muni, & generali, modo in præsentì agendum  
erit, de quadam particulari ipsorum veneratione  
quæ dicitur, Ieiunium: in honorem enim sanctorum  
Ecclesia Catholica introduxit ieiunia.

Secunda obseruatio. Ad huius tituli expositio-  
nem aduertendum est hoc nomen obseruatio pri-  
mo significare annotationem seu animaduersionem  
alicuius rei, & hinc est, quod nos in toto isto opere  
hos paragraphos quos ad explicationem rubricarum  
proponimus obseruationes appellamus. Secundo  
vero significat obseruantiam seu custoditionem.  
In præsentì ergo quando in rubrica dicitur de ob-  
seruatione ieiuniorum erit dicere, idest de obser-  
uantia, & custoditione ieiuniorum: quasi dica-  
mus, in hac rubrica disputatur de illo actu quo ad-  
implemus ieiunium quando Ecclesia præcipit esse  
ieiunandum. Ieiunium autem sic appellatur à quo-  
dam intestino sic vocato, quod est vacuum, &  
exinanitum, quia omnia quæ recipit, non con-  
tinet in se, sed ad inferiora transmittit, vnde ad in-  
testinum illius, dicitur ieiunium propter absti-  
nentiam, & euacuationem.

Tertia observatio. Ieiuniorum duas proponunt divisiones Doctores, quibus in tres partes diuidunt ieiunium. Prima diuisio est, quam ex Gofredo tradit Abb. in præfenti, qui dicit ieiunium aliud generale, vt abstinere à vitijs, & voluptatibus. Aliud moderata resectio in cibo & potu. Aliud denique abstinentia à cibis secundum ordinationem Ecclesiæ. Secunda diuisio, quam etiam tradit Abb. ex Innocentio est huiusmodi. Ieiunium aliud est abstinentia alicuius rei edibilis secundum propriam cuiusque voluntatem. Aliud est abstinentia à rebus humectantibus, vt à carnibus. Aliud denique est abstinentia à certis cibis, certis temporibus secundum ordinationem Ecclesiæ. Et de hoc ieiunio (quod est idem cum tertio prioris diuisionis) disputatur in hoc tit.

Quarta observatio. Ieiunium de quo in præfenti disputamus sic diffinitur. Est subtractio prandij, & post coenam, cuiuslibet cibi priuatio vsque ad diem sequentem, & abstinentia à carnibus, & trahentibus sementinam originem à carnibus, vt ab ouis, lacte, & caseo. Hæc est communis Doctorum diffinitio quæ etiam traditur à Medices secundæ parte de diffinitionibus. capite. 51. numero. 1. & traditur, & explicatur ab Abbate in hac rubrica numero. 2. quam diffinitionem, & eius explicationem omittimus, tamen quia est valde nodosa, tum etiam quia nos clariori stylo ieiunium diffinemus. Ieiuniū est abstinentia quorundā ciborum certis temporibus secundum ordinationem Ecclesiæ.

Quæ

Quæ definitio optima est licet alij sic etiã definiãt.  
 Ieiunium afflictio carnis ex abſtinentia ciborũ pro  
 ueniens.

Quinta obſeruatio: Ieiunium, uigilia etiã appel  
 latur. Sciendum enim eſt, quod olim uigiliã dicebã  
 tur inſomnia, ſeu ſtationes quædam quæ in locis ſa  
 cris in honorem ſanctorum orationi & contempla  
 tioni uacãdo à fidelibus fiebãt, ut docet Lactã. lib. 7.  
 c. 19. & Tertul. li. 2. ad uxorẽ, & appellabãtur uigi  
 liã deducto uocabulo à Romana militia, in qua mili  
 tes præſidũ certo loco ſaciẽtes uigilabãt. Sed que  
 niã mulieris prætextu taliũ uigiliarum multa nocte  
 cõmittēbant flagitia, tales uigiliã ſeu ſtationes pro  
 hibitæ fuerunt in Elibert. Synodo, canone. 35. & lo  
 co earum introducta fuerunt ieiunia, ſicq; effectum  
 fuit, ut dies illa, in qua ad honorem alicuius feſtiuita  
 tis ieiuaamus, uigilia appelletur. Ieiunium autẽ quo  
 modo olim fieret, eſt longum recenſere, nam mul  
 tis modis fieri ſolebat, prout ex diuerſis Decreti ca  
 nonibus colligitur. Hodie autem quomodo fiat om  
 nes ſciũt: fit enim uiginti quatuor horarum ſpatio,  
 in ueſpera feſtiuitatis, ſeu die uigiliã à media nocte  
 in mediam noctem computando, in quibus abſtine  
 mus à quibuſdã cibis, præſertim à carnibus, vno ſo  
 lum de iure ſumpto cibo in meridie, & alio leui ac te  
 nui ex conſuetudine in principio noctis.

Hic titulus tria habet capita, & non habetur in 6.  
 neque in Clementinis, & de eius materia agitur diſ  
 tin. 41. & 76. per totum, & de conſec. diſt. 3. & de con  
 ſecr. diſt. 5. per totũ. Quod uero in eo diſputatur eſt,

primo, quod ieiunandum est in Sabbato, si vigilia cadat in Dominica, & quod ieiunanda est vigilia Beati Mathiæ. Secundo, an sit ieiunandum in vigilijs omnium Apostolorum: & an in Quadragesima, vel alijs vigilijs propter necessitatem liceat comedere carnes. Et tertio, quod si festum Natiuitatis Domini occurrat sexta feria, scilicet, die Veneris omnibus licitum est comedere carnes, exceptis profelsis & uentibus. Sensus autem rubricæ est huiusmodi: *De obseruatione ieiuniorum*, id est, de obseruantia, seu modo & tempore ieiuniorum.

*De purificatione post partum. Tit. XLVII.*

**P**Rima obseruatio: Quia disputatum est de ieiunijs, quæ in reuerentiam sanctorum introducta sunt, agendum erit, de purificatione post partum, quæ in Ecclesiæ reuerentiam, in lege Mosayca introducta fuit, ut videamus quid de ea tenendum sit in noua Christi Ecclesia. Sciendum tamen prius erit, quod licet communiter nostra rubrica scribatur, *De purificatione post partum*, aliquando nihilominus scribitur, *De purgatione post partum*: ambæ tamen lecturæ optimæ sunt.

Secunda obseruatio: Purificatio est purum facio, id est, mundum, nitidum, & sine forde aliquid facere: unde purificatio post partum erit mundificare, & purificare aliquid post partum, quid autem esset post partum purificandum ex antiqua legis obseruatione (propter quam iste titulus constitutus fuit)

clarius

clarius apparebit. Sciendum enim est, quod antiquitas in lege veteri mulieres post partum reputabantur immundæ, & ita præceptum constitutum erat in reuerentiam Ecclesiarum, quo cauebatur, ne mulieres masculum parientes: intra quadraginta dies templum ingrederentur, & si foeminam pepererint post octuaginta dies, ut habetur distinctione quinta in principio, & in glossa, verbo, certi dies, capite vnico, isto titulo. Ex quibus iam apparet huius tituli expositio: nam dicitur, de purificatione post partum, idest, de mundificatione mulierum parturientium à partu, ut possent ingredi templum: quæ mundificatio seu purificatio hodie non est in usu: nam possunt mulieres post partum quandoque voluerint Ecclesiam intrare, & gratias Deo agere: licet si aliqua abstinere voluerit ob deuotionem, vel venerationem, bene poterit, ut manifeste probatum est in capite vnico, isto titulo.

Hic titulus vnicum tantum continet caput, non habetur in Sexto, neque in Clementinis, & de eius materia agitur distinctione quinta per totum. Quod vero in eo disputatur iam diximus in superiori obseruatione. Sensus vero rubricæ est huiusmodi: *De purificatione post partum, idest, de mundificatione mulierum parturientium, ut possint ingredi templum.*

De Ec-

## De Ecclesijs edificandis vel reparandis.

## Tit. XLVIII.

**P**rima observatio: Quo niam in superiori titulo disputatum est de veneratione Ecclesiarum per purificationem post partum, ideo de alia veneratione, quæ fit per ædificationem & reparationem earundem, in hoc titulo agendum erit, maxime enim decoratur Ecclesia Catholica, cum noua templa ædificantur, vel antiqua quæ vetustate corruunt, reparantur: & sic ponitur rubrica, de Ecclesijs ædificandis vel reparandis. Est tamẽ aduertendum, quòd Ecclesie nomen in hac rubrica pro templo capitur.

Secunda observatio: Ædificare, si vim vocabuli consideremus est ædem de nouo facere, & cum Ecclesie etiam ædes sint optimo loquendi modo dicemus in hac rubrica, de Ecclesijs ædificandis, id est, de Ecclesijs de nouo faciendis. Præterea reparare est rursus parare, & in pristinum statum redigere id quod iam ad interitum appropinquabat: quare quando in hac rubrica additur hoc verbum, reparandis, idem erit quod dicere, de Ecclesijs quæ cū iam perire inceperint, rursus parantur, seu restaurantur, & reædificantur. Ex quibus optime conficitur tota rubrica hac ratione. *De Ecclesijs edificandis vel reparandis, id est, de templis quæ de nouo ædificantur, & de templis quæ cū vetustate pereant restaurantur, seu reparantur.*

Tertia observatio: Multa de hac materia in hoc titulo dicuntur. Primum est, quòd habentes beneficia in Ecclesia debent contribuere ad eius reparationem,

cap.



cap. 1. isto titulo. Secundum est, quod propter multitudinem leproforum noua potest Ecclesia construī, qua cum presbytero proprio valeant gaudere, ca. 2. Tertium, quod propter nimiam Ecclesie distantiam potest alia ædificari, cap. 3. Quartum, quod rectores possunt compelli, vt de redditibus contribuunt ad Ecclesie reparationem, cap. 4. Quintum, quod Ecclesie quæ non est non potest priuilegium concedi, ca. 5. Sextum denique est, quod potest Episcopus propter indigentiam nouam Ecclesiam construere, non obstante iuramento de non alienandis rebus Ecclesie, quod videtur violari, quia noua Ecclesia præiudicabit antiquæ, & ei quasi alienando aliquid detrahet, cap. vlt. isto tit.

Hic titulus habet sex capita, non habetur in Sexto, neque in Clementinis, & de eius materia agitur §. hinc etiam, vsq; ad §. item sunt aliqui, & in multis capitibus, de consecratione. dist. 1. Quod autem in hoc titulo disputatur, iam habetur in superiori obseruatione. Sensus vero rubricæ iam est explicatus in secunda obseruatione.

*De immunitate Ecclesiarum cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium. Tit. XLIX.*

**P**Rima obseruatio. Postquam egimus de Ecclesijs ædificandis, agendum est, de Ecclesiarum immunitate, & sic proponitur rubrica de immunitate Ecclesiarum, & quia cœmeteria & aliæ res ad Ecclesias pertinentes, etiam gaudent immunitate, idcò

ideò additur in rubrica cœmeterium, & aliæ res ad Ecclesias pertinentes.

Secunda obseruatio: Hæc duæ voces, immunitas & cœmeterium sunt in præsentibus rubrica, quæ indigent expositione, nam de Ecclesia multis in locis disputauimus, quare veniamus ad earum expositionem. Immunitas, seu, vt aliqui volunt, emunitas, dicitur quasi extra munia, seu munera, quia id quod gaudet immunitate debet esse liberum à muneribus & oneribus: vnde est immunitas idem quod libertas, exemptio, seu vacatio munerum, & onerum, vt habetur in rubrica, & toto titulo. ff. de iure immunitatis: diffinitur què hæc ratione: Immunitas est alicuius rei libertas: sed quia nos in præsentibus nō disputamus, de qualibet immunitate, sed solum de immunitate Ecclesiarum, ideò dicendum est immunitatem esse quoddam priuilegium vel quandam remissionem concessam Ecclesiæ ad non subeunda munera vel onera vel officia secularia. Cœmeterium verò dicitur quasi cinisleriū, quia ibi cinis mortuorum teritur, vt docet Remigius in tractatu de immunitate, ampliatione quarta, numero quinto Et in dictionario iuris, cœmeterium interpretatur dormitorium dictum à cœmome, quod est dormio, vnde non est dicendum cimiterium, vt vulgo dicitur, sed cœmeterium. Diffinitur autem sic. Cœmeterium est locus vbi corpora mortuorum conduntur.

Tertia obseruatio: Nomine aliarum rerum ad Ecclesias pertinentium, intelligendæ sunt personæ Ecclesiasticæ, bona Ecclesiarum, & laici fugientes ad Ec.

ad Ecclesiam, de quibus aliqua in hoc titulo dicuntur. Est tamen animaduertendū, quod nomine Ecclesiarum in hoc titulo comprehenduntur etiam oratoria auctoritate Episcopi constructa, Eremitæ, seu basilicæ, hospitalia, auctoritate Episcopi fundata, & monasteria & omne spatium intra septa monasterij contentum, vt dormitorium, atrium, claustrum, & alia permulta: de quibus vide tractatum Remigij de immunitate Ecclesiarum per totū: nam propter hæc loca in Sexto Decretalium scribitur hæc rubrica hac ratione, de immunitate Ecclesiarum, coemeteriorum, & aliorum locorum religiosorum. Agitur enim in hoc titulo lib. 6. lolum de immunitate locali. Sciendum enim est, triplicem esse immunitatem Ecclesiarum, scilicet, localem, personalem, & realem. Localis est, quæ conceditur loco Ecclesiastico. Personalis est quæ conceditur personis Ecclesiasticis vel personis existentibus in Ecclesia Et denique realis, quæ conceditur rebus & bonis Ecclesiarum.

Hic titulus habet decē capita: Habetur in. 6. & Clementinis & extrauagantibus cōmunibus, & de eius materia disputatur, §. quod licet, vsq; ad finē distinctionis. 41. & distinctionis. 7. & 98 & .14. questione 4. & .23 q. vlt. & ca. in primis. 2. q. 1. & in alijs multis capitibus. Quod autem in hoc titulo disputatur est, ne laicus in loco Ecclesiastico iudicet maxime causas sanguinis: & quod tempore necessitatis custodia ciuitatum etiam pertinet ad clericos, & quod rusticus astrictus ad culturam Ecclesiæ non potest illam

illam deferere, & quòd laici iurisdictionem Ecclesie usurpantes, vel collectas Ecclesie imponentes, sunt excommunicati. Præterea multa dicuntur de fugientibus ad Ecclesiam: & quòd prælati non debent grauari subditos: & quòd Ecclesia non consecrata etiam gaudet immunitate: & denique quòd delinquens spe & occasione immunitatis, non debet gaudere immunitate. Sensus verò rubricæ est huiusmodi: *De immunitate Ecclesiarum cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium, id est, de libertate seu priuilegio Ecclesiarum cœmeteriorum, & aliarum rerum Ecclesiasticarum.*

*Ne clerici vel monachi secularibus negotijs se immisceant. Titulus L.*

**P**Rima observatio: Quoniam in superiori titulo tractatum est de immunitate Ecclesiarum & aliarum rerum Ecclesiasticarum, ne clerici sua immunitate superbirent & arbitrarentur sibi omnia licere, merito subiicitur hæc rubrica ne clerici vel monachi secularibus negotijs se immisceant. Vel continua sic. Quoniam toto isto libro de vita & honestate clericorum disputatur merito, tanquã totius libri clavis hic titulus ponitur in quo prohibetur ne clerici vel monachi secularibus negotijs se immisceant, quod maxime ad clericorum, & monachorũ vitam & honestatem pertinet: scriptum est enim: nemo militans Deo implicet se negotijs secularibus, vt possit placere ei.

Secunda

Secūda obseru. Vnde dicatur clericus, quid sit, & quotuplex sit, nō est opus in præfenti disputare, quoniam iam id disputauimus, l. lib. tit. 22. de clericis peregrinis, obseru. 2. neque etiam disputare oportebit vnde dicatur monachus, quid sit & quotuplex, nam id iam visum est in hoc libro, titulo de regularibus. obseruatione. 3. & in titulo de statu monachorū, obseruatione. 3. Quod autem opus erit dicere est, quid sit, & quotuplex sit negotium sæculare: & dico secundum Abbatem in hac rubrica, negotium sæculare duobus modis sumi. Primo pro omni actu proueniente ex carnali cōcupiscentia nō subiecto frænationis: & dicitur negotiū sæculare, quia per hoc uinitur sæculariter, id est, secundū sæculū, mundū, seu carnem, non autem secundum Deum & spiritum. Et hæc negotia sæcularia etiam laicis prohibentur. Secundo sumitur pro negotio pertinenti ad Rempublicam mundanam, & sæculares homines. In hoc ergo titulo non disputatur de negotio sæculari primo modo sed secūdo. Et hoc negotium est quod in hoc titulo clericis & monachis prohibetur dicendo, ne clerici vel monachi sæcularibus negotijs se immisceant, id est, ne clerici vel monachi negotientur res pertinentes ad Rempublicam mundanam, & sæculares homines, nec officia in Republica habeant, quia hoc illis in isto titulo prohibetur, & in capite, fornicanti, distinctione. 88. & in l. placet, C. de Episcopis, & clericis.

Tertia obseruatio Negotium sæculare sumptum illo secundo modo in pluribus consistit, vt docet

glos. verbo, quod autem, in Summa, 11. q. 3. aliquando enim est emere, ut carius vendat, & hoc non licet clericis. dist. 88. per totum, aliquando exercere causas seculares, & hoc non licet clericis, nisi pro certis personis, cap. 1. de postulando, aliquando esse procuratorem seu administratorem rerum secularium, & neque hoc licet clericis, c. sed ne. & c. 1. isto tit. Et denique aliquando conducere possessiones à laicis, & hoc solum licet clericis, & monachis quando indigent, c. dilecti. de decimis.

Hic titulus habet decem capita: habetur in Sexto non vero in Clementinis, & de eius materia agitur. dist. 88. & 12. q. 4. & 33. quæst. vlt. per totum, & c. vlt. dist. 86. Quod verò in hoc titulo disputatur est, quod generaliter debet clerici abstinere à negotiis secularibus, ut à ministerio & seruitio laicorum, à professione Legum & Medicinæ, ab officio procuratoris, à iudicio sanguinis, à locationibus, ab officio tabellionatus, & à purgatione vulgari. Sensus autem rubricæ facilis est: nam dicit: *Ne clerici, vel monachi in secularibus negotiis se immisceant, id est ne clerici, vel monachi negotientur.*

*Finis Tertij Libri Decretalium.*

EXPO-

EXPOSITIO  
TITVLORVM

IVRIS CANONICI.

LIBER QVARTVS  
DECRETALIVM.

*De sponsalibus, & matrimonijs.*

TITVLVS I.



ERTIO Decretalium libro diligentiſſime abſoluto, operpretium erit eadem continuata diligentia ad quartũ accedere, & quoniam in illo de clericorum operibus latiſſime fuit abſoluta diſputatio, ideo in præſenti de laicorum actibus erit exactiſſime diſputandum, cumq; in nullo alio laicũ aliquem eſſe plus offẽdatur, quã in in deſponſatione, & matrimonio, ideo prima huius quarti libri rubrica erit de ſponſalibus & matrimonijs.

Prima obſervatio: Hęc rubrica in duas dividitur partes, in quarum prima agitur de ſponſalibus, & in ſecunda de matrimonio, quare propter hanc cauſam, & quia per ſpõſalia ad matrimoniũ deuenimus prius de ſpõſalibus videamus. Spõſalia ergo dicuntur ab ſpõdeo ſpõdes, quod eſt promitto, definiunt enim futurarũ nuptiarum mẽtio & repromiſſio, l. i. & 2.

ff. de sponsalibus, & cap. nostrates. 30. quest. 5. In qua definitione merito ponitur illa particula, re promissio; quæ significat mutuam seu reciprocam promissionem: in sponsalibus enim sponsus & sponsa mutuo dant sibi fidem de futuris nuptijs contrahendis. Unde sufficit nudus consensus ad sponsalia constituenda, quæ sunt quasi quoddam præambulum ad matrimonia contrahenda, possuntque inter absentes vel præsentis fieri, dummodo septennium adimpleuerint, glossa, in. §. i. inst. de nuptijs. Quare sponsus erit vir, qui de futuris nuptijs sponsæ promissit: & sponsa erit mulier quæ de futuris nuptijs contrahendis sponso promissit. Unde sponsa est mulier promissa, & sponsus vir promissus. Præterea sponsalitia largitas quod dat sponsus sponsæ, vel sponsa sponso gratis, & sine animo recompensandi, glossa, verbo, poenæ. §. ius autem. inst. de iure naturali. Est tamen aduertendum, quod mas & foemina, sponsus & sponsa, proprie loquendo non dicuntur post adimpletum matrimonium per consensum de præsentis, quamuis nõ fuerit consummatum, sed tunc dicetur, maritus, & uxor, cum iam sit adimpleta promissio seu sponsio, à qua sponsi vocabantur. Hæc docet Felinus in hac rubrica in principio. Quam obrem docet, quod statutum loquens de sponsis non extenditur ad maritum & uxorem, cum verba statutorum sint proprie intelligenda, cap. in nostra, de iniurijs. Ex quibus colligo, quod licet hæc duo vocabula sponsalia, scilicet & matrimonium sæpissimè inter se confundantur, nihilominus tamen sponsalia proprie significant promissio-



missionem futuri matrimonij, & matrimonium proprie significat ipsam maris & foeminae coniunctionem per consensum animorum factam. Animaduertendo tamē, quod quāuis hæc vera sint, nihilominus propria istorum vocabulorum significatio tollitur, si eis addatur alterū istorū duorum terminorū, scilicet, *de presenti*, aut, *de futuro*, nam hæc vox, *de presenti*, si addatur sponsalibus, facit vt significant verbum matrimonium, & hæc vox, *de futuro*, si addatur matrimonio facit vt significet sponsalia.

Secūda obseru. Videamus quot modis spōsalia cōtrahantur, & dico, quod varijs modis contrahuntur, scilicet, *re*, *verbis*, *litteris*, & *consensu*: *re*, vt per nudam subarrhationem vel annuli immisionem, *verbis*, vt si inter virum & mulierē promissio super futuro matrimonio verbaliter intercesserit: *litteris*, vt cum absentes inter se de futuris nuptijs per epistolā paciscuntur: *consensu* deniq; vt quando ij qui propter ætatem matrimonium cōtrahere non possunt, nihilominus contrahunt, nam tunc legis interpretatione, verba *de presenti* in sponsalia *de futuro* resoluntur, c. à nobis, de spōsatione impuberū. Prætereā contrahuntur sponsalia tripliciter, scilicet, *purè*, *in diē*, & *sub conditione*. *Purè*, vt cum vir & mulier se inuicem futuros coniuges pollicentur. *In diē*, vt cū quis intra certum temporis spatium aliquā se ducturum in vxorē cōuenit. Denique *sub conditione*, vt cum quis, si quid fiet vel contigerit, nuptias se contracturum pollicetur. Et quoniam vidimus quot modis contrahantur, videamus quibus modis dissol-

uuntur, qui vt breuiter nos expédiamus, his verbis continentur: *Crimen, dissensus, fuga, tempus & ordo, secunda. Morbus, & affinis, vox publica cumque reclamatur. Quodlibet istorum sponsalia soluit eorum.* De quibus vide Hostiensem in Summa isto titulo, §. qualiter dissoluuntur.

**Tertia observatio:** Matrimonium dicitur à matre: quoniam per matrimonium mulier fit mater, vt docet Gellius, li. 18. c. 6. & hic honor mulieribus & nō viris propter laborem partus datur, vt ab ipsis matrimonium nomen accipiatur, vt docet Brissonius de verbis iuris, verbo, matrimonium. Et diffinitur sic: *Est maris & foeminae coniunctio: indiuiduam vitae consuetudinem continens, l. 1. §. 2. ff. de iustitia & iure, & instituta in principio, de nuptijs.* Quae diffinitio sic explicatur, vt, coniunctio, in ea habeat vim generis. Et dicitur, maris & foeminae, quia in pari sexu non potest esse matrimonium. Dicitur, indiuiduam saltem quantum ad propositum, nam quoad effectum seu thorum multoties diuiditur matrimonium, l. cōsensu. C. de repudijs. Dicitur, vitae, quia post mortem iam non est matrimonium, cum per mortem dissoluatur, §. de incept. authentica, de nuptijs. Et dicitur, consuetudinem cōtinens, idest, habens illam supradictam indiuiduam vitam, seu indiuiduam consuetudinem vitae, saltem quoad propositum vt diximus. Vbi aduertendum est quod matrimonium etiā alijs quinque nominibus insignitur: nam dicitur: *Nuptiae, connubium, coniugium, consortium, & cōtubernium.* Dicuntur autem nuptiae à nubendo, idest velando

velando, eo quod olim, nouæ nuptæ velatæ, id est, cum velo ad viros deducebantur. Vnde proprie nuptiarum nomen mulieribus conuenit vt docet idem Brissonius, vbi supra. Dicitur connubium, quasi si semel nuptum. Dicitur, coniugium, quasi communi consensu iunctum, seu sub vno iugo iunctum. Dicitur consortium, quasi vna sorte sociatum. Et denique dicitur contubernium, quatenus est in feruis, vt leges volunt. l. cum ancillis C. de incertis nuptijs, vel secundum Canones, quatenus est in sacerdotibus, c. sane sacerdotes, de clericis conjugatis.

Quarta obseruatio: In hac obseruatione quinque videnda sunt. Primum, de progressu matrimonij. Secundum, de bonis ipsius. Tertium, de mysterijs quæ continet. Quartum, de ætate qua cõtrahitur. Et quintum, quot modis dissoluatur. Ad primũ ergo accedentes dico, quod matrimoniũ initiatur spõsalibus, ratificatur consensu, & sic dicitur ratũ & nõ consummatum, & denique consummatur copula, qua ratione dicitur matrimonium ratum & consummatũ. Ad secundũ dico, matrimoniũ hæc quatuor bona continere, scilicet, sacramentũ, fidẽ, prole & remediũ concupiscentiæ. Continet sacramentum, quia matrimoniũ Ecclesiæ sacramentum est à Christo Domino institutum, vt probatur in Concilio, sess. 7. ca. 1. & sess. 24 cap. 1. Continet fidem, nã inter alia habet pro fine fidem, societatem, & amicitiam inter coniuges. Continet prolem, quia habet etiam pro fine procreationem, & educationem prolis, vt probatur in principio, Instituta de iure naturali. Continet denique

neque remedium concupiscentiæ, quoniam etiam fuit matrimonium in remedium concupiscentiæ institutum post peccatum: unde optimum consilium est vt quis nubat, si cōcupiscentia opprimatur, quia vt docet Apostolus, *Melius est nubere quam vri.* Ad tertium dico, quòd animorum consensus, in quo essentialiter consistit matrimonium, repræsentat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum & iustam animam. Et corporum commixtio, quæ est id in quo matrimonium consuminatur, repræsentat sacrosanctum coniugium, quod inter Christum & Ecclesiã per Incarnationis mysterium fuit contractum. Ad quartum dico, quòd foemina non potest ante duodecimum annum matrimonium contrahere, neq; masculus ante decimum quartum, nisi pacis & publicæ quietis causa, cap. 2, isto titulo. Ad quintum deniq; dico, quòd quia esset nimis prolixum singulas causas recensere, propono tibi hos versus in quibus satis clare continentur, & sunt huiusmodi: *Error, e. n. diti, votũ, cognatio, crimen, C. i. t. u. s. d. i. s. p. a. r. i. t. a. s. , v. i. s. , o. r. d. o. , l. i. g. a. m. e. , b. o. n. e. s. t. a. s. , S. i. s. i. s. a. f. f. i. n. i. s. , v. e. l. f. o. r. t. e. c. o. i. r. e. r. e. q. u. i. i. . H. a. e. s. o. c. i. a. u. d. a. v. e. t. a. n. t. , c. o. n. u. b. i. a. i. u. n. c. t. a. v. e. t. r. a. h. a. n. t.*

Hic titulus habet triginta duo capita. Habetur in Sexto, non vero in Clementinis, & de eius materia disputatur. 27. quæstione. 2. & 29. quæst. 1. & 33. quæstione. 2. & 3. & 32. quæst. 1. 2. & 3. per totum, & §. his omnibus vsque ad finem quæst. 30. q. 5. & §. sed quia, vsque ad finem quæstionis. 33. quæst. 2. Quod vero in eo disputatur est, generaliter docere, quomodo contrahantur, & dissoluantur matrimonia, & sponsa.

Sponsalia. Sēsus vero rubricæ est huiusmodi. *De sponsalibus, & matrimonij*, idest de ipso matrimonio, & matrimonij promissione.

*De Desponsatione impuberum. Tit. II.*

**P**rima observatio. Hanc rubricam duobus modo continuant Doctores. Primo sic. Quoniam visum fuit supra de desponsatione in genere, & in communi, ideo de quadam desponsatione in specie videndum erit, scilicet, de desponsatione impuberum. Secundò sic. Quoniam ad sponsalia contrahenda certa ætas determinata est tam Imperatorum constitutionibus, quam Pontificum decretis, capite. 2. isto. tit. ideo, vt ad eam ætatem declarandam locum habeamus, de desponsatione impuberum seu pupillorum disputemus. In qua rubrica non erit opus discutere vnde dicatur, quid & quotuplex sit desponsatio, quoniam id iam in superiori titulo visum fuit cum desponsatio, & sponsalia sint vnum & idem: licet dicat Otomanus, de verbis iuris, verbo spondere, quod spondere est ex parte patris puellæ eam ipso dens seu promittens, & despondere ex parte patris adolescentis acceptantis puellæ promissionem. Vnde sponsalia dicentur ex parte foeminæ vel parētum ipsius: & desponsatio dicetur ex parte adolescentis vel parentum ipsius, sed hæc differentia parum ad nostrum institutum spectat, & parum de ea curatius. Erit tamen aduertendum in præsentem, quod quavis rubricam solum dicat, de desponsatione impube-

rum, nihilominus etiam de eorum matrimonijs disputatur: quare quemadmodum præcedēs rubrica scribitur de sponsalibus, & matrimonijs in communi: ita etiam hæc poterat inscribi de sponsalibus, & matrimonijs impuberum, ut colligitur ex capite. puberes, & cap. continebatur, & ex alijs multis capitibus huius tituli.

Secunda observatio. Ut videamus quis dicatur impubes, omnia nomina quibus hominis ætatem iura significant erunt in præsentibus proponenda, quæ non minimam adferent utilitatem, & sunt illa, Anniculus, Infans, Proximus infantia, Proximus pubertati, Impubes, & pubes. Anniculus est qui trecentessimum sexagesimum quintum diem incepit, & nec plus nec minus habet, & dicitur. Anniculus, idest unius anni. leg. anniculus. ff. de verborum significatione. Infans est paruulus citra septem annos, idest qui septennium non adimpleuit. l. si infanti. C. de iure deliberandi. Proximus infantia est à septennio vsque ad decimum annum, & dimidium si est masculus vel vsque ad nonum, & dimidium si est foemina, ut docet glossa verbo infantia. §. pupillus instituta de inutilibus. Proximus pubertati est masculus à decimo, & dimidio vsque ad quatuordecimum, & foemina à nono, & dimidio vsque ad duodecimum, ut docet eadem glossa in dict. verbo infantia. Impubes est in masculis à septennio vsque ad decimum quartum annum: & in foeminis ab eodem septennio vsque ad duodecimum annum. Est tamen

tamen aduertendum, quod comprehendit impubes tam proximos infantiae quam proximos pubertati, qui si patribus orbatus sit pupillus appellatur, & sic impubes, & pupillus eiusdem sunt aetatis, nam is qui impubes est, si patres non habeat pupillus dicitur. Pubes denique est Masculus à decimo quarto anno usque ad vigesimum quintum, & foemina à duodecimo usque ad eundem vigesimum quintum: ex quo nota, quod pubes, adolescens, & adultus sunt vnum, & idem. Ex quibus colligitur, quod postquam quis vigesimum quintum annum attingit dicitur habere plenam pubertatem: licet verum sit, quod multoties in iure vigesimo quinto anno assequuto, dicatur semiplena pubertas, & statim post decimum octauum dicatur plena pubertas. S. minorem instituta de adoptionibus. Et haec sint dicta de his nominibus secundum Legistas & Canonistas, nam secundum Philosophos haec esse solent Infantia, seu pueritia, Adolescentia, Inuentus, virilis aetas, & Senectus. Infantia seu pueritia est usque ad quatuordecimum annum. Adolescentia est à decimo quarto anno, usque ad vigesimum quintum. Inuentus est à vigesimo quinto, usque ad trigessimum quintum. Virilis aetas est, à trigesimo quinto usque ad quadragesimum nonum. Senectus denique est à quadragesimo nono usque ad vitae finem, in qua aetate si clamosi, & querelosi sint senes decrepiti dicuntur.

Tertia obseruatio. Ex supradictis colligitur quid sit

fit impubes de quo loquimur in rubrica, qui dicitur impubes à pube, idest pudencia corporis hoc est pudore siue verecundia, qua afficiebatur is qui inspiciebatur an barba inferior adhuc pungeret. capite. puberes isto titulo. Vel dicitur pubes à probitate animi, quia tunc ita probus efficitur, quod mas coire potest, & foemina virum pati. Vnde homines dicuntur puberes, & foeminæ viri potentes. Est autem triplex modus probandi pubertatem. Primus per inspectionem corporis, scilicet, inspiciendo loca secreta seu barbæ inferiores an pungant vel lanuginem ducant: qui modus reprobatus est à Iustiniano in principio, instituta quibus modis tutela finiatur. Secundus per annorum ætatem, ita vt foemina habeat duodecim annos, & masculus quatuordecim, & iste modus est quo quotidie iura vtuntur. Tertius est per ipsum factum seu per rei euidenciam, scilicet, quia malitia seu viri potentia, aliquando supplet, quod in ætate deficit, vt si adolescens cognouit carnaliter puellam, sicut in capit. continebatur isto. tit. Et iste modus optimus est non tamen valet in testamentis, & curis, vel alijs rebus similibus, sed solum in matrimonijs contrahendis.

Hic titulus habet quatuordecim capita habetur in 6. non vero in Clementinis, & de eius materia disputatur. 30. quæstione. 2. capite. 1. 20. quæstione. 1. Quod vero in eo agit est, an, quomodo, & qua ætate impuberes contrahant matrimonia, & sponsalia, vel iam contracta dissoluant. Sensus vero rubricæ est huiusmodi. *De desponsatione impuberum*, idest de sponsalibus



bus vel matrimonijs foeminarum ante duodecimū  
annum, & masculorum ante decimum quartum.

*De Clandestina desponsatione. Tit. III.*

**P**rima observatio. Quoniam impuberes, de quo-  
rum desponsatione proxime diximus prohibé-  
tur coniūgi nisi ex causa. capite. hoc seruetur  
desponsalibus, & vt causa diligenter examinetur  
prohibentur clandestina sponsalia, ideo de ipsis erit  
in præsentī disputandum. Vel sic. Quoniam titulo  
primo, desponsalibus, & matrimonijs in genere dis-  
putatum fuit, & postea titulo secundo. de quadam  
desponsatione in specie, scilicet, de desponsatione  
impuerum, ideo in præsentī, de alia etiam despon-  
satione in specie erit capiēda disputatio, scilicet, de  
Clandestina desponsatione. In qua rubrica subintel-  
ligenda est hæc particula, *Prohibita*, ita vt illius sen-  
sus sit de clandestina desponsatione prohibita, quæ-  
admodum explicauimus titulum de cohabitatione  
clericorum, & mulierum.

Secunda observatio. In hac rubrica, quod primo  
animaduertendum occurrit est, quod quanuis in ru-  
bro dicatur de Clandestina desponsatione, tamen,  
quod præcipue in hoc titulo disputatur est de Clan-  
destino matrimonio, vt patet in toto nigro, quod  
etiam obseruatum fuit in titulo superiori de despon-  
satione impuuerum, nam etiam ibi disputatur de ip-  
sorum matrimonio. Videamus tamen quid sit Clan-  
destinum matrimonium, vel clandestina despon-  
satio.

tio. Clandestinum ergo in communi est id quod fit non seruata iuris solemnitate ad eius publicationem, vt docet Bart. in l. fin. ff. de ritu nuptiarum: quare Clandestinum matrimonium vel desponsatio, erit in qua non seruatur iuris solemnitas ad eius publicationem, seu quod idem est. occultum matrimonium seu occulta desponsatio, vel quia fit sine denunciationibus, vel sine testibus, & parochis, vel sine alijs iuris solemnitatibus. Hæc autem matrimonia clandestina in triplici sunt differentia. Alia enim sunt clandestina, quia omittuntur quædam solemnitates, quæ solum de honestate requiruntur, vt quod benedictio detur in facie Ecclesiæ, & quod sponsa petatur à suis parentibus in quorum potestate est, & alia similia. Alia sunt clandestina, quia clam sine testibus contrahuntur, vt in capite primo. & secundo. isto titulo. Alia denique, quia clam sine denunciationibus, & bannis seu edictis contrahuntur. In hoc ergo titulo. de omni clandestino matrimonio agitur.

Tertia obseruatio. Matrimonium ergo, vt rite fiat debet coram parochis fieri, & coram duobus vel tribus testibus, præmissis iam denunciationibus tribus diebus festiuis inter Missarum solemnitas publicatis, vt docet Concil. Tridentin. sessione. 24. capite primo. Aliter enim matrimonium erit clandestinum, & prohibitum. Sed dices quoniam constat ex superioribus, quod matrimonium clandestinum est prohibitum, videamus si dato, quod contrahatur erit validum, vel potius nullum, & irritum: multa enim sunt quæ prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent.

tenent. Cui difficultati? Respondeo, quod antiquitus de Iure Communi valida fuerunt matrimonia clandestina, quousque Ecclesia illa irritauit, ut patet in capite. sufficiat, 27. quaestione secunda, & ut docet D. Thom. in 4. distinctione. 28. quaestione. 1. art. 3 & ut docet Tridentinum, dict. sessio. 24. c. 1. hodie autem postquam Ecclesia illa irritauit, sciendum est, quod matrimonium, quod est clandestinum ex defectu parochi, vel testium est nullum, & irritum, ut docet idem Concil. dict. sessio. 24. capite primo. versic. qui aliter: illud vero, quod est clandestinum ex defectu denuntiationum esse validum, licet puniantur qui sine Episcopi licentia tales denuntiationes praetermisserunt, ut docet idem Concilium ubi supra versiculo, quod si aliquando. Illud denique, quod est clandestinum ex defectu aliarum solemnitatum non solemnium, etiam erit validum, nihil enim interest ad validitatem matrimonij, quod benedictio detur in facie Ecclesiae vel non, & quod petatur mulier a parentibus vel non, & alia similia.

Quarta obseruatio. Olim de Iure Ciuili prohibitum erat, quod filij familias matrimonium contraherent nisi parentum consensus praecederet, ut principio instituta de nuptijs. Est tamen sciendum, quod si sine tali consensu actu contraherent erat validum matrimonium, ut docet glossa in capite. sufficiat 27. quaestione secunda. & Coarruuias. 2. parte. de sponsalibus. capite tertio. §. 8. numero. 1. Quibus reiectis hodie de Iure Canonico

co talis consensus necessarius non est, & qui necessarium esse dixerit anathemate damnat Concil. Trident. sessione. 24. capit. 1. In principio. Est tamen laudabile consilium ne filij sine suorum parentum licentia contrahant, quæ certè res est maxime meritoria, & omni laude atque honore digna. Sed in fine huius rubricæ dices, quæ sunt istæ denunciations, de quibus hic loquuti sumus? Respondeo esse quasdam publicationes in parochia contrahentium factas inter missarum solemnias tribus diebus festinis. In quibus publicationibus dicat Parochus, quod talis & talis contrahunt matrimoniû, & quod si aliquis scit aliquod impedimentum illud intra certum tempus denuntiet.

Hic titulus habet tria capita, non habetur in 6. neque in Clementinis, & de eius materia agitur, 30. quæstione. 5. per totum & capite. consanguineorum. 3. quæstione. 4. Quod vero in hoc titulo disputatur est, primo, quod clandestinum matrimonium non præsumitur nisi probetur. Secundo, quod non coguntur simul habitare qui clandestine contraxerunt, & tertio, quod antequam matrimonia contrahantur publicentur edicta ad hoc, ut qui voluerit matrimonium impedire impedimenta proponat, & quod filij nati ex matrimonio clandestino sunt illegitimi, & denique proponitur poena qua puniuntur clerici qui matrimonia interdicta non impediunt. Sensus vero rubricæ est huiusmodi. *De clandestina desponsatione*, idest de matrimonio seu desponsatione occulte contracta.

## De sponsa duorum. Tit. IIII.

**P**rima obseruatio. Quoniam in omnibus superioribus titulis in quibus de matrimonijs, & de sponsationibus fuit disputatum solū loquuti fuimus, in casibus, in quibus vnū cōtrahit matrimonium, vel vnica contrahitur desponsatio, & posset quis dubitare quid iuris esset quando duplex matrimonium vel desponsatio contraheretur, & ideo in presenti titulo id disputabitur, & quanuis solum dicat de sponsa, etiam disputat de propria muliere, vt patet ex nigro, & ex his quæ notauimus in rubricis superioribus, in quibus quanuis rubrum loquatur de desponsatione tamen nigrum etiam disputat de matrimonio. Et dicitur de sponsa duorum: non vero de sponso duarum, vt ostenderet compiler mulierum fragilitatem, quia facilis est propter considerationis inopiam, vnā duobus contrahere, quā vnū duabus, licet fallat regula in eo, qui cum septem mulieribus in diuersis locis contraxit, & cum interrogaretur quare id fecisset, respondit: quærebam vnā rationis capacem, & non inueniebam. Sed tamen his facetijs omissis, dicendum est, quod etiam poterat ista rubrica intitulari: *De sponso duarum*, & sic illam scribit Anastasius Germonius in presenti, dicens sic inueniri in veteri Tarraconensi libro, optimam adhibens rationem, quia, scilicet, in capite primo, & vltimo huius tituli disputatur de sponso duarum, & forte sic esset scripta si Compiler decretalium fuisset mulier. His etiam adde-

quod in hoc tit. disputatur quid iuris sit quando aliqua persona (sive mas sive foemina) prius contrahit cum vno, & postea (priori viuente) contrahit cum alia. Et dicitur priori viuente, vt distinguatur iste tit. à titulo de secundis nuptijs, in quo disputatur de illo qui mortuo priori coniuge, alias secundas nuptias contrahit.

Secunda observatio: In hac rubrica nō est opus videre quid sit sponsus vel sponsa, cum id iam licuerit tit. obseru. & per consequens etiā non erit opus disputare, quid sit esse sponsam duorum, vel sponsum duarū, nam satis manifeste constat, sponsam duorum esse foeminā habentē duos viros, vel sponsum actum duos viros, & sponsum duarum esse virum habentem duas vxores vel sponsas etiam actum viuentes. Est ceterum aduertendum, quod haec nomina sponsus, & sponsa non sunt accipiēda in sua propria significatione, scilicet, vt tantū significant eā, & eū qui futurus est nuptias promiserunt, sed improprie, vt cōprehendunt etiam eos qui promiserūt, quam etiam illos qui defacto contraxerunt, vt patet in nigro. Vnde poterat etiam in ista rubrica sic scribi, de muliere duorum, huiusmodi duoque maritus, & maritus proprius, quisquē veros, & legitimos coniuges qui iam nuptias contraxerunt.

Tertia observatio: Posito, quod certum sit nemini libere coniugio habere posse, capi quomodo, si quis ex ratione, alio minus videndum est, si quis de factum libere sponsalia contraxerit, quae nam eorum sponsalia in praualere debeat. Cui difficultati, Respon-

deo,

deo, quod vel vtraque sunt de præfenti: vel vtraque de futuro, vel prima de præfenti, & fecunda de futuro, vel denique è contra, prima de futuro, & fecunda de præfenti. Ad primum dico, quod si ambo sint de præfenti, in quocunque casu priora valent; & posteriora sunt nulla. capite. licet, infra isto titulo. Ad secundum dico, quod si vtraque sunt de futuro, & ambo iurata, vel ambo non iurata prævalent priora, & si alia iurata sunt alia non, quæ iurata sunt prævalent etiam si sint posteriora, capite. sicut de sponsalibus, & matrimonijs. Ad tertium dico, quod si prima sunt de præfenti, & secunda de futuro, satis patet prævalere priora, argumento legis, cui pono ff. de seruis exportandis. Ad vltimum denique dico, quod si priora sunt de futuro, & posteriora de præfenti, posteriora præualebunt.

Hic titulus habet quinque capita, non habetur in sexto, neque Clementinis, & de eius materia agitur capite. habito, & capite vltimo. 27. quæstione. 2. Quod autem in eo disputatur præter ea, quæ dicuntur in superiori obseruatione est qua pœna puniatur qui accepit in uxorem, sponsam alterius de præfenti, & quod qui appellat in causa matrimoniali non potest interim contrahere, & si contrahat separabitur, sensus vero rubricæ est huiusmodi. *De sponsa duorum, id est de muliere vel sponsa nupta cum duobus viris actu uiuentibus.*

*De conditionibus appositis in desponsatione vel in alijs contractibus. Tit. V.*

**P**rima obseruatio. Continuationem huius rubricæ libuit proponere, quemadmodum glos. in præfenti ex Abbate proponit, nam hæc nobis exactissima visa est, quæ est huiusmodi. Quia quandoque sponsalia contrahuntur pure, de quibus visum est supra: quandoque sub conditione, merito de his post præcedentia videamus. Et quia conditio apponi potest, non solum in matrimonio, sed etiã in alijs contractibus, ideo ne author haberet materiã geminandæ rubricas subnectit, de conditionibus apposis etiam in alijs contractibus, & recte: nam in c. 2. & c. verum, loquitur de conditione apposita in manumissione, & in donatione Ecclesie facta.

Secunda obseruatio. Conditionis verbum multa significat. Primo statum personæ, vt esse seruũ vel liberum, c. liberi. 32. q. 4. Secundo significat statũ rei, vt domum esse subiectam seruituti vel non, vt in c. nulli de rebus Ecclesie. Tertio denique significat modum quendã qui rebus additur, & eas suspendit. In hoc ergo tit. hoc tertio modo accipitur conditio. Et sic accepta dicitur à con, quod est simul, & dictio, quod est dicere, quia simul cum aliquo dicit: conditio enim est talis naturæ, quod semper alteri additur & ambo simul significant id, quod neque conditio sola, neque illud alterum solitariè sumptum significaret. Et definitur sic. Est quidam modus dictum restringens, & rei additus, vt res sit: quæ  
diffi.



diffinitio optima est: nam dicitur, *Quidam modus*, quia modus habet vim generis in hac diffinitione. Et dicitur, *Dictum restringens*, quia conditio semper est limitatiua illius, quod dicitur. Et dicitur, *Rei additus*, quia conditio nunquam est de per se, neque sola potest aliquid significare. Et denique dicitur, *Præres sit*, quia non adimpleta, neque vitiata, vel reiecta conditione, non venit neque fit res cui conditio est addita, vt verbi gratia, si quis dicat, promitto decem si naus ex Asia venerit, illa particula si naus ex Asia venerit, est conditio, quoniam est quidam modus restringens, & coarctans illam promissionem, & additur promissioni, vt promissio adimpleatur, nam si naus ex Asia non veniat non dabuntur decem. Sed supradicta diffinitio traditur de conditione tam proprie quam improprie sumpta, solū enim illam que rem in futurum suspendit est proprie conditio, & diffinitur sic. *Conditio est futurus euentus in quem suspenditur dispositio, vt colligitur ex. §. sub conditione instituta, de verborū obligationibus.*

Tertia obseruatio. Cognita natura conditionis cognoscitur totius rubricæ sensus, nam in ea agitur de conditionibus quæ adduntur sponsalibus vel alijs contractibus. Et conditionum tres possumus proponere diuisiones. Prima est, conditio alia est expressa, illa, scilicet, quæ exprimitur, & clare dicitur, alia tacita quæ non exprimitur, sed subintelligitur, vt si dicas, dabo decem dotis causa, subintelligitur ista conditio, *si nupsit*, l. si stipulantem. ff. de iure dotium. Secunda diuisio, conditio alia est de præ-

terito, vt dabo decem, si fuisti consul anno præterito: alia de præsentis, vt dabo decem si nunc Petrus mortuus est: alia denique de futuro, vt dabo decem si naris venerit. Ex quibus duæ priores proprie conditiones non sunt, posterior vero solum est proprie conditio. Tertia diuisio, conditio alia possibilis illa, scilicet, quæ potest adimpleri, vt dabo decem si moriatur vxor, alia impossibilis, quæ fieri non potest, vt dabo decem si totum mare bibas. Quæ etiam est triplex. Alia à natura, vt dabo decem si digito coelum tetigeris. Alia à iure, qua ratione dicitur impossibile omne, quod iure fieri non potest, veluti conditiones turpes, vt dabo decem si adulterium committas. Alia denique de facto qua ratione dicitur impossibile id, quod maxime difficile est.

Quarta obseruatio, ex superioribus collige res distinctas esse conditionem, & cōditionem, nam conditio, vt diximus est quidam modus rei ipsam restringens, & ipsi additus, vt sit. Condictio vero est quando aliquid solutū est, & illud intendimus repetere, vt per totū titulum. ff. de conductione causa data, cū alijs titulis sequentibus. Vel condictio est actio in personā, qua dare aut facere oportere intēditur, vt probatur in, §. appellamus inst. de actionibus. Postremo tamen aduertendū est, quod conditio præcipue significatur per cōiunctionē. Si. Licet etiam alijs dictionibus significetur, scilicet, per aduerbium, *Cum*, vt dabo decem cū Titius erit consul. & per dictionē. *Nisi*, vt dabo decem nisi pater impediat: & per dictionē. *Alioquin*, & per alias innumeras, quas refert Lexi

con iuris in verbo, cōditio. In fine tamē huius rubricæ ad clariorē conditionis notitiam videamus quid sit modus, & quomodo differat modus, & cōditio: pro quo dico, quod modus est moderatio quædā dispositioni adiecta, grauans eū, qui honoratur in tempus perfectæ dispositionis. Ex qua diffinitione collige modū, & conditionē sic differre, quod cōditio impedit natiuitatem obligationis, modus vero nō.

Hic autē septē habet capita, non habetur in 6. neq; in Clementinis, & de eius materia tractatur. 32. q. 8. & c. solet, & c. aliquando. 32. & ca. vlt. 32. q. 1. & 17. q. 4. Quod vero in hoc tit. disputatur est quando sit seruanda vel reiicienda conditio. Sensus vero rubricæ est huiusmodi. *De conditionibus appositis in desponsatione, vel in alijs contractibus, id est de futuris euentibus matrimonium, sponsalia, & alios contractus suspendentibus.*

*Qui Clerici vel vouentes matrimonium contrahere possunt. Tit. VI.*

**P**rima obseruatio. Quoniā hucusque disputatū est, tam de matrimonijs puris quam cōditionalibus, erit iam disputandum de impedimentis matrimonij, & primo de impedimento ordinis seu voti, vt à dignioribus ducamus exordiū, quare proponitur rubrica sub his verbis. Qui clerici vel vouentes matrimonium contrahere possunt. In qua, quod primo aduertendum occurrit est, quod ista rubrica non statuit vel disponit aliquid, sed interrogat, nā vt ait Abbas, non precedit aliquid, sed

sed interrogatiue, percontando qui sint illi clerici vel vouentes qui matrimonium possunt contrahere. Quomodo autem hæc rubrica distinguatur ab illa de clericis coniugatis, vide in ea obseruatione quarta. Et qui clerici possint matrimonium contrahere vide etiam in eadem rubrica obseruatione secunda.

Secunda obseruatio. Quid & quotuplex sit Clericus non disputamus: nam id iam vidimus lib. i. titulo. de clericis peregrinis: neque etiam quid, & quotuplex sit vouens, nam id iam constat ex lib. superiori. titu. de voto, & voti redemptione. Quare solum obseruandum erit, quod Clericus sumitur hic pro eo qui est in sacris ordinato, nam de eo solum in nigro disputatur: & vouens sumitur pro omni vouente, tam solemniter quam simpliciter: plus tamen disputatur de vouentibus quam de clericis.

Tertia obseruatio. In toto isto tit. fere nihil aliud habetur quã illa celebris doctrina, tã multũ celebrata, scilicet, quod votũ solẽne impediatur matrimonium cõtrahendũ, & dirimat cõtractũ, simplex vero impediatur nõ tũ dirimat. Id est votũ solẽne impedit, vt vouens matrimonium cõtrahat, & si de facto contrahit illud dirimit, & facit nullũ. Votũ vero simplex est obstaculum, & impedimentũ ad contrahendum, sed si contrahatur non dirimit neque dissoluit. ca. meminimus. cap. consuluit. cap. veniens. cap. rursus, & capi. final. isto titulo. Duo autem aduertenda sunt in hac communi doctrina. Primũ est, quod votũ de quo in ea loquimur est votum castitatis, nam solum votum castitatis siue simplex siue solẽne contrariatur

tur matrimonio, aut saltem v sui matrimoniali. Secū-  
 dum est, quòd votum debet esse prius matrimonio  
 ad hoc vt procedat superior doctrina. Sed dices,  
 quid iuris erit è conuerso, quando prius quis  
 matrimonium contrahit, & postea castitatem vo-  
 uet. Respondeo, quòd semper matrimonium erit va-  
 lidum, & votum erit nullum, idest, matrimonium  
 prius contractum, quàm votum emittatur, impedit  
 & dirimit votum, idest impedit votum fieri. & votū  
 factum dirimit: nisi fiat de cōsensu vtriusq; cōiugis.

Hic titulus habet septem capita, non habetur in  
 Sexto, neque in Clementinis, & de eius materia agi-  
 tur. 27. distinctione per totum, & 17. quæstione. 1. &  
 2. & 17. quæstione. 1. per totum. Quòd vero in eo di-  
 sputatur, iam diximus in superiori obseruatione.  
 Sensus vero rubricæ est huiusmodi: *Qui clerici vel vo-  
 uentes matrimonium contrahere possunt, idest, qui propter  
 ordinem vel votum impediuntur matrimonium cō-  
 trahere.*

*De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per  
 adulterium. Titulus VII.*

**P**Rima obseruatio. Secundum impedimentum  
 matrimonij est adulterium, quod certe non est  
 impedimētum impediens omne matrimoniū,  
 sed solum illud quod fit cum ea, cum qua adulteriū  
 fuit commissum, vt si quis commisit adulterium cū  
 aliqua, cuius marito mortuo, cum ea vult contrahe-  
 re, illud adulterium est impedimentum, de quo hīc

disputatur: & de illo homine sic volente contrahere loquitur nostra rubrica quando dicit. De eo qui duxit in matrimoniū quam polluit per adulteriū. Quæ in duplici sensu disputari potest, primo quādo adulter machinatus est mortem prioris mariti, vt si quis qui cognouit aliquam per adulteriū interficiat, vel faciat interficere maritum suum, vt possit cū ea contrahere, secundo quando neque adulter, neque adultera mariti mortem machinati sunt, sed aliūde ipse mortuus est. Et vtroque modo in hoc titulo disputatur, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.

Secunda obseruatio ad clariorem huius rubricæ sensum tria videamus. Primū, quid sit ducere in matrimonium, secundum quid sit polluere. Et tertium quid sit adulterium. Et ad primum deueniendo, ducere in matrimonium, est idem quod matrimonium contrahere. Ad secundum dicimus quod polluere, vt docet Calepinus est porro lauare, sed per antiphrasim ponitur, pro coinquinare, violare, seu inquinare. Et hinc fit quod nocturnam feminis humani sparsionem, pollutionē vocamus: Vnde polluere per adulterium in hac rubrica erit coinquinare mulierem alicuius per carnis copulam. Ad tertium denique dico quod adulterium licet improprie sumptū prope omnem illicitam fornicationem comprehendat, proprie tamen solum significat coitum illius, qui coniugem habet. l. inter liberos. §. 1. ff. de adulterijs, nam est delictum contra coniugem commissum, siue committēs sit mas, vel foemina. Vnde in c. lex illa. §. 6. q. 1. sic

fic diffinitur, adulterium est alieni thori violatio: & dicitur adulterium quasi ad alterius thorum accessio, & adulteri, dicuntur ab ad, & alter, quia mas ad alteram foeminam, & foemina ad alterum virum accedit. In presenti tamen non erit extra rem omnes species illicitæ fornicationis proponere: quæ habentur in d. c. lex illa, quæ sunt fornicatio, stuprum, incestus, raptus, & adulterium. Fornicatio quamvis videatur genus ad omnes illicitos coitus qui sunt extra legitimam uxorem, tamen proprie loquendo fornicatio est coitus cum vidua, vel meretrice, vel concubina. Stuprum est illicita virginis defloratio, licet improprie etiam coitus cum vidua stuprum appelletur. Incestus est coitus cum sanguinea vel affine. Raptus est coitus in puella violenter à domo patris abducta. Et denique adulterium est alieni thori violatio: vt supra dixi.

Hic titulus habet octo capita, non habetur in lex tō neque Clementinis, & de eius materia disputatur 31. q. 1. & 32. q. 4. per totum & multis capitib. 32. q. 7.

Quod vero in eo agitur est an possit quis contrahere cum illa quam polluit per adulterium & si contrahat an debeat separari. Sensus, autem rubricæ est

huiusmodi. *De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. id est. de illo adultero qui contrahit cum illa cum qua adulteratus fuit.*

**De**

## De coniugio leproforum. Tit. VIII.

**P**Rima observatio: Quoniam lepra soluit sponsalia de futuro, videtur quod sit etiam matrimonij impedimentum: & ita inter matrimonij impedimenta tertio loco collocatur. Tum etiam ne aliquis putaret quod propter horribilitatem & abominationem huius infirmitatis, etiam matrimonium de presenti deberet solui.

Secunda observatio: Coniugium vt diximus id est est quod matrimonium, quia hoc sacramentum aliquando coniugium, aliquando connubium, aliquando nuptiarum, aliquando consortium, & aliquando matrimonium appellatur, vt diximus supra, isto libro, titulo. 1. observatione. 3. Sed his non obstantibus advertendum est etiam in hoc titulo de sponsalibus disputatur: nam coniugij vocabulum accipietur hic tam pro matrimonio de presenti, quam pro matrimonio de futuro. Quid autem sit lepra videamus. Est ergo humorum & membrorum corruptio: corrupto enim humore nutrimentali, de facili corrumpuntur membra quae ex humoribus nutriuntur: humor autem ex cuius corruptione principaliter venit lepra est melancholia. Vnde quidam dicunt, lepram esse passionem frigidam & siccam, nascentem ex colera nigra intensa & putrefacta, apparens in superficie corporis. Est autem lepra quadruplex secundum quatuor humorum mutuam permixtionem. Prima est ex pura melancholia, quae Elephantia vocatur. Secunda ex melancholia & phlegmate, quae dicitur Tyria, vel serpentina.



ma. Tertia fit ex melancholia sanguinis infectione, quæ dicitur Alopecia, seu Vulpina. Quarta est, quæ fit ex colera rubea corrupta in membris cum melancholia. De istarum tamen proprietatibus, & qualitatibus, & quare sic appellentur: & an curari valeant, nec ne, non est nostri instituti: consule tamen Medicos, & ex non Medicis Bartholomæum Anglicum in libro. 7. de proprietatibus rerum, c. 64.

Tertia obseruatio. Ad huius rubricæ expositionem videamus, quodnam impedimentum sit lepra respectu matrimonij contracti vel contrahendi. Cui dico primo, ad matrimonium de præsentī nullo modo lepram esse impedimentum, nam neque etiam quoad chorū poterunt separari coniuges propter lepram, capite. 1. isto tit. Dico secundo, quod ad contrahendum matrimonium de futuro, seu ad contrahendum sponsalia, etiam non potest esse impedimentum, nā liberum est unicuique promittere matrimonium alicui leproso, sicut etiam liberum erit de præsentī contrahere, c. 1 & 2. isto tit. Tertio & ultimo dico, quod ad sponsalia iam contracta potest esse impedimentum, nam vel lepra præcessit sponsalia, & tunc si hoc sciebat ille qui non erat leprosus valida fuerunt sponsalia, & compelletur contrahere de præsentī, si vero ignorabat quoad suam partem non erunt valida, & sic non compelletur matrimonium contrahere, c. literas isto tit. Præterea, si lepra superuenerit post sponsalia contracta non compelletur ille qui nō est leprosus ad contrahendum de præsentī, d. c. literas. isto titulo. Ex quibus collige lepram solum esse impedimentum

MERRIM

mentum ad adimplendum id quod promissum fuit in sponsalibus quando tempore sponsaliorum, vel non erat lepra, vel non constabat de illa. Et hoc impedimentum est voluntarium, nam si pars noluerit eo uti, bene poterit sponsaliorum promissionem adimplere, ut ex toto titulo colligitur. In fine tamen animaduertendum volo quod nulla infirmitas quantumcumque grauis dissoluit matrimonium etiam quoad thorum & mutuam seruitutem, ut colligitur ex cap. 2. isto titulo.

Hic titulus tria habet capita, non habetur in sexto neque in Clementinis, & de eius materia, non docent Doctores ubi in decreto pertractetur. Quod vero in eo disputatur iam habetur in superiori obseruatione. Sensus vero rubricæ est. *De coniugio leprosoꝝ*, id est de matrimonio, vel desponsat. Leprosoꝝ, siue ante, siue post matrimonium facti fuerint.

*De Coniugio seruorum tit. 9.*

**P**Rima obseruatio vidimus titulo superiori de impedimento lepræ ad contrahendum coniugium modo de alio impedimento scilicet de seruitute videamus quæ est impedimentum. Status seu conditionis disputantes an serui possint matrimonium contrahere, & an sit validum matrimonium si de facto contrahant.

Secunda obseruatio, iam in multis titulis superioribus vidimus coniugium esse idem quod matrimonium.

monium Quare videndum est quid sit servus, ut sic maneat explicata hæc rubrica de coniugio servorum: sed tamen quia id iam explicavimus in 1. lib. titu. de servis non ordinandis obser. secunda, proinde id succincte & breviter repetamus; servus ergo dicitur an servando quia olim Imperatores præcipiebant, ne interficerentur, sed potius servarentur §. servi. Inst. de iure personarum, & dicitur aliquando mancipium quia manu capiebatur. Dicitur etiam servus a servitute, est autem servitus iurisdictionum constitutio qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur §. servitus. Inst. eod. unde servi sunt qui servati dominio alieno subiecti sunt. Qui in triplici sunt differentia, alij enim servi nascuntur, ut quos pariunt ancillæ, alij fiunt de iure gentium, ut qui ab hostibus capiuntur alij denique fiunt de iure civili, ut illi qui sese vendidit ipsi sunt ad pretium participandum §. ult. Inst. de iure personarum. In hoc ergo titulo quoniam dicimus de coniugio servorum indistincte de omni servo intelligendum est.

Tertia observatio ad faciliorem huius rubricæ intelligentiam multa notanda sunt. Primo enim sciendum est servum olim de iure civili non posse contrahere matrimonium ut probatur l. cum ancillis. C. de incestis nuptijs, ubi copulationes servorum, non vocantur nuptiæ, vel matrimonia, sed contubernia, at vero de iure canonico bene possunt contrahi. Secundo sciendum est posse servum contrahere tam cum libertis & ancillis dicto capite primo quam cum libris seu ingenuis capite secundo,

& 7. etiam isto titulo. Tertio sciendum est, consensum Domini non esse necessarium seruo ad contrahendum, quoniam per hoc ipse non defraudatur suis seruitijs, nam semper tenetur seruus debita seruitia domino prestare, dicto c. 1. isto tit. Et hoc est verum si domino ignorante vel contradicente, matrimonium contrahatur, nam si sciente & tacente fuerit contractum, non tenebitur seruus ei debita obsequia prestare, ex eo quod ipse fit liber. l. vnica. §. sed & si quis. & auth. ad hoc C. de latina libertate tollenda. & §. si vero decretum, auth. de nuptijs. Quarto denique sciendum est, seruitutem non esse impedimentum ad contrahendum matrimonium, nam quicumque voluerit cum serua contrahere, libenter poterit, ut colligitur ex d. cap. 1. esse tamen impedimentum dirimens matrimonium iam contractum, si quando contrahatur ignorabat liber, se contrahere cum serua, ca. 1. isto tit. nam propter errorem conditionis, seu status potest matrimonium dissolui, ut dicemus in alia obseruatione.

Quarta obseruatio. Quando impedimentum de quo hic loquimur, consistit in errore, videamus quos errores committantur in contrahendo matrimonio. Et quidem quatuor assignat Host. in Summa isto titulo. num. 6. Primus est error personæ, ut si existimem contrahere cum vna, & me decipiant, & contraham eum alia. Secundus est error conditionis, ut si existimem contrahere cum libera, & contraham cum ancilla. Tertius est error fortunæ, ut si existimem contrahere cum diuite, & contraham cum paupere. Quartus de-

tus deniq; est error qualitatis, vt si existimē contra-  
here cum integra & contraham cum corrupta. Ex  
quibus erroribus primus & secundus impediūt seu  
dissoluunt matrimonium iam contractum, non ve-  
ro tertius & quartus.

Hic titulus habet quatuor capita, non habetur in  
sexto neque in clementinis, & de eius materia agi-  
tur 29. q. 2. per totum. Quod vero in eo disputatur iā  
habetur in tertia & quarta obseruatione, sensus au-  
tem rubricæ est huiusmodi. *De coniugio seruorum. id-*  
*est de matrimonio in quo alter contrahentium est*  
*seruus.*

*De Natis ex libero ventre, tit. 10.*

**P**rima obseruatio habito tractatu de conditio-  
ne coniugatorum sequitur disputandum de cō-  
ditione natorum: præcipue cum in titulo supe-  
riori actum sit de coniugio seruorum, & ex eo possit  
quis dubitare, an qui ex coniugio seruorum nascun-  
tur sint liberi, vel serui: ideo vt hoc discuteretur pro-  
ponitur rubrica, de natis ex libero ventre.

Secunda obseruatio, totus iste titulus vnico capi-  
te continetur, in quo dicitur quod natus ex libera,  
vel liberta liber est: taliter q̄ etiā si liberta fuerit, li-  
berta alicuius Ecclesiæ non poterit Ecclesia filios  
suos ad seruitutem redigere. c. vnico isto titul. du-  
rum enim est dicit Summus Pontifex, vt Ecclesia li-  
bertates reuocet, cum libertatem defendere debeat.  
Huius cap. decisio fundatur in illo communi dicto;  
partus ventrem sequitur l. partus. C. de rei vendica-  
tione:

tione: quod ita verum est, ut sufficiat matrem fuisse liberam, vel tempore conceptionis, vel tempore partus, vel denique aliquo tempore medio quantumvis brevissimo inter conceptionem & partum: quoniam calamitas matris non debet ei nocere qui in utero est, ut probatur in principio inst. de ingenuis. Ratio autem quare partus ventrem sequitur, seu quod idem est, ratio propter quam partus sequitur matrem, non patrem est: quia quamvis pater & semine eius magis operarentur in generatione cum sint agentes & mulier sit patiens: nihilominus tamen mater in ventre vivificat partum, & sua substantia nutrit. Unde partus est fructus ventris, & fructus sequitur terram, siue libera sit, siue serua: ratio enim non patitur alterius effici arborem, quam illius terre in qua radices egit §. si titius inst. de rerum diuisione. Et l. adeo. ff. de acquirendo rerum dominio. Ad clariorem tamen superiorum intelligentiam, sciendum est differentiam reperiri inter liberum seu ingenuum, & libertum seu libertinum, quod ingenuus nunquam fuit servus, sed eo ipso quod natus fuit liber fuit, ut probatur in principio inst. de ingenuis, at vero libertus siue libertinus prius fuit servus, & postea adquisiuit libertatem ut probatur toto titulo inst. de Libertinis.

Hic titulus unicum habet caput, non habetur in sexto, vel clementinis, nec de eius materia specialiter in decreto disputatur. Quod vero in eo dicitur iam habetur in superiori observatione. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. *De natis ex libero ventre* id est, de filiis ex libera vel liberta matre natis.

## De cognatione spirituali, tit. I I.

**P**rima observatio. In prosecutionem impedimentorum matrimonij disputandum est de cognatione, quæ nō minimum est matrimonij impedimentum, sed quia cognatio triplex est scilicet spiritualis, legalis, & carnalis, ut in sequentibus videbimus, ideo hæc disputatio in plures diuidetur rubricas, quarum prima de spirituali disputabit, quia alijs nobilior & præstantior est, vnde hic titulus inscribitur, De cognatione spirituali, ut postea in sequentibus de legali, & carnali disputemus.

Secunda observatio. Cognatio spiritualis sic definitur est attinentia, vel propinquitas personarum quæ provenit ex sacramento Baptismi, vel confirmationis datione, vel ad sacramentum suscipiendum tentione. Vel ut docet Abb. in hac rubrica, cognatio spiritualis est quoddam vinculum proveniens ex eo quod quis aliquem baptizaverit, vel confirmaverit, seu baptizatum vel confirmatum levaverit aut tenuerit in baptismo, vel confirmatione: contrahitur enim hæc spiritualis cognatio solum in duobus sacramentis, scilicet in baptismo & confirmatione, quia cognatio spiritualis imitatur naturalem & carnalem cognationem quantum potest. Vnde sicut per natiuitatem contrahitur carnalis, ita in natiuitate baptismi contrahitur spiritualis, nam quæ baptizatur renascitur ex aqua & Spiritu san-

cto, & quia confirmatio baptismum confirmat, ideo etiam in confirmatione oritur cognatio spiritalis, c. 1. & 2. de consecratione dist. 5. In Catechismo enim licet cognatio spiritalis reperiatur, non tamen est tanti momenti, nam & si matrimoniū impediatur non tamen dirimit, c. 2, isto titulo lib. 6. & c. contracto infra isto titu.

Tertia obseruatio, tres sunt huius cognationis species, scilicet paternitas, cōpaternitas, & fraternitas. paternitas est cognatio spiritalis quæ contrahitur, cum baptizato. vel confirmato ab his qui baptizarunt vel confirmarunt aut in baptismo, vel confirmatione tenuerunt, cōpaternitas est cognatio spiritalis quæ contrahitur inter patres naturales, & patres spirituales, fraternitas denique est cognatio spiritalis quæ contrahitur inter baptizatum, vel confirmatū, & filios patrum spiritualium. Et non assignant communiter Doctores plures species cognationis spiritalis, quia cognatio spiritalis non descendit ad nepotes, neque ascendit ad auos, neque extenditur, ad collaterales. Sed licet hæc vera sint, ego alias duas inuenio, Prima est filiatio spiritalis quæ contrahitur à baptizato, vel confirmato, cum eo qui baptizauit vel confirmauit, aut in baptismo, vel confirmatione tenuit. Secunda est innominata (nam ipse nescio quo nomine possit insigniri) quæ contrahitur inter baptizatum, vel cōfirmatum & parentes suos naturales ex vna parte, cum vxoribus parentum spiritualium ex alia, dum modo vxores parentum spiritualium fuerint prius cognitæ per veram copulam, & hoc



& hoc ideo, quia per copulam facti sunt vnus, seu vt communiter dicitur facti sunt duo in carne vna, & communicarunt sibi actiones capit. 1. & capit. si vnus 30. q. 4.

Quarta obseruatio, licet verum sit quinque esse species cognationis spiritualis de iure decretalium, tamen hodie ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. scilicet paternitatem, filiationem, & compaternitatem. Paternitas reperitur in leuantibus, seu tenentibus, & baptizantibus, seu confirmantibus in ordine ad baptizatum, vel confirmatum, nam omnes sunt patres spirituales ipsius. Filiatio reperitur e contrario scilicet in ipso baptizato, vel confirmato in ordine ad leuantes seu tenentes & baptizantem, vel confirmantem, quia est filius spiritualis eorum. Compaternitas denique reperitur tam in patre & matre baptizati, vel confirmati in ordine ad baptizantem, vel confirmantem, & ad leuantes seu tenentes quam e conuerso, in istis in ordine ad patrem vel matrem baptizati, vel confirmati. Animaduerte tamen quod, quia hæc cognatio valde impedit matrimonium vult concilium, vt vnus tantum vel vna, vel ad summum vnus & vna teneant baptizatum, vel confirmatum. Est tamen aduertendum in hac cognatione spirituali non dari plures lineas, neque plures gradus saltem hodie post Concilium Tridentinum, sed omnes cognationes spirituales esse primi gradus, & omnes impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, vt colligitur aperte ex toto isto titulo. Ex quibus collige quod tenentes seu leuantes nullam

interse, neque cum baptizante, vel confirmante contrahunt cognationem, vt colligitur ex Conc. Trident vbisupra.

Hic titulus habet octo capita, habetur in sexto non vero in clementinis, & de eius materia tractatur 30. q. 1. & 1. q. 3. & 4. per totum Quod vero in eo disputatur partim diximus in superioribus obseruationibus, & partim corriguntur per Conciliū Tridentinum ses. 24. capit. 2. sensus vero rubricæ est. *De cognatione spirituali.* idest de attinentia personarū, quæ prouenit ex sacramento baptismi, & confirmationis, vel ex catechismo.

*De cognatione legali, tit. 12.*

**P**Rima obseruatio. Postquam de cognatione spirituali disputauimus, de cognatione legali disputandum erit, & videamus, quid & quotuplex sit, sic enim apparebit tituli. sensus, quando dicit hic disputari de cognatione legali.

Secunda obseruatio, Cognatio legalis est quedam proximitas seu attinentia personarum ex adoptione proueniens. Adoptionem autem duobus modis diffinit glos. verbo adoptio inst. de adoptionibus. Prima, hæc adoptio est legalis actio ad solatium eorum qui liberos non habent fere naturam imitans. Sed quia etiā ab his qui liberos habent fit adoptio. s. licet inst. de adoptionibus: ideo

eidem

eidem glossæ non placet dicta diffinitio, & propterea secundam proponit. Secunda diffinitio, adoptio est legitimus actus per quem fit filius vel liber, is qui non est, pene naturam imitans, & hanc docet esse optimam diffinitionem l. prima. ff. de adoptionibus.

Tertia observatio, cognatio legalis est duplex, nã adoptio per quam ipsa contrahitur etiam duplex est alia quæ simpliciter adoptio dicitur, alia vero quæ dicitur arrogatio. Adoptio est, quæ fit auctoritate magistratus, quomodo adoptantur illi qui sunt in potestate parentum suorum. Arrogatio vero est quæ fit principis auctoritate, quomodo adoptantur, seu arrogantur illi qui sui iuris sunt. Ex his ergo duabus adoptionibus, duplex oritur cognatio legalis: alia scilicet quæ contrahitur ex arrogatione, & alia quæ contrahitur ex adoptione. Ex dictis tamẽ collige vtilem & facilem doctrinam in materia de adoptionibus, ne te nomina perturbent scilicet quod nomen adoptio, aliquando capitur in cõmuni & in genere, prout comprehendit adoptionem & arrogationẽ aliquando in particulari & in specie prout significat adoptionem specificam distinctam ab arrogatione, illam scilicet quæ fit iudicis auctoritate.

Quarta observatio cognatio legalis tam ex adoptione quam ex arrogatione proveniens triplex est. Prima est in linea ascendentium & descendentium scilicet inter adoptantem, & adoptatũ atq; eius descēdētes, vel è cõtra inter adoptatũ & adoptatẽ atq; eius ascendentes, & hæc dicitur cognatio legalis

legalis in recta linea ascendentium, vel descendentium quæ perpetuo impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum etiam adoptione dissoluta. Secunda est in linea transuersali inter filios adoptiuos & naturales in potestate patris constitutos, quæ cognatio non est perpetua: nam dissoluta adoptione adoptiuorum, vel facta emancipatione naturalium statim dissoluitur, ea tamen existente & durante impedit matrimonium contrahendum & dirimit contractum, vt probatur in c. vnico isto titulo. Reperitur etiam hæc cognatio lineæ transuersalis inter eosdem filios adoptiuos & consanguineos collaterales adoptantis, vt inter adoptiuum & fratrem adoptantis, aut è contra inter adoptatum & nepotes adoptantis, vt in §. item amitam inst. de nuptijs. Sed inter hos de iure canonico nuptiæ non inveniuntur prohibitæ, licet de iure ciuili in quibusdam eorum prohibeantur, vt patet in d. §. item amitam inst. de nuptijs. Tertia cognatio legalis, est quædam legalis affinitas quæ ratione adoptionis contrahitur inter adoptatum & uxorem adoptantis, vel è contra inter adoptantem & uxorem adoptati, quæ durat perpetuo scilicet: etiam dissoluta adoptione l. adoptiuus ff. de ritu nuptiarum, quæ etiam non extenditur ad plures gradus, impedit tamen contrahendum & dirimit contractum, vt patet in d. l. adoptiuus.

Hic titulus habet vnicum caput, non habetur in sexto neque in clementinis, & de eius materia agitur, c. 1. & c. per adoptionem 30. q. 3. Quod vero in eo disputa.

disputatur est, quod fratres naturales, & adoptiui omnes in patris potestate existentes, non possunt contrahere matrimonium, nisi de patris potestate vnus saltim exierit. Sensus vero rubricæ facilis est, nam dicit. *De cognatione legali*, id est de attinentia personarum quæ prouenit ex adoptione vel arrogatione.

*De eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ vel sponsæ. Tit. XIII.*

**P**rima obseruatio. Postquam egimus de Cognatione Legali, & spirituali, agendum erat de Cognatione Carnali: sed interponitur hæc rubrica, quoniam copula habita cum consanguinea vxoris vel sponsæ etiam est impedimentum ad matrimonium contrahendum, quanuis non dirimat contractum: erit ergo necesse talem copulam inter impedimenta matrimonij numerare, & sic, vt de ea disputemus proponitur hæc rubrica, *De eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ vel sponsæ*: & quanuis in aliquibus antiquioribus vel manu scriptis codicibus non legatur illa vltima particula, *Vel sponsa*, tamen melius est, quod legatur ne nigrum esset generalius rubro, cū in nigro etiã agatur de eo qui cognouit consanguineam sponsæ suæ, vt in c. 2. & in c. ex literis isto titu. Secūda obser. Cōsanguinei nomē venit à cō, quod est simul, & à sanguine, quasi cōsanguineus sit homo eiusdē sanguinis, vnde cōsanguinea vxoris vel sponsæ, & mulier de sanguine, & parētela vxoris vel sponsæ. Vxor autē est vera coniux cū quaiã contractū est matrimonium sponsa vero est, cui promissum est

mattimoniū, vt dixi sup. hoc li. tit. 1. obs. 1. Quare sensus tit. erit, vt disputetur hic de illo homine qui per carnalē copulā cognouit consanguineā vxoris suæ vel spōsæ suæ. Quod autē de eo præcipue disputatur est, quod per talē copulā superuenientē non impeditur mattimoniū contractū, impeditur tamen contrahendū, & exactio carnalis debiti à propria vxore, & spōsalia de futuro. c. 1. & 2. c. transmissæ. c. discretione. c. ex literis. c. veniens c. tuæ, & c. vlt. inf. isto tit. & in hoc fere tota huius tit. materia continetur.

Tertia obser. Duo in præsentī videamus ad clariorē rubricæ sensum. Primū est vnde oriatur hoc impedimētū. Cui respōdeo oriri ex copula illa habitā cū cōsanguinea vxoris vel spōsæ, nā per illā copulā oritur affinitas inter copulantē, & cōsanguineos mulieris copulatæ seu cognitæ: est enim affinitas attinētia personarū ex coitu proueniens, vt dicemus tit. sequēti: cūque vir factus sit affinis vxoris suæ, vel sponsæ suæ per illā copulā habitā cū cōsanguinea ipsius vxoris vel sponsæ, inde fit vt rūpantur spōsalia, quia spōsa iā est affinis, vel fit, quod non possit debitū petere si iā est nuptus, quia vxor per copulā sibi affinis facta est. Secundū est quot modis possit mulier carnaliter cognosci. Et respōdeo duobus modis, scilicet, licite, vt quando vir bono fine, & licito modo cognoscit propriā mulierē, & illicite, vt quādo quis cognoscit non suā, quod cōtingit multis modis, scilicet, fornicariē, vt quando cognoscit solutā, adulterinē, vt quādo cōmittit adulteriū, incestuosē, vt quādo cognoscit cōsanguineā vel affinē: cōtuberniosē, vt quando presby-

presbyter cognoscit aliquā cū qua cōtraxit: & denique mōstruosè, vt quādo quis cognoscit cōtra naturā. In hoc ergo. tit. manifestū est quod loquimur de cognitione illicita, & incestuosa, cū loquamur de eo qui cognouit consanguineam vxoris vel sponsa, nā cognoscit affinem suam.

Hic tit. habet vndecim capita, nō habetur in 6. neq; in Clem. & de eius materia tractatur in multis capitib. 37. q. 7. q̄ vero in eo disputatur iā diximus obs. 2. Sēsus vero rubricæ explicatus etiā est in eadē 2. obs.

*De consanguinitate & affinitate, Tit. XIII.*

**P**rima obser. In continuationē impedimentoū quæ perueniūt ex cognatione post quā egimus de cognatione spiritali, & legali agendū erit, de cognatione carnali, & per hoc de cōsanguinitate & affinitate, est enim duplex cognatio carnalis, alia quæ dicitur cōsanguinitas, alia vero quæ affinitas appellat̄, de quibus separatim disputādū est in hoc tit.

Secunda obser. Cōsanguinitas est sanguinū vnitas, vel vt dixi supra cōsanguinitas dicitur à cō, quod est simul, & à sanguine, ita vt cōsanguinei dicantur qui cōmunem habent sanguinē. Distinguitur autē consanguinitas sic: est attinētia personarū proueniēs ex eo, quod vna descēdit ab alia, vel ambæ ab vna: vt pater & filius habēt cōsanguinitatē seu sunt cōsanguinei, q̄a vnus descēdit ab alio, & duo fratres sūt cōsanguinei, q̄a ambo descēdūt ab vno. Et cōsanguinitatis duę sunt species, scilicet agnatio, & cognatio. Agnatio est cōsanguinitas p̄ lineā masculinā pueniēs, vt inter auū, & nepotē ex filio. Cognatio est cōsanguinitas

ex linea foemina proueniens, seu ex linea in qua sal-  
tim vna foemina reperiatur, vt inter auum, & nepo-  
tem ex filia: quæ omnia colliguntur ex. §. vulgo quæ  
fitos inst. de successione cognatorum.

Tertia obseruatio. In præsentis disputant Docto-  
res de gradibus consanguinitatis, sicque videamus  
quid sit consanguinitatis linea, & quotuplex, & quid  
etiam sit gradus. Linea ergo est collectio personarum  
consanguinitate coniuatarum diuersos gradus con-  
tinens, quæ est triplex, alia ascendentium quæ ascen-  
dit à filiis ad patres, auos proauos, &c. Alia descen-  
dentium quæ descendit à patribus ad filios nepotes,  
&c. Alia denique collateralium seu transversalium.  
quæ extenditur ad eos qui nobis ex latere coniu-  
cti sunt, vt ad fratres, filios fratrum, &c. Et hæc li-  
nea collateralis duplex est, alia æqualis quando per-  
sonæ quarum consanguinitas quæritur æqualiter  
distant ab stipite, vt duo fratres qui æqualiter à pa-  
tre distant. Alia inæqualis quando ex personis de  
quibus quæritur vna plus distat ab stipite quam alia  
vt frater & filius alterius fratris, nam plus distat fi-  
lius fratris à communi stipite quam frater. Est autem  
stirps, illa prima persona à qua omnes alij descen-  
dunt. Præterea gradus est distantia vnius personæ  
ad aliam personam, vt distantia quæ reperitur inter  
patrem & filium, itaque gradus non est pater, neque  
filius, sed est habitu seu distantia illa quæ reperi-  
tur inter patrem & filium. Ex his ergo gradibus con-  
ponitur linea, nam vnus solus gradus linea non est:  
quemadmodum ex vnitatibus componitur nume-  
rus.



rus, & tamen vna vnitas numerus non est. His cognicis videamus quomodo gradus computandi sunt, & primo animaduerto diuerso modo enumerari gradus à Legistis atque Canonistis, quod certè verum est, licet ratio quæ communiter à Doctoribus assignatur nobis non placeat.

Quarta obseruatio. Totam graduum computationem duabus regulis comprehendo, quam alij multis regulis comprehendere non possunt. Prima sit omnes tres lineæ apud Legistas, & linea ascendentium, & descendentium apud Canonistas semper enumeratis omnibus personis, vna dempta, tot remanent gradus: & id quod ego hac regula comprehendendo, quinque regulis explicant Doctores in arbo-re consanguinitatis. Secunda regula. In linea transversali Canonistarum enumeratis personis vnus partis tantum vsque ad communem stipitem inclusiue, vna dempta, tot remanent gradus: hoc tamen obseruato, quod si linea sit inæqualis enumeres maiorè partem, & si fuerit æqualis enumeres partem quam volueris, verbi gratia, quia frater, & alterius fratris filius sunt in linea inæquali debes numerare maiorem lineam, illam, scilicet, quæ est de filio fratris vsque ad stipitem, quæ duos continet gradus, & sic frater, & filius fratris erunt in secundo gradu: præterea, quia duo filij duorum fratrum (qui fratres patrueles vocantur) sunt in linea æquali poteris enumerare lineam quam malueris, & sic inuenies eos in secundo gradu.

Quinta obseruatio. Disputandum est iam de affinitate

nitate; & dicitur affinitas, quasi finium vnitas, id est duorum ad vnum finem vnitas, eo quod duæ cognationes diuersæ per nuptias secundum leges, vel per quemcunque coitum secundum Canones copulantur seu vniuntur, & altera ad alterius finem accedit. l. non facile. §. affines. ff. de gradibus cognationum. Vnde hæc propinquitas istarum diuersarum cognationum seu parentelarum dicitur affinitas, quæ sic diffinitur à glossa in arbore affinitatis. Affinitas est personarum proximitas ex coitu proueniens omni carens parentela: quæ contrahitur non quidem inter eos qui coeunt, nam isti affines nō sunt, sed sunt principium affinitatis, neque etiam contrahitur inter consanguineos vnius coeuntis, & cōsanguineos alterius, sed contrahitur inter vnum coeuntem, & consanguineos alterius, & è conuerso, verbi gratia, si cognoscam aliquam mulierem, ego & sui consanguinei sumus affines, & ipsa, & mei consanguinei etiam sunt affines, non vero ego & ipsa, neque sui consanguinei, & mei consanguinei. Ex quibus patet sublatum esse iam secundum & tertium genus affinitatis, vt probatur in cap. non debet isto titu. quæ si scire desideras, lege glossam verbo secundo & tertio ibidem.

Sexta observatio. Connumeratio graduum affinitatis hac regula comprehenditur quādo aliqui sunt affines, tot sunt gradus affinitatis quot erant gradus consanguinitatis cum persona carnaliter cognita, verbi gratia si cognouit matrem tuam, quia tu à tua matre vno tantum consanguinitatis gradu

du distas, ideo inter te, & me, dico vnum esse gradū affinitatis : præterea si mater tua vult cognoscere quo gradu affinitatis distat à filio vel nepote meo, vī deat quo gradu consanguinitatis illi distant à me, nā eo gradu affinitatis distabunt ab ipsa.

Septima obseruatio. Vltimo loco restat videamus quomodo consanguinitas vel affinitas matrimonium impediunt vel dirimant : & primo de consanguinitate dicimus, quod in linea ascendentium, vel descendentium vsque in infinitum impedit contrahendum, & dirimit contractum. l. nuptiæ, & l. vltima. ff. de ritu nuptiarum, ita vt si Adam resurgeret non posset habere vxorem, vt docet glossa in dict. l. nuptiæ, in linea vero collateralī hodie solum impedire contrahendum, & dirimere contractum vsque ad quartum gradum. Præterea de affinitate in linea ascendentium & descendentium etiam est perpetua prohibitio, vt docet glossa in explicatione arboris affinitatis. §. nunc quæritur. In linea vero collateralī dicendum est, quod si sit affinitas ex copula illicita proueniens tantum impedit contrahendum, & dirimit post affinitatem contractum, vsque ad secundum gradum, vt docet Concil. Trident. sess. 24. capite. 4. & explicauit Pius Quintus in quadam Bulla data Romæ. 4. kalend. Decembris anno. 1566. si vero sit affinitas ex licita copula impedit contrahendum, & dirimit post affinitatem contractum, vsque ad quartum gradum, vt patet in c. i. isto tit.

Hic titulus habet nomen capita, non habetur in 6. bene vero in Clementinis, & de eius materia agi-

tur. 35. quæst. 1. & 2. & 4. & 5. & 8. & 10. per totum. Quod vero in eo disputatur est quomodo sponsalia vel matrimonium impediuntur aut dissoluantur per consanguinitatem vel affinitatem. Sensus autem rubricæ est, *De consanguinitate & affinitate*, idest de attinentia personarum ex sanguine vel coitu proueniēti, quatenus impedit vel dirimit matrimonium vel sponsalia.

*De frigidis, & maleficiatis & impotentia coeundi,*  
Tit. XV.

**P**Rima obseruatio. Inter alia impedimenta matrimonium impediētia, frigiditas, & maleficium & generaliter omnis impotentia coeundi reperitur, & sic de eis expedit in hac rubrica disputare, quæ in tres diuiditur partes: prima tractat de frigidis, idest de his qui ex defectu caloris naturalis coire nō possunt. Secunda disputat de maleficiatis, idest de his qui per mulieres maleficas, & incantatrices à coitu retardantur aut inhabilitantur. Tertia denique agit de impotentia coeundi in communi, quæ multiplex esse potest, vt dicam in vltima obseruatione. Sed dices nonne sufficiebat proponere hanc rubricam solum dicendo, *De impotentia coeundi*, cum iustali impotentia comprehendatur frigiditas, & maleficium? Respondeo, quod non, tum quia in nigro de his sigillatim disputatur, tum etiam quia aliter ius disponit in frigido, aliter in maleficiato, & aliter in alijs impotentibus ad coeundum: & ideo voluit  
Com-

Compiler ista omnia specialiter attingere in rubro, & diuisim disputare in nigro.

Secunda obseruatio. Frigidus duo significat, primo hominem perniciosum, & nocentem, vt docet Calepinus verbo frigidus. Secundo significat eum qui habet frigorem. Frigus autem est quædam qualitas afficiens sensum tactus, à qua quis dicitur frigidus. Hic ergo disputatur de frigido qui habet frigorem non quidem quomodocunque, sed de illo qui illum habet ad coeundum, seu, quod idem est, de eo qui ex defectu caloris naturalis coire non potest. Maleficiatus est qui à maleficis maleficiatus est: maleficus autem est qui magicis artibus, & incantationibus utitur, vt malum faciat. l. 5 & 7. C. de maleficijs, vnde ille qui à maleficis ita damnatus est per aliquas magicas artes vulgo, *Hechizarius*, vt coire non possit, iste talis est de quo hic loquimur quando in rubrica additur illud verbum. *Et maleficiatus.*

Tertia obseruatio. Impotentia coeundi est vitium seu defectus naturalis, vel accidentalis quo quis impeditur alteri carnaliter commisceri. Quæ duplex est, alia naturalis quæ à materia prouenit, vt defectus ætatis, vel habere tam minimum membrum, vt vix mingere possit, vel ita maximum, vt tolerari non possit, vel habere virgam nodosam, capite secundo. isto titulo. Et in mulieribus esse ita arctam, vel ita latam, vt cognosci non possit. Alia est accidentalis, quæ prouenit ex accidenti, quarum alia est violenta, quæ violenter infertur, vt sectio genitalium, & alia occulta

quæ prouenit ex maleficio, quæ multiplex ac varia est, quemadmodum multa sunt maleficiorum genera. Hic tamen aduerte, quod hæc tria uocabula Eunuchus, Spado, & Castratus, licet sæpissime confundantur, & vnum pro alio capiatur, nihilominus tamen Eunuchus est nomen generale, quod potest adaptari ad spadonem, & castratum, capite. Quoniam frequenter. §. si vero, vt lite non contestata. Spado vero est is cui ferro vel spatha virilia amputata sunt. Castratus denique est idem, quod caste natus, quia scilicet, à natiuitate ortus est cum coeundi impotentia. Pro horum tamen uocabulorum intelligentia uide glossam uerbo, non possunt, & uerbo, spadones. §. sed & illud inst. de adoptionibus: ad cuius paragraphi intelligentiam multum conducunt, quæ hic à nobis dicta fuerunt.

Hic titulus habet septem capita, non habetur in sexto uel Clementinis, & de eius materia tractatur 33. quæstione prima. & secunda, per totum. Quod uero in eo disputatur est, quod propter irreparabilem impotentiam coeundi, nisi id sciant contrahentes impeditur matrimonium contrahendum, & dissoluitur contractum. Sensus uero rubricæ est. *De frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi*, id est de ijs, qui propter frigiditatem uel maleficium uel aliam coeundi impotentiam, impediuntur contrahere matrimoniū, uel à iam contracto separantur.

De Matrimonio contracto contra interdictum  
Ecclesie. Tit. XVI.

**P**rima obseruatio. Post multa matrimonij impedimenta supra proposita, proponitur hæc rubrica de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesie, in qua aliud impedimentum constituitur, scilicet, Ecclesie interdictum, quo præcipitur inter aliquos matrimonia contrahantur.

Secunda obseruatio. In hac rubrica tria tamen sunt vocabula quæ aliquam habent difficultatem, sed quia de matrimonio, & Ecclesia, iam in superioribus disputauimus, ideo de interdicto solum in præsentia agendum erit. Interdictum autem aliud est Ciuile, aliud Ecclesiasticum. Interdictum Ciuile, sic appellatur, quia inter duos dicitur, nam interdictum ciuile erat olim quædam sollemnis conceptio verborum, per quam Prætor aliquid præcipiebat fieri vel non fieri inter aliquos, quod multiplex erat, vt patet in. ff. Hodie vero interdictum ciuile est actio prætoriam in factum. §. final. in l. 1. tit. de interdictis. Interdictum Ecclesiasticum dicitur ab interdicens, quia est idem, quod prohibitio Ecclesiastica: qua ratione duobus modis capi potest. Primo pro quadam Ecclesiastica censura, quæ dicitur interdictum, & est satisfatio ab administratione quorundam sacramentorum, de quo dicemus, libro quinto, tit. de obseruatione secunda. Secundo modo capi potest

pro qualibet Ecclesiastica prohibitione, & sic accipitur in presenti. Unde tituli sensus erit, ut disputetur hic de matrimonio contracto contra prohibitionem Ecclesiasticam.

Tertia observatio. Tota huius tituli difficultas sic resolvitur, quod aut interdictum super matrimonio non contrahendo habet causam perpetuam prohibitionis, ut consanguinitatem aut habet causam temporalem, ut tempus, in quo matrimonia prohibentur propter reuerentiam dierum. Si ergo causa est perpetua, talis prohibitio seu interdictum Ecclesie impedit contrahendum, & dirimit contractum, capite fin. isto. tit. Si vero est temporalis impedit contrahendum, non vero dirimit contractum, puniuntur tamen sic contrahentes, quoniam contraxerunt contra interdictum Ecclesie, capite primo, & secundo. isto titulo. Est ratio animaduertendum, quod donec causa prohibitionis seu interdicti cognoscatur debent coniuges esse ad inuicem separati, dict. cap. i. & ultimo isto titulo.

Hic titulus habet tria capita, non habetur in sexto, neque in Clementinis, & de eius materia agitur, capite, non oportet, el segundo 33. questio 4.

Quod autem in hoc titulo disputatur iam habetur in tertia obseruatione. Sensus

etiam rubricæ iam explicauimus in obseruatione

secunda.

secunda.

Qui



## Qui filij sint legitimi. Tit. XVII.

**P**rima obseruatio . Quoniam de filijs natis ex matrimonio contracto contra interdictum Ecclesie dubitari solet, an sint legitimi, ideo proponitur ista rubrica, qua quaeritur qui filij sint legitimi, quod vt videamus, necessarium erit generale omnium filiorum diuisionem proponere, qua deinde in suas sub diuisiones distribuemus.

Secunda obseruatio . Filij aut sunt spirituales, aut legales, aut naturales . Spirituales sunt illi qui sunt per baptismum, & confirmationem, & etiam aliquo modo per superioritatem, & per confessionem & hi sunt legitimi spirituales, & dico aliquo modo per superioritatem, & confessionem, quia Papa vel Episcopus in ordine ad suos inferiores improprie dicitur Pater, & confessarius, etiam in ordine ad poenitentes proprie pater non dicitur. Legales sunt qui sunt per adoptionem vel arrogationem, & hi vocantur legitimi legales, seu legitimi tantum, & de ijs diximus in titulo de cognatione legali. Denique filij naturales sunt illi qui per naturam, scilicet, per actum naturalem maris, & foeminae habentur: qui tam reperiuntur in brutis, quam in hominibus: sed omisis spiritualibus, legalibus, & naturalibus brutorum, de naturalibus hominum agendum erit.

Tertia obseruatio. Filij naturales, id est per naturam habiti, non vero per Ecclesiam vel per leges in triplici sunt differentia. Alij enim sunt ex legitimo

matrimonio, vt filij eorum qui legitime, & seruatis Ecclesie ritibus contraxerunt, & hi semper sunt legitimi, & vocantur legitimi, & naturales. Alij sunt ex putatiuo matrimonio, vt filij eorum qui bona fide cogitabant vere contraxisse, & tamen non vere contraxerunt, & hi filij sunt legitimi, etiam si solus vnus coniux bonam fidem haberet, & vocantur etiam legitimi & naturales. c. extenore isto tit. Alij denique sunt sine vlllo matrimonio habiti. Et hi omnes absolute illegitimi sunt licet aliqui possint per subsequens matrimonium vel per adoptionem aut arrogationem legitimari. §. final. instituta, de nuptijs.

Quarta obseruatio. Filij illegitimi, & ex nullo matrimonio habiti in multiplici sunt differentia. Alij enim sunt naturales tantum, illi scilicet, qui habentur ex soluto, & concubina habita in domo loco vxoris. Alij sunt Manceres illi, scilicet, qui de scorto nati sunt, alij spurij qui de aliqua concubina nascuntur, licet spurij nomen, aliquando late sumptum multos alios illegitimos comprehendat, vt docet Abb. in capite. tanta, isto titulo. Alij sunt Nothi illi, scilicet, qui de adulterio orti fuerunt. Et de his quatuor predictis, est glossa magistra in capite. nisi cum pridem. §. personæ de renuntiatione. Præterea alij sunt incestuosi qui ex incestu nascuntur. Alij Nefarij qui ex sacrilegio habentur, vt ex moniali. Et denique alij sunt vulgo concepti, seu vulgo quæsi, vel filij sine patre, illi scilicet, qui patrem non cognoscunt, quia  
eius

eius pater incertus est, & quasi patrem non habent.  
 §. si aduersus inst. de nuptijs.

Hic titulus habet quindecim capita, non habetur in sexto, neque in clementinis, & de eius materia agitur in capite. deinde, distinctione. 26. & capite. viduam, distinctione. 34. & capite. nuper. 7. quæstione 2. & capite. dicat. 32. quæstione. 4. & capite final. 25. quæstione. 7. Quod vero in eo disputatur est quæ proles sit legitima, & quæ non, & quæ legitimari potest. Sensus autem rubricæ facillimus est: nam solum interrogando quærit. *Qui filij sunt legitimi.*

*Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testificari. Tit. XVIII.*

**P**rima obseruatio. Hæc rubrica sic continuatur ab Abbate, vidimus de matrimonijs, & eorum impedimentis, merito sequebatur videre de separationibus seu diuortijs, sed quia ad diuortia peruenimus per accusationem, & testes, ideo præmittitur hæc rubrica, scilicet, qui matrimonium accusare possunt, & contra illud testificari. In qua duæ sunt partes. Videndum enim est in ea, qui sint idonei accusatores matrimonij, & qui idonei testes. Licet in aliquibus codicibus non habeatur secunda pars cum desint illa verba, *vel contra illud testificari.*

Secunda obseruatio. In hac Rubrica nulla vox est ita obscura, vt egeat expositione,

nam quid sit testificari iam dixi in lib. 2. titulo de testibus, & attestationibus, obser. 3. & quid sit accusare dicemus infra libro. 5. titulo. 1. & denique quid sit matrimonium, diximus supra titulo. 1. obseru. 3. Iuratur tamen in præfenti prout complectitur etiam sponsalia, vt patet in cap. in super isto titulo. Quod ergo in expositionem huius rubricæ disputare possumus erit breuiter duabus partibus rubricæ respondere. Quare ad primam dicimus, quod aut agitur de matrimonio quoad separationem thori, & sic solum ipsimet coniuges admittuntur ad accusandum matrimonium, aut agitur de separatione quoad vinculum, & sic omnes admittuntur nisi accusent propter quæstum. capite. significante, isto titulo. vel si tempore denunciationum non accusarent, & postea accusare voluissent, vt in capite vltimo isto titulo. Ad secundam vero rubricæ partem. Respondeo, quemcunque esse idoneum testem contra matrimonium, & si causa matrimonialis fuerit super consanguinitate, consanguinei, & parentes poterunt testificari. c. videtur infra isto tit. Imo extraneis præferri debent, vt docet Abb. in præfenti.

Hic titulus habet sex capita, non habetur in 6. neque in Clementinis, & de eius materia tractatur. 35. quæstione sexta. per totum. Quod vero in eo disputatur præter iam dicta in superiori obseruatione est quomodo debeat fieri accusatio, & testificatio in causa matrimoniali, etiam absente reo, & qui debeant esse testes si causa fuerit consanguinitatis. Sensus vero rubricæ facilis

quod contra illud testificari. id est. De his qui possunt accusare matrimonium, vel esse testes in causa matrimoniali.

### De diuortijs, Tit. XIX.

**P**rima observatio. Quoniam accusatione præmissa & facta responsione & habita probatione sententia diuortij ferenda est, ideo dicimus de diuortijs. Vel cōtinua sic, quoniam egimus de accusatoribus & testibus qui contra matrimonium testificari possunt ut d. soluat, seu ut diuortium fiat, ideo de ipsis diuortijs agendum erit.

Secunda observatio. Diuortium dicitur à diuersitate mentium, quia hi qui matrimonium diuidunt in diuersas partes eunt l. inter stuprum §. diuortium, ff. de verborū significatione. Et diffinitur sic: diuortium est inter virum & vxorem legitime facta separatio. In qua diffinitione *separatio*, habet vim generis. Et dicitur *inter virum & vxorem*. Quoniam inter eos debet esse diuortium, inter quos fuit matrimonium, cum diuortium sit matrimonij dissolutio. Denique dicitur *legitime facta*. Quoniā aliter, id est sine legitima dissolutione, lege diuina prohibetur matrimonium dissolui: Scriptum enim est, *Quos Deus coniunxit homo non separet*: quod intelligendum est violenter, sine lege, & absque ratione. c. quos Deus. 34. q. 2. Hic tamē notandum est, quod quamuis promiss

cue iura vtantur his vocabulis scilicet diuortium & repudium, vt in l. diuortio. §. 1. ff. de verborum significatione, tamen diuortium proprie consistit inter eos qui iam actu matrimonium contraxerunt, repudium vero inter eos, qui solum sponsalia celebrarunt. Vnde si sponsa recedat ab sponso non dicitur diuertisse, sed repudiasse, & vxor si recedat à viro, non propriè dicitur repudiasse, sed diuertisse. l. quidquid in calore ff. de reg. iur.

Tertia obseruatio, Matrimonij separatio duplex est, alia quoad vinculum quando scilicet matrimonium factum dissoluitur propter aliquod impedimentum, vt propter consanguinitatem. Alia quoad thorum & mutuam seruitutem, quando scilicet matrimonium non dissoluitur, sed solum coniuges propter aliquam causam à cohabitatione separantur, vt propter adulterium. Ex quibus collige, diuortium esse separationem matrimonij quoad vinculum, repudium vero neque esse separationem matrimonij quoad vinculum, neque quoad thorum, cum solum sit, vt diximus, dissolutio seu recessus ab sponsalibus, quando scilicet sponsi recedunt ab sponsalibus, seu matrimonij promissionibus per contrarium consensum, vt in capite à nobis, de d. sponsatione impuberum.

Quarta obseruatio. Licet olim de iure civili multæ essent causæ diuortij, seu separationis quoad vinculum l. consensu C. de diuortijs: hodie

tamen

tamen de iure Canonico nulla est causa talis separationis, neque datur talis separatio, nam licet matrimonium quoad thorum sit solubile, tamen quoad vinculum si consummatum fuerit in dissolubile est, nam quos Deus coniunxit homo non separet. Sed contra hæc est maxima difficultas, nam obstat quod cõsanguinei qui contraxerunt sine dispensatione, & multi alij, separantur quoad vinculum: & nos in superiori obseruatione explicando illam particulam *Legitime facta*, insinuauimus diuortium etiam quoad vinculum fieri posse. Respondeo tamen (& hoc volo diligenter animaduertendum) quod nusquam Ecclesia dissoluit matrimonium quoad vinculum, nam est in dissolubile postquam est consummatum: quod dico quia matrimoniũ non cõsummatum dissoluitur per religionis ingressum: Sed quod Ecclesia facit est, declarare nunquam extitisse tale vel tale matrimoniũ ut si quis contrahat verbi gratia cum sorore sua: quãdo Ecclesia illos separat, non dissoluit aliquod vinculum matrimonij, quia ibi nullum fuit vinculum, sed quod facit est declarare inter illos fratres non extitisse matrimonium. Sed dices hoc esse falsum, quia inter illos fratres fuit vinculum matrimonij, cum contraxerint in facie Ecclesiæ, debito consensu, per debitum ministrum, seruata debita forma, & omnia requisita ad matrimonium rite peracta, & ita Ecclesia illos separando dissoluit matrimonium, non solum quoad thorum, sed etiam quoad vinculum.

Respon-

Respondeo tamen ad matrimonium contrahendum inter alia multa requiri capacitatem in materia, scilicet in contrahentibus, & cum frater & soror, non sint materia capax matrimonij, quia Ecclesia inter eos matrimonium prohibet; ideo etiam si omnia alia requisita adhibeantur numquam contrahetur matrimonium, & sic Ecclesia illos separando nullum vinculum dissoluet, & idem dicendum est, de ordinato in sacris, de religioso, de impotenti ad coeundum & de alijs similibus, qui ex decreto Ecclesie (quæ hoc potest ex iusta causa statuere) non sunt materia capax ad contrahendum. Et est optimum exemplum ad intelligendum hanc doctrinam de incapacitate materie, nam si quis baptizaret canem, etiam si omnia necessaria fecisset, non conficeret baptismum, quia canis non est materia capax illius sacramenti. Et secundum sensum doctrine est intelligenda diuisio, de separatione matrimonij superiori observatione posita: quod scilicet verè non detur separatio matrimonij quoad vinculum, sed separationis declaratio.

Hic titulus habet nouem capita, non habetur in sexto neque in clementinis, & de eius materia tractatur. 28. q. 1. & 2. & 22. q. 2. & 6. c. ab isto èl primero vsque ad finem quæstionis 35. q. 6. & 35. q. 9. fere per totum. Quod autem in hoc tit. disputatur est, quod potest fieri matrimonij separatio propter machinationem mortis coniugis & propter fornicationem spirituales vel carnalem, & propter affinitatè, semper tamen auctoritate Ecclesiastica, & denique dicitur quid iuris sit de matrimonio pagani ad fidem conuersi.



uerfi. Sensus autem rubricæ est *De diuortijs. idest. de separationibus coniugatorum.*

*De donationibus inter virum & vxorem, & dote post diuortium restituenda. Tit. XX.*

**P**rima obseruatio. Quando superiori titulo de diuortijs disputauimus, ideo agendum est de donationibus, inter virum & vxorem, & dote post diuortium restituenda, nam pronuntiato diuortio de his duobus sæpe contendunt illi, qui per diuortium separati sunt: & etiam vt iudex qui ex superioribus titulis cognouit principale, scilicet matrimonium, cognoscat accessorium scilicet donationes inter coniuges, & dos: ideo proponitur ista rubrica, de donationibus inter virum & vxorem, & dote post diuortium restituenda. In qua paucis nos expediemus, nam quid & quotuplex sit donatio iã vidimus in lib. 3. tit. de donationibus per totũ: quid etiam sit vir & vxor iam explicauimus in hoc libro titu. 1. obseruatione 1. & quid sit diuortium etiam vidimus in titulo superiori obseruatione secunda, & denique quid & quotuplex sit restitutio, visum fuit lib. 1. titulo de in integrum restitutione obseruatione secunda. Quare quid & quotuplex sit dos videndũ erit & aliqua alia ad maiorẽ tituli expositionẽ cõcernẽtia. Secũda obserua. dos est, q̃ a muliere vel eius patre, vel a quocunque alio, marito vel eius patri propter onera matrimonij datur, vt sit penes eum quamdiu duret matrimonium, nisi maritus vergat ad inopiam

l. i. ff. de iure dotium, & l. fundus. ff. familiae herciscidae. Dos autem graece dicitur *pherna*. id est, donatio quae propter matrimonium conceditur, & non potest sine matrimonio fieri. Unde paraphernalia dicuntur bona quae propter dotem dantur foeminis, ut habeant praeter bona seu extra bona viri: & vocatur paraphernalia à para, quod est praeter, & pherna, quod est dos, quia sunt bona praeter dotem. Hic videndum erat quid sit donatio propter nuptias, sed iam id explicauimus in lib. 3. titulo de donationibus, obseruatione tertia.

Tertia obseruatio, Dos duplex est, alia profectitia alia aduētitia. yduētitia est quae non proficiscitur à patre, ut si extraneus dederit patri, ut ipse daret in dotem l. profectitia §. si quis certam ff. de iure dotium, vel si pater dederit tanquam extraneus. ut si debebat filiae, & consentiente filia, debitum dedit marito in dotem d. l. profectitia §. fin. versi. caeterum. ff. de iure dotium. Dos vero profectitia est quae à patre & tanquam à patre, vel ab auo vel pater materno profecta est, scilicet d' bonis eius, vel facto eius, siue perse dederit siue per mediā personā: & non interest, an filia sit in potestate dotantis, vel non; quia non ius potestatis, sed nomen parentis facit dotem profectitiam, ut docet Hostiensis, in summa titulo de dotibus promittendis numero quarto.

Quarta obseruatio. Explicatis iam omnibus rubricae teminis, sciendum est duas esse illius partes. Prima est de donationibus inter virum & uxorem, in qua nota, quod vel ante, vel post

con;

contractas nuptias solet maritus vxori, vel vxor marito] donare, quarum donationum, prior fit à marito & dicitur propter nuptias, quæ nullo modo prohibetur: posterior vero ab utroque potest fieri, & nisi certis legibus fiat prohibita est, prohibetur autem ne mutuo amore coniuges se spolient. Quando ergo rubrica dicit de donationibus inter virum & vxorem: de his donationibus prohibitis est intelligenda. Secunda pars rubricæ dicit. Et de dote post diuortium restituenda: pro qua sciendum est, quod ex capite primo & secundo isto titulo, tenetur maritus post diuortium restituere dotem, & partem eorum quæ communiter acquisita sunt, nisi adulterij causa diuortium fiat: vt igitur videremus quo modo, & quando dos restituatur dicitur in vltima parte rubricæ. Et de dote post diuortium restituenda,

Hic titulus habet octo capita, non habetur in sexto neque in clementinis, nec de eius materia alicubi in decreto agitur. Quod vero disputatur in eo est, quod separato matrimonio, nisi propter adulterium separetur, dos est restituenda, & bona communiter acquisita sunt diuidenda: & quod qui pronuntiat super diuortio debet pronuntiare super dote, & denique dicitur quæ donationes valeant inter virum & vxorem & quæ non. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. De donationibus inter virum & vxorem, & dote post diuortium restituenda, id est. de donat. quæ fiunt inter coniuges post

post

post contractum matrimonium, & diuortio facto quomodo dos restituatur.

*De secundis nuptijs* Tit. XXI. & ult.

**P**rima obseruatio. Quoniam in superioribus, de diuortijs, & de dote restituenda disputauimus, agendum erit modo de secundis nuptijs, nam diuortio facto & dote repetita sæpissime fit transitus ad secundas nuptias, cum non solum secundæ, sed etiã tertiæ, quartæ, & omnes aliæ ab ecclesia approbentur, & permittantur c. aperiam. 3. q. 1. vbi dicitur non solum posse quis effici bigamum, sed etiam trigamum, quadrigamum, &c.

Secunda obseruatio. Nuptiarum nomine vt patet idem intelligimus quod matrimonium, vnde secundæ nuptiæ erit idem quod secundum matrimonium, non quidem secundum in ordine scilicet quod sequitur post primum & ante tertium, sed dicitur secundum matrimonium, vel secundæ nuptiæ, omnes quæ sequuntur post primas l. si quis §. talem C. de secundis nuptijs. Et hoc sensu Theologi loquuntur in materia de poenitentia, quando dicunt, poenitentiam esse secundam tabulam post naufragiũ. post lapsum in peccato siue sit secunda poenitentia, siue tertia, siue quælibet alia, dũ modo fuerit de peccato, in quo quis lapsus est post bap̄tismũ. Quæ autem differẽtia reperitur inter hunc titulum de secundis nuptijs, & titulum de sponsa duorum, iam diximus in eod. titulo, quod ibi agitur de secundis nuptijs, quæ fiunt

non

non dissolutis primis scilicet de spōsa quæ actu duobus nupta est hic vero agitur de secundis nuptijs habitis post primas, idest de secundis nuptijs quæ sequuntur & fiunt post alias iam finitas.

Tertia observatio. Quæ de secundis nuptijs in hoc titulo docetur tria sunt in quinque tituli capitibus comprehensa. Primum est quod secundæ nuptiæ non benedicuntur, etiam si solus vnus cōiugum sit qui secundo nubit c. 1. & 2. isto titulo. Secundum est quod nullus debet accedere ad secundas nuptias nisi fuerit certus de morte alterius coniugis: quod si certus non est, & tamen nupserit, non potest debitū petere, licet teneatur reddere, & si forte apparuerit priorem coniugem viuere debet relinquere secundum & ad priorem redire c. 2. isto titulo. Tertium denique est quod mulier nubens infra annum post mortem mariti non incurrit infamiam c. super & c. cum secunda & isto titulo. Et ad hunc finem præsertim appositus fuit iste titulus, nam olim mulier nubens intra annum à morte prioris mariti (qui dicebatur annus luctus quando in toto illo anno mulier iugebat maritum mortuum) erat infamis secundum leges. l. 1. §. q. eo. ff. de his qui notantur infamia, & l. de creto C. eod. vt ergo hæc iniusta constitutio subuerteretur, appositus fuit iste titulus, in quo Urbanus tertius & Innocentius tertius noluerunt mulieres, quæ ante tempus luctus nubere, notari infamia d. c. super & d. c. cum secundum: sequentes. D. Paulū 1. ad Corinth. 7. dicentē, *Mulier viro suo mortuo* *scilicet* *legem* *est à lege viri sui, in Domino nubat cui voluerit.*

Hic titulus habet quinque capita, non habetur in sexto, neque in clementinis, & de eius materia agitur 34. q. 2. & in multis capitibus 31. q. 1. & §. hinc tollitur, secunda quæst. prima, & §. tria, prope finem, tertia quæst. septima. Quod autem in eo disputatur iam diximus in superiori obseruatione. Sensus etiam rubricæ iam est explicatus in secunda obseruatione.

(( ? ))

*Finis Quarti libri Decretalium.*

EXPO.

EXPOSITIO  
TITVLORVVM  
IVRIS CANONICI.

LIBER QVINTVS  
DECRETALIVM.

*De Accusationibus, & Inquisitionibus,  
& denunciationibus.*

TITVLVS I.



Vltimam toti operi nostro ma-  
num imponamus restat quinti li-  
bri decretalium rubricas explana-  
re, eo ordine & metodo, eaq; dex-  
teritate, & diligentia qua ceteros  
libros inchoauimus & absolui-  
mus Sed quoniã in priori libro

de personis egimus, in secundo de earum operatio-  
nibus in iudicio. In tertio de clericorum actionibus  
ciuilibus extra iudicium, & in quarto de laycorum  
actibus, etiã ciuilibus & extraiudicialibus: de modo  
agẽdũ erit, de vtrorũq; actionibus criminalibus tã ex  
traiudiciũ factis quã in iudicio criminali puniẽdis,

vt sic totum ius canonicum, quo nihil amplius desiderari potest, diuino auspice numine sit absolutum.

Prima obseruatio. Quoniam crimina omnia initium capiunt ab vno ex his tribus scilicet vel ab accusatione, vel inquisitione, vel denuntiatione, & in hoc libro, de criminalibus iudicijs disputetur ideo prima ipsius rubrica erit de accusationibus, inquisitionibus, & denuntiationibus, in qua prædicta tria erunt explicanda, & vt à primo aggrediamur dicendum est quod accusatio est alicuius criminis apud iudicem competentem in inscriptione interueniente legitime facta delatio, vt docet Medices. 2. p. de diffinitionibus c. 2. n. 1. vbi etiã dicitur quod accusare est reum criminis aliquem per libellum deferre. Et sic accusator erit qui crimen alicuius iudici competenti per libellum defert in inscriptione interueniente. Est autem inscriptio obligatio qua accusator scribens nomen suum in libello, se adstringit si deficiat in probatione ad sustinendum poenã quã accusando inferre intendit accusato, vt in c. quisquis. 2. q. 8. Et hæc obligatio quam accusator facit per inscriptionem, dicitur Talio & poena quæ ei datur si deficiat in probatione contra accusatum dicitur poena talionis. Libellus autem est scriptura iudici oblata, in qua nomen accusati, & accusatoris, species criminis, & tempus, & locus, & alia multa crimen concernentia continentur,

Secunda obseruatio. Inquisitio dupliciter potest diffiniri Primo sic Inquisitio est merum iudicis officium ad inuestiganda delicta. Secundo sic, Inquisitio

tio



io est criminis manifesti per superiorem canonice facta inuestigatio. Hæc diffinitiones de se patent. Sed multa requiruntur, vttalis superior crimē inquirat. Primo requiritur superioritas, & quod inquirat de inferioribus, vt dicitur in diffinitione. Secūdo requiritur quod ille contra quem inquisitio procedit sit infamatus de illo crimine. idest, sit publica vox & fama quod ille est culpatus, habet se enim fama sicut accusator criminis. Tertio requiritur, quod inquirens habeat iurisdictionem in eo, de quo inquit. Quarto requiritur quod ad aures inquirentis plures peruenerit illa publica fama non à maleuolis & iniquis, sed à viris probis & honestis. Quinto denique requiritur quod non causa malitiæ, sed zelo iustitiæ talis infamia publicetur: quæ omnia docent Doctores in c. qualiter infra isto titulo.

Tertia obseruatio. Denuntiatio est alicuius criminis apud iudicem sine inscriptione legitime facta de latio ad poenitentiam per agendam, vel aliam poenam legitime imponendam, vel etiam ad vtrunque, vt colligitur ex c. 2. & 3. & c. super his & c. cum dilectus isto tit. In qua diffinitione dicitur. *Sine inscriptione, ad differentiã accusationis, quæ cum inscriptione fieri solet. Et dicitur. Ad poenitentiam per agendam, vel aliam poenam imponendam, vel ad vtrunque.* Quoniã finis denuntiationis non est quod crimen puniatur poena per leges debita, sed vt denunciatus corrigatur, vel vt compellatur satisfacere si alter corrigi nõ possit. Et tamen aduertendum quod quemadmodũ accusationem debet præcedere inscriptio, & inquisi-

tionem debet præcedere publica fama, ita etiam denuntiationem debet præcedere fraterna correctio, qua is qui vult denuntiare ante denuntiationem corrigat & procuret emédare eūquē vult denūtiare: qui enim denunciandum non admonuit repellitur à denuntiatione, vt docet glos. verbo præmonitum, cap. cum dilectus isto titulo, & habetur, c. 2. & cap. qualiter infra isto titulo.

Hic titulus habet 26. capita, habetur in sexto non vero in clementinis, & de eius materia agitur, 2. q. 7. & 8. & 3. q. 4. & 5. & 9. & 10, & 11. & 4. q. 1. & 4, & 5. & 6. & 15. q. 3. per totum. Quod autem in eo disputatur est qui possunt, vel esse debeant accusatores Inquisitores, & denuntiatores, & qui ad accusandū vel denunciandum admittuntur, vel repelluntur, & quomodo sit procedendum in accusationibus, inquisitionibus, & denuntiationibus, & denique multa de ipsis accusatis, inquisitis, & denunciatis disputantur. Sensus vero rubricæ est huiusmodi, *De accusationibus & inquisitionibus & denuntiationibus, id est*

*de tribus modis inchoandi iudicia criminalia,*

*seude modis quibus criminalia iudi-*

*cia ad competentes iudi-*

*ces deuoluntur.*

(3)

DE

## De Calumniatoribus Tit. II.

PRIMA obseruatio. Postquam eginus in titulo superiori, de accusationibus, inquisitionibus, & denuntiationibus agendum est de calumniatoribus nam illiqui quando legitime accusant, vel denuntiant, dicuntur accusatores vel denuntiatores, ipsi met quando per fraudem & dolum procedunt calumniatores appellantur. vt igitur videamus quid iuris sit si accusator vel denuntiator falsa crimina imponat, proponitur hæc rubrica de calumniatoribus.

Secunda obseruatio calumniator dicitur à calumniando, calumniari autem est per fraudem & subdolan rationem mendacijs alios vexare causa vincendi litem. Seu quod idem est, calumniari est falsa crimina intendere. Vnde calumniator est qui falsa crimina intendit seu proponit c. notandum secunda quæst. tertia quod intelligendū est quando scienter proponit falsa crimina is qui accusat vel denuntiat: quid autem sit calumnia iam dixi libr. secundo titulo de iuramento calumniæ obseruatio. secūda, quod est cum quis ex certa scientia iniuste agit vel iniuste sistit. Sciendum tamen est temeritatem, seu malitiam eorum qui accusant vel denuntiant triplicem esse, nam aut calumnantur aut tergiuersantur, aut præuaricantur l. i. in princip. ff. ad Turpilianū, calūniari, vt dixi est falsa crimina imponere, & calūniatorq; falsa crimina imponit. Tergiuersari est in totū

recedere ab accusatione sine licētia, iudicis & tergi uersator erit qui intotū ab accusatione sine licētia iudicis recedit. Præuaricari denique est vera crimina abscondere, & falsa detegere, & præuaricator erit qui vera crimina abscondit & falsa manifestat. De quibus videatur Abb. in hac rubrica.

Tertia obser. Posset aliquis quærere an possit aliquis ab accusatione recedere absq; eo q̄ præsumatur calumnia. Et respondeo quod potest per abolitionē. Nam abolitio est accusationis perēptio: quæ duplex est, alia generalis, quæ est absolutio ab omni accusatione, quam solus princeps potest indulgere: & alia specialis quæ est illa qua vna tātum accusatio extinguitur, quæ fit quatuor modis primo per principem sicut generalis. Secundo per mortem accusantis, vel accusatoris. Tertio per biennij transactum sine culpa accusatoris. l. abolitio C. de abolitionibus e. Et quarto per postulationem accusatoris si id à iudice postulauerit. De his tamen videatur Host. in summa isto titulo num. 6.

Hic titulus duo habet capita, non habetur in sexto neque in clemētinis, & de eius materia tractatur 2. q. 8. per totū & 5. q. 5. per totū. Quod vero in eo disputatur est quod subdiaconus calumniose accusans diaconum, subdiaconatu priuatur & publice verberibus castigatur, & in exilium mittitur. Et quod denunciator in probatione criminum deficiens ab officio, & beneficio suspenditur donec innocentiam suam purgat. Sensus autem rubricæ est *De calumniatoribus.* id est de his qui falsa crimina imponunt.

*De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur  
vel promittatur. Tit. III.*

**P**rima observatio. Dicitur est supra de accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus, & de his qui quando accusant vel denunciant calumniantur: modo in omnibus titulis sequentibus agendum erit, de delictis quorum sit accusatio, vel inquisitio, vel denunciatio. Et quia Simonia tale delictum est, ut eius comparatione alia pro nihilo reputentur capite ultimo. 1. quaestione. 7. ideo de simonia agendum est in praesenti, sed quoniam simonia non solum committitur per actualem emptionem, & venditionem, sed etiam per studiosam voluntatem emendi vel vendendi: ideo additur, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur, ad coercendam seorsum, & diuisim in quam voluntatem illius qui vult vendere, vel illius qui vult emere: & sic conficitur tota rubrica hac ratione. *De simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur: quanuis haec posteriora verba, vel promittatur, in tribus Codicibus Vaticanis non legantur.*

Secunda observatio. Simonia dicitur à Simone Mago qui primò in nouo Testamento hoc peccatum emendi res spirituales commisit, nam voluit emere gratiam Spiritus Sancti à Beato Petro: sicut in veteri Testamento Giezi voluit gratiam sanitatis Naaman Syro vendere, ut habetur. 4. Regum. 5. Unde simoniacus proprie erit qui vult emere vel emit res

spirituales: & Giezticus proprie erit qui vult véde  
 re vel vendit res spirituales. capite. qui studet. i. q. i.  
 licet hodie tam emptor, quam venditor proprie si-  
 moniacus dicatur. Diffinitur autem simonia à Do-  
 ctoribus sic. Simonia est studiosa voluntas vel cupi-  
 ditas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spi-  
 ritualibus annexum. Quæ diffinitio ita explicatur,  
 quod in ea, illæ duæ particulæ, *voluntas vel cupiditas*,  
 habent vim generis, & ponuntur duæ, vt voluntas  
 accipiatur ex parte vendentis, & cupiditas ex parte  
 ementis, vt docet Medices secunda parte de diffini-  
 tionibus, capite. 61. n. 9. Dicit, *studiosa*, vt intelliga-  
 mus, quod voluntas simoniaca debet esse cum scien-  
 tia, & deliberatione. Dicitur. *Emendi vel vendendi*,  
 quoniam tam à solo emptore, quam à solo véditore  
 potest simonia committi, vt supra dictum est. Dicitur.  
*Aliquid spirituale*, quia in his proprie consistit simo-  
 nia. Et denique dicitur, *vel spiritualibus annexum*, prop-  
 ter ius patronatus, & alia similia quæ dicuntur spi-  
 ritualibus annexa, quæ principaliter, & seorsum ven-  
 di non possunt sine simonia, capite. de iure infra isto  
 titulo.

Tertia observatio. Licet superior diffinitio com-  
 muniter tradatur, nihilominus tamen etiam hanc  
 proponere libuit. Simonia est rei spiritualis vel  
 spiritualibus annexæ cum aliquo temporali fa-  
 cta commutatio. Quæ diffinitio certe rationabi-  
 lior est priori, nam sæpissime simoniam committi-  
 mus sine emptione, & venditione, nunquam tamen  
 sine commutatione rei spiritualis cum temporali.  
 Quod

Quod colliges ex tribus modis quibus docent Doctores simoniam committi, nam volunt, quod committatur cuiuscunque muneris receptione, ut docet Archidiaconus in capite. sunt nonnulli. c. quæstione 1. & Abb. in capite. cum essent infra isto titulo. Primus modus est quotiescunque pro re spirituali datur vel promittitur aliqua pecunia, ut patet in toto isto titulo, & nomine pecuniæ intelligimus omnem rem quæ in nostro commercio est. l. 2. C. de constituta pecunia. Secundus est quando pro re spirituali datur vel promittitur aliquod munus à lingua, scilicet favor, vel preces, ut si quis favoris causa conferat ordines. capite. sunt nonnulli. 1. quæst. 1. Tertius denique est quando pro re spirituali datur vel promittitur aliquod obsequium seu seruitus indebite impen- sa, quemadmodum si promittam tibi Ecclesiam, ut negotia mea Romæ administres. capite. cum essent infra isto titulo. Et quilibet istorum modorum committendi simoniam, contingere potest vel solū ex parte dantis, vel solum ex parte recipientis, vel si- mul ex parte utriusque, ut docet glossa verbo, quidā in summa. 1. quæst. 1. Quare manifestissime conclu- do spiritualia omnia, & spiritualibus annexa, gratis esse dāda, nam quoties precio vel munere datur vel accipitur id, quod gratis dari, & accipi debet, simo- nia committitur.

Quarta observatio. Simonia duplex est, ut docet Abb. in capite nemo, isto titulo versi. sed oppono cō- tra glossam, & in cap. consulere in fine, etiam isto ti- tulo. Alia enim est conventionalis, & alia mentalis.

Con-

Conventionalis est quando partes expresse conveniunt inter se, ut detur spirituale pro temporali. Mentalis vero quando nullo præcedente pacto expresse tacite, & mentaliter agitur, ut detur spirituale pro temporali. Et hæc est summa, & melior simoniae divisiō.

Quinta observatio. Quanuis hæc rubrica duas habeat partes, primam de simonia: & secundam ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur: nihilominus tamen ex his quæ de simonia in superioribus diximus, utraque manet explicata, nam secunda nihil speciale continet, sed ad declarationem prioris posita est, cum idem sit exigere vel promittere aliquid pro spiritualibus, atque simonia. Nihilominus tamen licet hæc secunda pars ita superflue proponatur, nihil mirum quoniam in Collectione decretalium quæ facta fuit ab Alexandro Tertio in Concilio Lateranensi ita large legebatur. *De simonia, & ne merces pro Ecclesie consecratione recipiatur vel pro monachatione, vel pro sacramentis Ecclesie, vel pro licentia docendi, ne ve prelati vices suas ad causas terminandas vel regimen Ecclesiarum sub annuo precio committant, ne ve subditos tales vexent vel pena pecuniaria multent.* Gratias ergo nostras agamus Compilatori, quia nos ab hoc labore vindicavit.

Hic titulus habet quadraginta sex capita, & non habetur in 6. neque in Clementinis, licet habeatur in extrauagantibus communibus, & de eius materia disputatur. 1. questione 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. & capite. presentium, & capite sanctum. 7. questione. 1. & capite. sane.



ane. 15. quæstione. 3. & capite. si quis cum. §. porro. 15. quæstio. 3. Quod vero in eo agitur est ostendere quid sit simonia, in quibus rebus consistat, & quomodo fiat, quæ illius poena, qui possunt illam accusare, & alia similia. Sensus vero rubricæ est. *De simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur, id est de commutatione rei spiritualis cum temporali, & ne aliquid temporale pro spiritualibus exigatur vel promittatur.*

*Ne prelati vices suas, vel Ecclesias, sub annuo censu concedant. Tit. IIII.*

**P**rima observatio. Hic titulus quoniã pars est tituli superioris, vt ex compilatione Concilij Lateranensis constat ideo conuenienti loco post titulum superiorem proponitur. Vel continua sic. Quoniam disputatum fuit supra de simonia, in genere, ideo nunc Compiler submittit de quadam illius specie, scilicet. *Ne prelati vices suas vel Ecclesias, sub annuo censu concedant* Quæ rubrica citari potest tãquam nigrum, nam præceptum, & decisionem iuris communis continet, vt diximus lib. 2. tit. vt lite non contestata observatione. 2. Voces autem quæ in hac rubrica poterant ingerere difficultatem iam in alijs locis explicauimus, nam in lib. 1. titu. de supplenda negligentia Prælatorum observatione. 2. de prælatis disputauimus, & in libro. 3. tit. de rebus Ecclesiæ nõ alienandis observatione 3. egimus de Ecclesijs, & de alijs in eodem libro. 3. tit. de censibus, & exactionibus

bus obseruatione. 2. satis abunde de censibus multa diximus.

Secunda obseruatio. Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedere, est aliquem prælatum sine maiorem siue minorem iurisdictionem vel officium sibi competentem, vt prælaturam, aut beneficia Ecclesiastica vacantia sub annua pensione locare. Et hoc est quod significatur, & prohibetur in hac rubrica, nam annuo censu concedere, est idem, quod pro annua pensione locare: quare inscriptio tituli prope totum titulum declarat. Prohibetur autem prima pars rubricæ in capi. 1. & 2. & 2. in capi. 3. & hoc propter duas præcipue causas. Primo, quia est simonia. cap. ad nostram de simonia: & secundo, quia Prælati gratis debet iudicare. cap. non sane. 14. quæst. 6. & gratis beneficia Ecclesiastica concedere. cap. non satis. de simonia. Poena autem eorum qui suam iurisdictionem vel Ecclesias pro pecunia concedunt, ea est, quod conferens canonice punitur, & caret facultate conferendi, is vero qui accepit officio vel Ecclesia accepta priuatur, cap. 1. & 2. isto titulo. Quare Ecclesia, & regimē Ecclesiasticum sub annuo censu concedi non possunt, licet Ecclesiarum fructus sub tali censu concedantur. cap. 3. & cap. ultimo. infra isto titu.

Hic titulus habet quatuor capita, non habetur in 6. vel Clementinis, & de eius materia agitur distinctione. 89. & 1. quæst. 4. per totum, capi. præcipimus 21. quæstione. 2. Quod vero in eo disputatur iam declarauimus in superiori obseruatione. Sensus autem rubricæ

rubricæ erit huiusmodi. Ne prelati vices suas vel Eccle-  
sias sub annuo censu concedant, id est ne Ecclesiastici sub  
annua pensione concedant Ecclesiasticam iurildi-  
ctionem, vel Ecclesiastica beneficia.

*De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licen-  
tia docendi. Tit. V.*

**P**rima obseruatio. Hic titulus potest continuari  
sicut præcedens, ex eo scilicet, quia est pars ti-  
tuli de simonia, vt videre est in dict. tit. de simo-  
nia obseruatione vltima. Sed melius continua sic.  
Quoniam vidimus supra quomodo res spirituales  
precio prohibeantur concedi, ex eo quia in eis simo-  
nia committitur, ideo de quibusdam alijs habenti-  
bus instar spiritualium disputabimus, videndo etiã  
num in ipsis aliquod simoniæ vestigium reperiatur:  
sunt autem huiusmodi rei Doctores seu Magistri, &  
licentia docendi: & ideo ponitur rubrica de Magi-  
stris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

Secunda obseruatio. Hæc rubrica duas continet  
partes. Prima est de Magistris: & secunda est ne ali-  
quid exigatur pro licentia docendi: & vt primam  
partem explicemus videamus, quis dicatur Magister  
& quid nomine Magistri comprehendatur. Magi-  
ster ergo duo significat, primo eum cui præcipua cu-  
ra alicuius rei incumbit, & dicitur Magister, quia  
magis quam cæteri diligentiam rerû quibus præest  
habere debet: vnde Magister militum, qui præest mi-  
litibus, vt per totum titulum. C. de officio Magistri  
militum

militum, & Magister equitum qui præest equitibus, & sic de alijs: & ex Magistris sic acceptis, Magistratus per derivationem cognominantur. l. quibus. ff. de verborum significatione. Secundo significat eum qui literas docet, seu cuiuslibet disciplinæ instituto rem, & sic dicitur Magister à monendo seu monstrando dict. l. quibus. ff. de verborum significatione, & iste proprie etiam Præceptor vocatur. In hoc ergo titulo Magister solum in secunda capitur significatione, qua ratione nomine Magistri complectuntur omnes qui obtinent summum titulum seu gradum in aliqua scientia. Licet si caste loqui cupimus solum illi qui liberalium artium, & Sacræ Theologiæ summum gradum habent dici debent Magistri, nam illi qui Medicinæ & Iuris Canonici vel Cæsarei summum etiam gradum sunt adepti Doctores debent nuncupari, iuxta glossam in verbo Doctoratus Clementina. 2. de Magistris.

Tertia observatio. Ad secundam rubricæ partem, ut deueniamus, sciendum est in ea ius, & præceptum Iuris Canonici constitui, sicque posse allegari sicut nigrum, ut iam de multis alijs rubricis dictum est in superioribus. Et nota, quod in ea non dicitur, quod non exigatur aliquid pro docendo, seu pro labore docendi, nam certum est posse Magistrum exigere à discipulis collectam, si pro eo salarium publicum, & sufficiens non percipiat, nam nõ tenetur proprijs stipendijs militare. cap. Ecclesiasticis 12. q. 2. Sed quod dicitur est ne aliquid exigatur pro licentia docendi. De iure enim is ad quem spectat licentiam docendi con

concedere si aliquid exigit, compellitur restituere, & si ei aliquid promittitur absoluitur promissor, c. prohibeas inf. isto. tit. & si valentem docere impedierit vel ab eo aliquid exegerit priuatur beneficijs & dignitatibus. c. 1. inf. isto tit. Sed dices, quare ergo hodie in Bachalaureatus gradu vbi licetia docendi conceditur, aliquid exigitur, & soluitur, & non dicimus illos esse Simoniacos. Respondeo hoc non solui pro licentia docendi, sed vel pro labore temporali dandi gradum, vel ad coadiuuandos sumptus vniuersitatis, vel in modum gratulationis, vel Elemosinæ, propter quas vel alias similes causas, etiam sacerdotibus pro Missæ sacrificio celebrando, licitum est aliquid dare, absque simonia periculo, vt habet Ecclesiæ consuetudo.

Hic titulus habet quinque capita, non habetur in 6. licet habeatur in Clementinis, & de eius materia agitur distinction. 37, & 86. per totum, & cap. statuimus, & cap. miserum, distinctione. 61. & cap. quis dubitet, distin. 92. & cap. oportet. 8. quæstio. 1. Quod autem in eo disputatur præter aliqua iam dicta in superiori obseruatione est, quod Ecclesiæ Cathedrales prouidere debent de Magistris, & quod prælatus, & capitula scholares dociles mittere debent ad studia Theologiæ, qui per quinquennium redditus suorum beneficiorum integraliter percipient, & si proprijs redditus ad sustentationem eorum non sufficiunt, debet prælatus cum capitulo prouidere. Sensus autem rubricæ facilis est: nam dicit. *De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi,*

id est de his qui lites docent, & ne aliquid exigant quando facultatem docendi concedunt.

*De Iudæis, & Sarracenis, & eorum seruis.*

**Tit. V I.**

**P**rima obseruatio. Quoniam simoniæ crimen tanquam capitale in principio huius libri proposuimus, & omnia ad illud spectantia declarauimus: modo de alio graui etiam crimine agendum erit, de eo, scilicet, quod committunt Iudæi, & Sarraceni male colendo, & inhonorando Deum, & sic proponitur rubrica, *De Iudæis, & Sarracenis*, & ne esset necessarium aliam rubricam constituere, additur *Et de eorum seruis*. Vel continua sic, quia vitium est supra de his qui Spiritum Sanctum per simoniam vendendo blasphemant: ideo videndū est de his qui Deum dehonoraunt eum male colendo qui sunt Iudæi, & Sarraceni, de quibus compilerator disputaturus addit etiam *Et de eorum seruis*.

Secunda obseruatio. Hæc rubrica tres continet partes. Prima est de Iudæis. Secunda de Sarracenis, & tertia de eorum seruis. Et vt primam explicemus notandum est, quod Iudæi, prius dicebantur Hebræi ab Heber abnepote Sem filij Noe, ideo quia familia Heber semper vnus Dei solum cultum tenuit, sicut & Iudæi, postea vero cum liberati fuerunt ab Aegyptiorū seruitute, & in deserta qua-

dam Syriae parte confederent vetus Hebræorum nomen amiserunt, & quia princeps eorum erat Iudas, Iudæi appellari cæperunt, & terra quam incoluerunt Iudæa. Licet alij existiment non à solo Principe, Iudæos dictos esse, sed à Tribu Iuda, quæ erat nobilior, & bellicosior Tribus inter eos, ex qua creabantur Reges, & duces populi, sicut ex Tribu Leui creabantur sacerdotes. Poterit ergo Iudæus seu Hebræus sic diffiniri: est ille qui ad literam Moysaycam legem tenet, circumcidendo se, & alia legalia ad literam faciendo.

Tertia observatio. Secunda rubricæ pars disputat de Sarracenis, qui etiam Pagani vocantur in capite. quam sit, & in capite. ex speciali, infra isto titulo. Sarracenus autem dicitur à Sarra vxore Abrahamæ qua dicunt originem traxisse. Sed verius est Agarenos esse appellandos ab Agar, Ancilla, Abyahæ, & matre Ismaelis, à quo ipsi ortum habuerunt, ut dicitur in capite recurrat, & capite. dixit Sarra. 2. quæstione quarta. Comprehenduntur autem Sarracenorum seu Agarenorum nomine omnes Gentiles, & Idolatræ licet magis propriè Mahometani, Sarraceni, Agareni vocentur. Sunt enim Sarraceni, ut docet Hostiensis in Summa, in rubrica de Sarracenis, numero primo. illi qui Deos innumeros Deosque, imo & Dæmones colunt, & adorant, & nec novum, nec vetus testamentum recipiunt. Sed hæc diffinitio solum de Gentilibus, & Idolatris traditur, nam isti solum sunt qui innumeros Deos, & Deas, atque Dæ-

mones colunt, & nec vetus nec nouum Testamen-  
tum recipiunt, non vero traditur de Agarenis seu  
Sarracenis in communi prout comprehendunt e-  
tiam Mahometanos, nam Mahometani non plures  
Deos, vel Deos, aut Demones, sed vnum Deum,  
& suum Prophetam Mahometum venerantur. Quo-  
rum alij sunt quos vulgo vocamus, *Moros*, & alij,  
quos vulgari etiam sermone, *Tarcos*, dicimus.

Quarta obseruatio. Tertia rubricæ pars de ser-  
uis Iudæorum, & Sarracenorum disputat, sed quid,  
& quotuplex sit seruus iam diximus in libro. 1. titu-  
lo de seruis non ordinandis obseruatione 2. Quod  
autem hic animaduertendum volumus solum est,  
quod serui nomen in latissima accipitur significa-  
tione, scilicet, prout venit à seruiendo, qua ratione  
etiam famuli dicuntur serui, & de seruis sic acceptis  
disputatur in hac rubrica, de quibus multa dicuntur,  
vt patet in nigro.

Hic titulus habet decem, & nouem capita, non ha-  
betur in. 6. bene vero in Clementinis, & extrauagan-  
tibus Ioan. 22. in quibus non dicitur. *Et de eorum ser-  
uis.* Et habetur etiam in extrauagantibus communi-  
bus, vbi solum dicitur. *De Iudeis.* De tituli materia  
tractatur. 37. q. 4. 5. & 6. & in cap. dispar. 23. quæst. 8. &  
28. quæst. 1. & 2. per totum, & cap. Ismael, dist. 56. & 6,  
2. & 4. dist. 45. & cap. ad mensam. 11. quæst. 3. Quod ve-  
ro in hoc tit. disputatur est de Iudæorum vel Sarrac-  
enorum seruis, sinagogis, bonis, & de pœnis illo-  
rum qui illis seruiunt vel arma vel aliqua ministrant,  
& de prædicatoribus eorum, & de redimentibus cap-  
tiuos



tuos, & denique de officijs Iudæorum vel Sarraceno-  
 norum. Sensus vero rubricæ facilis est nam dicit.  
*De Iudæis, & Sarracenis & eorum servis*, idest de his  
 qui legem Mosaycam ad literam custodiunt, & de  
 Mahometanis, Gentilibus, & Idolatris: & denique  
 de Christianis qui eis famulantur seu seruiunt.

### De Hæreticis. Tit. VII.

**P**rima observatio. Quoniam egimus de nõ bap-  
 tizatis Iudæis, scilicet, & Sarracenis qui per in-  
 fidelitatem, & duritiam Deum non recognos-  
 cunt, sed potius blasphemant, & inhonorant, ideo  
 agendum modo erit de his qui cum baptizati sint  
 apostatando à fide in Deum multipliciter peccare vi-  
 dentur, qui dicuntur hæretici, & sic proponitur ru-  
 brum, de hæreticis, de quibus aliqua videamus.

Secunda observatio Quia hæreticus ab hæresi di-  
 citur, ideo de hæresi aliqua videamus. In primis er-  
 go hæresis tres habet Etymologias, vt tradunt Do-  
 ctiores in c. firmissime tene, isto titu. prima est, quod  
 hæresis deriuatur à verbo hæreo. quod significat fir-  
 mam, & constantem adhæsiõnem. Secunda est, quod  
 deriuatur à verbo veteri heretico, quod significat  
 diuidere, eo quod hæresis diuisioné denotat. Tertia  
 denique est, quod deriuatur à verbo Græco, erume,  
 quod significat eligere, nã hæresis significat electio-  
 né opinionis vel doctrinæ quã quis putat esse melio-  
 rem: & hæc Etymologia est, Diui Isidori. 8. lib. Eco-  
 no. c. 13. & D. Th. 2. 2. q. 11. art. 1. & quia per hæresim

nos secamus & separamus à religione, ideo hæresis etiam secta vocatur. Licet enim nomen secta in bonam & malam partem olim sumeretur: nam dicebāt veteres aliam esse sectam Peripateticorum, aliā Stoycorum, tamen hodie est nomen odiosum, & infame, & solum in malā partē capitur, & significat electionē alicuius falsi dogmatis cōtra ea quæ sunt de fide.

Tertia observatio. Difficile esse hæresim definire testatur Augustinus, in præfatione lib. de hæresibus, tomo. 6. & sic tam Theologi quam Canonistæ varie eam definiunt. Nobis tamen placet definitio quā à cuiusdam Doctoris manu scriptis commentarijs super, 2. 2. D. Tho. accepimus. Quæ est huiusmodi hæresis est error contrarius fidei Catholicæ manifestæ, cum pertinacia in eo qui recepit fidem Catholicam. In qua definitione prima particula, scilicet, *Error*, habet vim generis, & alia locum differentia: nam dicitur. *Contrarius fidei Catholicæ*, ut distinguatur hæresis, ab alijs erroribus rerum naturalium, & scientiarum. Dicitur. *Manifestæ*, idest fidei claræ, quoniam si quis diceret aliquam propositionem, cōtra ea quæ non sunt clare de fide, non esset hæreticus, nam si res non est clare de fide, illius contrarium non erit hæresis. Dicitur. *Cum pertinacia*, nam si quis ex levitate vel ex dolo alterius diceret aliquid contra fidem, non esset hæresis, neque ipse diceretur hæreticus. Et denique dicitur. *In eo qui recepit fidem Catholicam*, ut separetur hæresis à Iudaismo, & Paganismo, quæ sunt in ijs qui fidem non receperunt, qui non possunt esse hæretici: ut enim aliquis possit esse

esse hæreticus, debet prius esse fidelis, quemadmodum, ut quis possit esse libertus debet prius extitisse seruus.

Quarta obseruatio. Ex superioribus patet hæreticum esse eum qui cum sit fidelis habet errorem manifeste contrarium Fidei Catholice cum pertinacia. Est tamen animaduertendum hæreticum posse sumi duobus modis. Primo in latissima significatione qua ratione dicuntur hæretici. Primo is qui est dubius in fide c. isto. tit. Secundo is qui est simoniacus. c. fertur, 1 q. 1. Tertio is qui transgreditur præcepta Sedis Apostolicæ. c. nulli. d. 19. Quarto laicus qui suscipit officium predicandi. c. cum ex iniuncto, & c. sicut in vno, inf. isto tit. Et denique alij permulti, quos recēset Host. in summa isto tit. non primo versu. multis tamen modis. Secundo modo sumi potest stricte pro eo, scilicet, qui cum fidelis esset pertinaciter deuiavit à fide, c. hæc est fides. 24. quæstione. 1. In hoc ergo titulo non disputatur de hæretico stricte, sed lato modo sumpto, imo non solum de ipsis hæreticis, sed etiã de receptatoribus hæreticorum, & de bonis eorundem: quanuis nostradendo definitionem hæresis, & hæretici, de ipsis stricte sumpti, locuti fuerimus.

Hic tit. habet sexdecim capita, habetur in 6. & in Clemēt. & Extrauagatib. cōm. & de eius materia agitur 24. q. 1. p. totum, & s. quia vero vsq; ad finem q. 24. q. 3 & 11. q. 1 & 23. q. 7 p. totum, & c. quo iure d. 8. & in multis capitibus 1. q. 1. Quod vero in eo disputat est primo q. sint infideles seu errantes in fide, & que sint pene hæreticorum: præterea qui præsumant hæretici, & q.

hæretici non possunt esse hæredes, imo propter hæresim hæreticorum bona confiscantur. Et denique aliqua dicuntur de fautoribus hæreticorum, & de prædicatoribus laicis, & de debitoribus eorundem hæreticorum. Sensus vero rubricæ facilis est, nam dicit. *De hæreticis*, idest de his, qui cum fideles essent pertinaciter deuiarunt à fide, & de omnibus, alijs qui hæreticorum nomine comprehendi possunt, vt in obseruatione quarta late est explicatum.

*De schismaticis, & ordinatis ab eis, Tit. VIII.*

**P**Rima obseruatio. Quoniam dictum est supra de hæreticis, agendū erit de schismaticis, quia interdum schisma inducit hæresim, cum omne schisma intendat sibi constituere aliā Ecclesiam, & vniuersalē Ecclesiam impugnare. c. loquitur. 22. q. 1. quod in hæresim tandem vertitur, vt iam accidit in schismate donatistarū, de quibus loquēs Augustinus ait. *In hæresim schisma verterunt.* Vnde conuenienti loco disputamus in præsentī de schismaticis, qui quia aliquando ordines conferunt agendum erat etiam de ordinatis ab eisdem, & ideo dicit in rubrica, de schismaticis, & ordinatis ab eis: quāuis in manu scriptis codicibus non legatur illa particula *Et ordinatis ab eis*, imo neque in 6. neque in extrauagantibus cōmunibus, vbi etiam hæc rubrica reperitur.

Secunda obseruatio. Vt ad primam rubricæ partē accedamus animaduerte, quod schismaticus dicitur à schisma. Schisma autem nomen Græcum est, quod  
Latine

latine significat diuisionē, & dicitur schisma à scissura, qui per schisma fit scissura, seu diuisio vnitatis c. schisma. 24. q. 1. Vnde quando aliqui ab vnitare Ecclesie Catholice recedunt. Dicuntur schismatici, quia diuidunt Ecclesiam, & peccāt cōtra illud quod dicitur in symbolo apostolorum. *Et vnam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Quare sic poterit schisma definiri. Est illicita discessio eorum, quorū vnitas esse debet. Sed hæc definitio traditur de quocunque schismate seu diuisione; quare aliam proponamus definitionē, quæ complectatur solum schisma Ecclesie Catholice, quæ est huiusmodi: Schisma est illicita diuisio facta per inobedientiam, qua quis ab vnitare Ecclesie Catholice recedit.

Tertia observatio. Schismaticus multis modis capitur, vt docet Abbas in hac rubrica. Primo enim sumitur largissime, qua ratione omnes constituti in peccato, quia sunt extra gratiam dicuntur schismatici, c. audi deniq; 11. q. 3. Secundo sumitur large pro omni excommunicato, quia sunt extra Ecclesiam, schismatici vocantur, c. cum excommunicato. 11. q. 3. Tertio sumitur, strictè pro omni illo qui proprium Episcopum eijcit de sede Episcopali, sibi occupans presbyteros illius. Quarto denique sumitur strictissime pro eo qui diuidit se ab vnitare Romanæ Ecclesie c. inter schisma. 24. q. 3. In hoc ergo titulo capitur schismaticus hoc quarto modo.

Quarta observatio Quia posset aliquis quærere, an schismaticus sit hæreticus, dico, quod schismaticus primo, secundo, & tertio modo hæreticus non est, at

vero si quarto modo sumatur, est distinguendum, qui quod aut se separant ab Ecclesia Romana constituendo aliam Ecclesiam distinctam, quia existimant Romanam non esse veram Ecclesiam quod est hæreticum, & hoc siue fiat propter malitiam in Papam, ut Anglici fecerunt, siue propter aliquam aliã causam: & sic omnes schismatici sunt hæretici, & omnia iura quæ dicunt schismaticos esse hæreticos, de illis schismaticis loquuntur. Aut vero se separant non constituendo aliam Ecclesiam, sed quia existimant Ecclesiam Romanam esse apud ipsos, & non apud alios, ut contingit quando duo vel plures contendunt de Papatu, & quisque eorum credit se fuisse canonicè electum, & sic unitatem Ecclesiæ Romanæ credit esse apud ipsum & suos sequaces: & tales schismatici non sunt hæretici, ut de se patet. Ex quibus collige hæreticum & schismaticum distingui, sicut Genus & species, nam hæreticus est species, & schismaticus genus, nam omnis hæreticus est schismaticus, nõ tamẽ omnis schismaticus est hæreticus.

Quinta obseruatio. Hactenus egimus de priori parte rubricæ, quæ maiorem ingererat difficultatẽ, de secunda ergo solum dicendum est, quod in nigro dicitur, nimirum irritas esse schismaticorum ordinationes, beneficiorum collationes, & Ecclesiasticarum rerum alienationes. Animaduertendum tamen, ordinationes dici irritas, quoad effectum, nam quoad substantiã & veritatẽ is qui ordinatur à schismatico ordinatus remanet, licet nõ possit sine dispensatione administrare, ut dicitur in c. si. isto tit.

Hic titulus habet duo capita. Habetur in Sexto, & Extrauagantibus communibus, & de eius materia agitur in multis capitibus, 24. quæstione 1. & §. quia vero, 24. quæst. 3. & cap. denique 7. quæst. 1. & c. prima inquit. de consec. dist. 2. & in multis capitibus, 23. quæst. 3. & cap. alienationes, 12. q. 2. & ca. qui in quolibet. 1. quæst. 7. & cap. hi qui apud, & cap. sequenti & cap. ostenditur, de consecratione, dist. 4. Quod vero in eo disputatur iam diximus in superiori obseruatione. Sensus etiam rubricæ facilis est, nam dicit: *De Schismaticis & ordinatis ab eis*, idest, de his, qui ab vnione Romanæ Ecclesiæ se separant, & de his, qui ab eis ordines receperunt.

*De Apostatis, & reiterantibus Baptisma. Tit. IX.*

**P**rima obseruatio: Quoniam multoties hæretici & schismatici fiunt Apostatæ cum ab Ecclesia recedant, ideo postquam eginus de hæreticis & schismaticis, conuenienti ordine de Apostatis erit agendum. Præterea, quia reiterantes Baptisma, videntur apostatare, cum à priori baptismo recedant, ideo additur, & de reiterantibus Baptisma. Et sic erit tota rubrica de Apostatis & reiterantibus Baptisma, in qua duæ sunt partes in sequentibus obseruationibus exponendæ.

Secunda obseruatio. Apostasia est rebellio seu temerarius recessus ab statu fidei, vel obedientiæ, vel religionis, quam quis se tenere professus est. Dicitur autem, Apostasia, quasi post statum, idest, retrogradatus status, vel dicitur etiam quasi retro statio, aut retrogradatio. Retrogradatio autem

aus est motus seu ambulatio quæ fit retro. Apostata ergo erit, qui temerariè recedit ab statu fidei, vel obediètiæ, vel religionis, quã semel est professus, & dicitur Apostata quasi retrogradiens, vel retro stans seu retro abiens, c. non obseruetis, 26. q. 7. Qui triplex est, nam triplex est species Apostasiæ: alia enim est perfidiæ, alia inobediètiæ, & alia irregularitatis. Apostasia perfidiæ est qua quis peruertitur & recedit à fide, sicut Iulianus Apostata, de quo loquitur textus in c. non potest. 2. q. 7. Apostasia inobediètiæ est qua quis præceptum sui superioris spontanea voluntate transgreditur, vt qui nolunt sacris Canonibus obedire, c. si quis, de maiortate & obedientia. Apostasia denique irregularitatis est, qua quis ab assumpta religione post professionem, vel à sacris ordinibus receptis, recedit, & tanquam laicus conuersatur vel tanquam clericus, si antea erat monachus, c. si distin. 50. & c. quam tamen licet. dist. 47. & cap. beatus. 3. q. 4.

Tertia obseruatio. Reiterare est actum geminare, & sic reiterare baptisma erit baptismum geminare seu duplicare. De iterantibus ergo baptisma agitur in 2. p. huius rubricæ: quia vt dixi quodammodo videntur apostatare à priori baptismo qui ipsum reiterant. Et aduerte, quòd solum secunda Decretalis huius tituli loquitur de iterantibus Baptisma, & omnes aliæ de Apostatis loquuntur. Sed notandũ est, duobus modis posse nos iterare Baptisma, vno modo scienter quando scimus clarè eum quem baptizamus fuisse iam baptizatum, & aduersus sic baptizantes



zantes, & baptizatos, si sciebant hoc esse prohibitum, secundum leges imponitur pœna mortis. l. 2. C. ne sanctum baptisma iteretur: & secundum Canones, si fuerint clerici sunt deponendi, cap. quibus, de consecratione, dist. 4. & si fuerint laici non poterunt ad Ordines promoueri, cap. qui in aliquo, dist. 51. & erunt excōmunicandi & alijs etiam pœnis plectendi, capite, eos, quos. de consecratione, dist. 4. Secundo modo possumus reiterare Baptisma, quando probabiliter dubitatur non fuisse baptizatum eum quem rebaptizamus, & sic nullam incurrimus pœnam, quia non videtur reiteratum quod nescitur esse factum: prudens tamen sacerdos vel baptizans debet baptizare sub conditione, dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.*

Hic titulus habet sex capita, non habetur in Sexto neque in Clementinis, & de eius materia agitur in multis capitibus, 6. quæstione 1. & capite Iulianus, & capite sequenti, 11. quæstione 3. & capite ultimo, distinctione 50. & capite 1. & 2. 20. q. 3. & capite 1. 2. & 3. 3. quæstione 3. & capite, non licet fieri, usque ad caput presbyteris, de consecratione, distinctione 4. & capite, alieni. 2. quæstione. 7. & capite non obseruetis, 26. quæstione 7. Quod autem in eo disputatur præcipue est de pœnis Apostatarum & reiterantium baptisma. Sensus verò rubricæ est huiusmodi, *De Apostatis & reiterantibus Baptisma, id est, de his, qui à fide vel religione recedunt, & de his qui aliquem rebaptizantes contendunt.*

## De his qui filios occiderunt. Tit. X.

**P**rima observatio. Quoniam in quatuor superioribus titulis vitium est de illis, qui peccant principaliter in Deum consequenter reitat videre de his qui peccant in hominem & in Deum simul, quales sunt committentes homicidium, sed quia inter homicidiorum genera, homicidium filiorum grauius est, ideo primo ponitur rubrica de his qui filios occiderunt.

Secunda observatio. In hac rubrica non est aliqua particula, quæ eam difficilem reddat, & ita solum erunt duo breuiter aduertenda Primum est: in hac rubrica nomine filiorum omnes descendentes esse intelligendos, tam filios, nepotes & pronepotes, quàm alios deinceps. Secundum est, eum qui filium vel alium descendentem, de quibus hic disputatur, occiderit, posse vocari paricidam, seu paricidam: nam sunt hæc quinque vocabula quibus homicidia consanguineorum, significamus, scilicet, Paricida, Patricida, Matricida, Paréticida, & Fratricida Paricida est qui patrem, id est æqualem in sanguine occidit, & ita nomen generale est, quod cõpletur interficientem patrem matrem, fratrem, filium, & deinceps alios consanguineos Patricida est qui patrem occidit, & etiam qui patriam prodit. Matricida est qui matrem necat Parenticida est qui interficit patres vel alios qui veniunt appellatione parentum. Fratricida dicitur est qui occidit fratrem Quæ omnes voces existimo componi à verbo occido, dempta prima syllaba, & à nomi-

à nomine illius consanguinei qui occiditur, quibusdam etiam literis mutatis vt à fratre E. mutata in I. & à verbo, Cedo, O. mutata in. A. fit fratricida. Quod si ita est alia plura vocabula poteris inuenire ad significanda homicidia aliorum consanguineorum, vt Auicida ad significandum homicidium aui, & nepoticida ad significandum homicidium nepotis, & sic de alijs. Quod etiam videtur confirmare ipsummet verbum homicidium, quod videtur componi ex homine & occisione, quasi dicatur hominis occisio.

Tertia obseruatio, Parricidij pœna, vt colligitur ex l. vnica, C. isto tit. ea est, vt qui tale crimen commiserit in futus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & vipera & simia, in mare, vel in amnē proijciatur, vt sic vitam amittat: qualis pœna non extitit apud Græcos, nam cum interrogatus esset Solon Græcorum legislator, cur nullum supplicium constituisset in eum qui patrem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse. De iure tamen Canonico talis pœna non est, nam Alexander 3. in c. agnouimus, 26. quæstione. 6. mulierem sponte occidentem filium, in monasterium detrudi iussit, vt ibi perpetuò pœniteret.

Hic titulus habet tria capita, non habetur in Sexto, neque in Clementinis, & non est in Decreto vbi specialiter de eius materia disputetur Quod vero in eo pertractatur est. Pannò, quoddam debet perpetuò in monasterio pœnitere mulier sponte filiū occidens, si viro sit soluta, nam si virum habeat, ab eo

ab eo separari non debet, sed alia pœna puniri: & denique dicitur qua pœna puniatur parētes, circa quos pueri reperiuntur suffocati. Sēsus autem rubricæ est: *De his qui filios occiderunt: idem de parentibus filios suos voluntariè vel casualiter interficientes.*

*De infantibus & Languidis expositis: Tit. XI.*

**P**rima observatio: Hanc rubricam sic continuamus ex Hostiensi. Qualiter filij à parentibus instigante Diabolo proprijs manibus occidantur. Diximus in superiori titulo: Nunc videndum erit, qualiter interfecisse videantur ipsis expositis & alimentis denegatis, & sic proponitur rubrica, *De infantibus & languidis expositis.*

Secunda observatio: Videamus quid sit infans, quid languidus, & quid expositus. Infans ergo est puer, qui non excedit septennium, id est, qui non habet plus quam septem annos, ut diximus in lib. 4. titulo de desponsatione impuberū, observatione, 2. & habetur in l. si infanti, C. de iure deliberandi. Et dicitur infans, quia in maiori parte suæ ætatis perfectè fieri non potest: fieri autem est, vocem aliquam significantem exprimere: & sic infans est, quasi non fans, seu non potens fieri: vnde fit, quod per translationem infantem vocamus stultum, & loqui nescientem. Præterea languidus venit à verbo languere, qui est viribus deficere, & infirmū esse, & partibus dissolui. Vnde languor est defectio virium, & virtutis naturalis, & sic languescere dicuntur herbe, quæ inci-

inci-

incipiunt arefcere: erit ergo languidus, qui propter infirmitatem, ita viribus deficit, vt prope modum inutilis reddatur ad omnem operationem. Expositus denique venit ab exponere, quod primo fignificat declarare, & inde oritur expositio quod est declaratio, à qua nos hunc librum, Expositionem, id est, declarationem titulorum vocamus. Secundò exponere fignificat aliquid abijcere, & hinc oritur expositio, quod est abiectio, & expositus, quod est abiectus. Vnde infantes abiecti à parentibus, vt pereant vel vt ab alijs capiantur, expositi, seu exposititij dicuntur, & in hoc fenfu capitur in præfenti titulo verbum expositus.

Tertia obferuatio. In hac rubrica, vltima illa particula, expositis, referenda est tam ad infantes, quàm ad languidos, ita vt poffit dici, de infantibus expositis, & de languidis etiam expositis: ficque rubrica in duas partes diuidetur. Prima erit de infantibus expositis, & fecunda, de languidis expositis; fiue languidi fint infantes, fiue fint etiam maiores vigintiquinque annorù. Et ita fenfus prioris partis rubricæ erit huiusmodi. *De infantibus expositis*, id est, de minoribus feptem annorum, qui à parentibus eijciuntur, vel vt pereant, vel vt ab alijs hominibus pietate motis fufcipiantur, & charitatis gratia alantur & fuftententur, cap. fi expositus, dift. 87. qui infantes communiter ante portas Ecclefiarum eijciuntur, vel ante portas eorum qui filios non habent, vt facilius pietate moueantur. Secunda rubricæ pars hunc reddit fenfum: *De languidis expositis*, id est, de his, qui infirmita-

ris causa omnino viribus deficiunt, & prope modum inutiles sunt, qui à parentibus eijciuntur, vt ab alijs alantur, & salte tentur. Et loquimur in hoc titulo, de infantibus & languidis siue fuerint serui, siue ingenui, siue libertini, ita tamen quod serui exponantur à dominis, ingenui à parentibus, & liberti à patronis.

Hic titulus vnicum habet caput, non habetur in Sexto neque in Clementinis, & de eius materia agitur in capite vltimo, dist. 87. Quod autem in eo disputatur est, quod expositi liberantur à potestate illorum à quibus exponuntur, siue fuerit pater siue dominus, siue patronus, & illi qui expositos suscipiunt nullum ius in ipsis acquirunt. Sensus vero rubricæ iam est expositus in tertia obseruatione.

*De homicidio voluntario vel casuali. Tit. XII.*

**P**Rima obseruatio. Quoniam egimus de homicidio in specie, de homicidio in genere disputandum erit: aliquando enim præmittitur species, & postea ponitur genus, vt in cap. ledes Apostolica, de rescriptis, aliquando vero è contra, prius ponitur genus, & deinde disputatur de specie, vt in capite ad reprimendam, de officio Ordinarij. Sed licet hæc ita fiant, tamen melius est & melior methodus seruatur, si prius de genere, & postea de speciebus disputetur, vt habetur in §. his igitur, instituta de iustitia & iure. Et hæc est Logicorum sententia, quos in hac parte non dedignamur sequi: cū ipsi soli

si soli sint qui methodum sciendi ad omnes scientias tradant, imo ipsa Logica (vt melior tenet opinio) est modus sciendi ad alias scientias consequendas: & hoc etiam docent Philosophi cum Aristotele 1. Physicorum, c. 1. quod animaduertendum volo in omni arte & disciplina, semper enim vt ipsi dicunt, ab vniuersalioribus est inchoandum. Sed his omisis, quia homicidium in genere diuidi potest in voluntarium & casuale, ideo dicitur in rubrica, De homicidio voluntario vel casuali, vt intelligamus de vtroque in presenti disputari.

Secunda obseruatio. Homicidium dicitur ab homine & cędo, cędis, quasi sit hominis cędiũ, seu hominis occisio, ita tamen quod fiat ab alio homine: nã si à bruto, vel à ruina, vel ab aqua fiat, homicidium non dicetur: itaque tam occidens quàm occisus debet esse homo, vt homicidiũ fieri dicatur, nam si homo interficiat capram aut vrsũ, vel vt diximus ruina, aut ferabeſtia interficiant hominem, homicidiũ non erit, quorum ratio est, quia homicidium est nomen vitij & peccati illius hominis, qui alium hominem necat, peccatum autem & vitium non cadit in bruto, vel ruina vel aqua interficiente hominem, vel in homine interficiente aliam rem, quæ non sit homo. Vnde sic defini potèrit: Homicidium est hominis occisio ab homine sine lege facta: & homicida erit homo qui hominem sine lege necat, seu occidit, qui etiam sicarius appellatur, capite, sicut dignum, §. ij quoque, infra isto titulo: & dicitur sicarius à sica: sica autem est ferreum cul-

trum, ut habetur in §. item lex Cornelia. inst. de publicis iudicijs, quod Hispanè dicitur. Daga.

Tertia observatio. Homicidium ut patet ex rubrica, duplex est, aliud voluntarium, aliud casuale, voluntarium est voluntaria hominis occisio, quæ peccatum est contra præceptum Decalogi, non occides, cap. si non licet, 23. quæst. 5. nisi fiat iuris permissione, ut in eo qui non potest aliter se defendere. c. 2. isto tit. vel in eo qui iustum bellum gerit, cap. quid culpatur. 23. quæst. 1. vel in eo qui cum iudex sit iuste iudicat, nam neque iustitiam faciens, neque eius minister homicidæ censentur, cum non ipsi, sed lex videatur occidere, cap. iudex. 23. quæst. 5. Casuale vero est fortuita & casualis hominis occisio, & qui sic hominem necat, peccatum non committit, licet aliquando à iudice, aliqua pœna puniatur: qualis fuit illa, quam multis ab hinc annis ipse vidi in quodam oppido Bellicosissimi ac Christianissimi Regni Valètini Lallofa, vulgo dicto, ubi cum quidam agricola cum filio suo duodecim annorum, nocte fructus arborum suarum custodiret, & necessitate exigente agricola ad populum accederet, relicto ibi filiolo, contigit, quod hoc scientibus alijs adolescentibus voluerunt filiolum agricolæ exhorrescere, & fugare, ut sic possent fructibus arborum vesci: & habito inter eos consilio, dixit quidam eorum, ipse scio sicut lupus ululare, eamus, & me quatuor pedibus ambulante, & ululante, ipse timore concussus fugiet: cum ergo a ijs optimum visum fuerit consilium abierunt, quod cum facere inciperent, & filiulus agricolæ audisset



audisset, motus non quidem timore sui, sed potius ne lupus interficeret quosdam mulos quos pater in ea parte reliquerat ubi lupum audiebat; motus inquam & accepto quodam igneo instrumento sui patris, abiit erga locum ubi lupum audiebat, quem cum vidisset, & verum lupum esse crederet, ignem instrumento applicavit, & miseram lupum vitam cum morte commutare fecit.

Hic titulus habet viginti quinque capita, habetur in Sexto, & Clementinis, & de eius materia disputatur in §. quod vero usque ad paragraphum sed exemplo, distinctione quinquagesima, & 25. questione quinta, & capite si quis, 23. questione ultima, & à capite, periculoso, usque ad caput si propterea, de pœnitentia, distinctione prima, & capite quod non est, cum duobus sequentibus, 23. questione secunda, & cap. latorem, 33. questione secunda. Quod verò in eo disputatur est, de pœnis homicidiorum, & de occidente latronem, & de homicida qui dat venenum, & de socijs homicidarum, & cui & quando imputetur alicui homicidium casuale: & denique quomodo & quando quis fiat irregularis propter homicidium. Sensus vero rubricæ est huiusmodi: De homicidio voluntario, vel casuali, idest, de hominis occisione voluntaria vel fortuita.

## De torneamentis. Tit. XIII.

**P**Rima obseruatio. Quoniam plene tam de homicidio in genere quam in specie, disputatum fuit, agendum erit de quibusdam actibus, per quos aliquando ad homicidium deuenimus, de quibus tres proponuntur rubricæ, quarum prima est, de torneamentis, de qua modo disputandum est, subintelligendo tamen illam particulam, prohibitis, ita ut sit rubricæ sensus: *De torneamentis prohibitis, ut probatur in c. i. isto tit.*

Secunda obseruatio. Torneamenta, ut docet Lexicon iuris, sunt quædam nūdiæ vel feriæ iniquæ, in quibus milites ex edicto conuenire solent, & ad ostensionem virium suarum & audaciæ temere congregari vel congregari, dicto capite i. isto tit. Et dicuntur torneamenta à torqueo, vel à torno, quia vadunt circueundo, seu percutiunt se circumeuntes. Quod autem de torneamentis in hoc titulo dicitur est, quod sunt prohibita, & quod vulnerato in eis, conceditur sacramentum Pœnitentiæ, denegatur tamen Ecclesiastica sepultura, si moriatur, quod intelligendum est, si accessisset ad torneamenta animo pugnandi, nam si alia de causa accessisset, profecto non haberent locum prædictæ pœnæ, capite primo & secundo in isto titulo.

Tertia obseruatio. Omnia superiora, ni fallor, loquuntur de torneamentis antiquis, in quibus erat maximum vitæ periculum, non vero de nostris

stris torneamentis, quibus in Hispania viri nobiles utuntur, ut se in armis exercent, & ut tam celebri ludorum genere aduentus vel natiuitates Principum & alios similes casus celebrent atque illustrēt. In quibus conuenientibus armis pedester munitis solum lanceis sine ferro tribus vicibus se percutiūt, & ensibus non scindentibus quinque se vulnerant, stante inter eos quodam tabularum pariete, ne vnus transeat ad locum alterius, & assistentibus ex vna & altera parte patrinis qui impetus, & percussiones vniuscuiusque iudicent, rixasque componant suas.

Quarta obseruatio, Ut nihil intactum prætermittamus, sciendum est, quod licet ea quæ diximus in secunda & tertia obseruatione sint magis veritati consona, ut colligitur ex hoc titulo, & ut hodierna torneamenta demonstrant. Nilominus tamen sunt qui existiment, torneamenta fuisse quosdam ludos equestres Troianorum, quos Iulius Ascanius Æneæ filius in Italiam duxit, ut docet Virgilius libro quinto Æneidum, qui ludi Troiani prius dicti fuerunt, deinde corrupto vocabulo, torneamenta vocari cæperunt, ut author est Lazius libro decimo Commentariorum Reipublicæ Romanæ, capite secundo.

Sed multo verosimilius mihi videtur hos prædictos ludos non esse, quos nunc torneamenta vocamus, sed potius eos, qui Hispano sermone, lustras, dictæ sunt, & Latine dicuntur, hasti;

hastiludia vel iustas, vt in Extrauagantibus Ioannis Vigefimi fecundi, isto titulo. Ex quibus omnibus cōcludo, quòd hodierna torneamēta ducū originem ab illis antiquis ferijs de quibus noster titulus loquitur. Et hodierni ludi quos Iustas, appellamus traxisse originem ab illis antiquis Troianorū ludibus. Sed offert se in præfenti difficultas, quare isti ludi, scilicet, iustæ & torneamenta hodie sunt in vſu: cum in hoc titulo prohibeantur. Cui difficultati respondeo primò, quòd hodie non fiunt eo modo quo olim fieri solebant, neque cum tanto corporum & animarum periculo, ac proinde non obstante dicta prohibitione hodie comprobantur, & publicè exercentur. Vel respondeo secundo, quòd licet omnes isti ludi in præfenti prohibeantur, tamen, quia istæ prohibitiones parum utilitatis Christianis afferunt, ideo Ioannes XXII. in Extrauaganti huius tituli, eas reuocauit, & tales ludos exercere permisit.

Hic titulus habet duo capita, nō habetur in 6. neque in Clementinis, bene verò in Extrauagantibus Ioannis XXII. & de eius materia agitur in 5. sed quilibet. vſque ad finem quæstionis 2. quæst 5. Quod verò in eo disputatur iam diximus in 2. obseruatione Sensus etia in rubricæ explicandus est obseruatione. 1.

*De clericis pugnantis in duello. Tit. XIII.*

**P**rima obseruatio: Quoniam diximus in superiori titulo de pugna voluntaria & prohibita causa roboris, & virtutis naturalis probandæ facta, nunc de alia pugna etiam volūtaria & prohibita est  
agen-

agendum, de illa, scilicet, quæ in defectum probationis ab aliquibus offertur, & ab alijs suscipitur quæ duellum appellatur. Sed quia clericis præcipue hæc pugna prohibita est, proponitur rubrica de clericis pugnantibus in duello: de secularibus enim sic pugnantibus, deinde agitur in tit. de purgatione vulgari.

Secunda observatio. Ad clariorem rubricæ notitiam tria in præsentī notanda sunt. Primum est clerici nomen quid significet iam dictum fuisse in lib. 1. titulo de clericis peregrinis observatione 2. vbi etiā explicauimus quid, & quotuplex ille sit: in præsentī tamen capitur pro sacerdote vel in sacris ordinato, vt patet in nigro. Secundum est, quod pugnans est quasi pugno dans, id est is qui pugnat seu debellatur. Tertium est, quod duellum est singularis pugna inter aliquos habita ad probationem veritatis inuenta, in qua qui vincit probasse intelligitur, & qui victus est in probatione defecisse videtur. Et dicitur à Latinis Iuris Consultis, duellum, quasi duorum bellum ab antiquis vero Græcis Monomachia dicebatur à monos, quod est vnum, & machia, quod est pugna, quasi sit pugna solum vnus cum altero, cap. monomachiam 2. quæst. 5. Et certe non ineleganter bellum duorum duellum appellatur quibusdam literis transmutatis, quod in vsu apud antiquos fuisse testatur Cic de oratore, dicens. *Antiqui nomina contrahebant quo essent aptiora, vt duellum bellum.* Hinc etiam est, quod perduellum, & perduellionis crimen in lege duodecim tabularum, nuncupatur quidquid

hostiliter gestum fuerit contra Rempublicam.

Tertia observatio. In Monomachia seu duello duo reperiuntur, scilicet, offerre duellum, & acceptare duellum, nam cum duo sint pugnantes, (aut saltem si sunt plures personæ duæ tantum sunt partes pugnantes,) vnus offert pugnam, & alius admittit, dicendo se velle tali pugna pugnare pro tali veritate. Quæ duo in hoc titulo, quia Deus tentari videtur prohibentur, vt colligitur ex capite primo, & secundo, & ex glossa verbo, oblatum, dicit. capite primo. isto titulo. Imo, & in Concilio Tridentino prohibetur, capite decimo nono, sessione vigesima quinta. vbi vult Concilium, quod Imperatores, Reges, Principes, & omnes domini temporales, qui locum ad monomachiam seu duellum concesserint eo ipso sint excommunicati, & alijs poenis subiiciantur in dicto capite decimo nono expressis. Et cum vt supra diximus hic solum Clericis hæc pugna prohibeatur, proinde poena quæ eis imponitur tam pro oblatione quam pro acceptatione ipsius duelli est depositio, cap. 1. isto titulo, & si in duello sequutum fuerit homicidium est irregularitas, cap. 2. etiam isto titulo.

Hic titulus habet duo capita, non habetur in 6. neque in Clementinis, & de eius materia disputatur in cap. monomachiam. 2. q. 5. Quod vero in codicibus iam habetur in superiori observatione. Sensus vero rubricæ est huiusmodi. *De clericis pugnantibus in duello, id est de sacerdotibus vel alijs ordinatis*  
in sa.

in sacris, qui ad probationem alicuius veritatis singulare certamen offerunt vel oblatum suscipiunt.

*De Sagittarijs, Tit. XV.*

**P**rima obseruatio. Quoniam, vt diximus in continuatione tituli de torneamentis, quod post disputationem de homicidio agendum erat in tribus sequentibus rubricis de quibusdam actibus ex quibus aliquando homicidium sequebatur, & actum est de torneamentis, & de duello, proinde tertio loco agendum est, de actu sagittandi seu de usu sagittarum, & sic de sagittarijs. In qua rubrica dicit Abb. quod licet in ea solum dicatur de sagittarijs, nihilominus tamen in nigro etiam disputatur de ballistarijs, & sic vult innuere nigrum esse generalius rubro, & Barbatia, & Hostiensis quando proponunt hanc rubricam scribunt. *De sagittarijs, & ballistarijs*, & certe iure optimo id faciunt, vt apparebit obseru. 3. & 4.

Secunda obseruatio. Sagittarius dicitur quis à sagitta: Sagitta autem est, quoddam genus iaculi, quod arcu vel ballista longe emittitur, & dicitur sagitta à satis, & ictu, quia in satis longum spatium profert ictum suum, vel quia satis sagax est ictus suus. Et sic sagittarius erit qui ballista vel arcu sagittas emittit. Quare non sumitur hic sagittarius prout à Poetis vel Astrologis. Nam Poetæ dicebant sagittariū esse quoddam animal ex homine & equo compositum, quem nos Centaurū appellamus & ipsi dicunt fuisse quendam hominem nomine Crota filium

filium Ephemis nutricis Musarum qui habitabat in Parnasso inter Musas, & ibi dabat operam venationi, & post mortem precibus Musarum fuit à Ioue inter astra repositus. De quo sic inter astra posito loquuntur Astrologi, & dicunt esse nouum signum caeleste in zodiaco positum, & ex figura hominis, & equi compositum, calidum, & siccum, quem deambulat Sol à die 23. Nouembris vsque ad vigesimum secundum Decēbris, in quo tēpore pluit, grādinat tonat, & fulgurat. Et domus Iouis, & detrimentum Mercurij: in homine dominatur super crura, habet triginta, & vnā stellas, duas secundæ magnitudinis, nouem tertiæ, nouem quartæ, octo quintæ, duas sextæ, & vnā nebulosam. De quo si plura scire desideras consule Astrologos: solum tamen scito, quod si natus fueris sub huius signi ascensu, id est quando in parte orientali hoc signum ascendit seu oritur, quod contingit duobus diei horis, nam viginti quatuor horarum spatio oriuntur duodecim signa, & sic quodlibet signum duabus horis: scito ergo, quod eris verecundus affabilis, honestus, fortunatus, navigationi deditus, & inde lucrum suscipies, aliquantulum infirmus, & vulneraberis à quadrupede: nisi Deus in cuius potestate sunt omnia aliter disposuerit.

Tertia obseruatio Ballistarius est, qui ballista utitur: ballista autem duplex est, alia maior, alia minor. Ballista maior, vt docet Vitruuius libro. 10. c. 18. est quoddam genus tormentorum muros concutiens, eiacularans saxa cētum viginti librarum, quod



Hispanè appellatur. *Trabuco*. Quod instrumentum quavis non viderim, quia iam in usu non est, & tempore Romanorum solum floruerit, vidi tamen in quodam oppido Regni Valentini vocato, *Elche*, quandam antiquam turrim maxime læsam, & habentem quædam signa veluti foramina, in superficie facta ab ictibus illorum instrumentorum, & in pede eiusdem turris vidi multa saxa rotunda, & globata quæ ab his instrumentis fuerunt tempore Romanorum eiaculata, quod ita esse indicto oppido per traditionem habetur. Ballista vero minor quæ etiam manuballista vocatur, est quoddam instrumentum, quod hastam parvam, & habentem ferrum ad modum scorpionis eiaculat, quæ hasta est sagitta de qua diximus in superiori observatione. Et hoc instrumentum ita hodie commune est, ut superfluum sit illud amplius describere.

Quarta observatio. Quando in hoc titulo postquam dicit de Sagitarijs additur, & de ballistarijs non est intelligendum de ballistarijs qui minori ballista utuntur, nam isti iam comprehenduntur sub nomine sagitarij, sed est intelligendum de ballistarijs qui utuntur maiori ballista. Quod autem de eis in præsentibus disputatur est solum prohibere sub anathematis poenæ ne aliquis aduersus Christianos ijs instrumentis utatur.

Hic titulus vnicum habet caput, non habetur in 6. neque in Clementinis, neque aliquid de eius materia tractatur in Decreto. Quod vero in eo disputatur iam habetur in superiori observatione. Sen-

sus autem rubricæ est huiusmodi. *De sagittarijs, idest de his qui sagittis, & ballistis vtuntur.*

*De Adulterijs, & stupro. Tit. XVI.*

**P**rima obseruatio. Visum est in superioribus de homicidio, & de quibusdam actibus ex quibus prouenit quandoque homicidium, sed quia secundum ordinem decalogi, idest Legis veteris continetis decem præcepta, post homicidium sequitur adulterium, vt patet ibi, *non occides, non mechaberis*: ideo post homicidium disputandum erit de adulterio, quod in decalogo appellatur mechia, & quia, vt docet Abbas in hac rubrica sub nomine mechiaz omnis illicitus coitus continetur, ideo addit, & de stupro, & propter hanc rationem poterat etiam addi, & de alijs criminibus ad incontinentiam pertinentibus, & de nocturna pollutione, sicut addit Hostiensis in summa in rubrica huius tituli. Sed tamen non est cur hæc in decretalibus addantur, nam solum in eis disputatur de adulterio & stupro. De adulterio à c. 3. vsque ad finem tituli, & de stupro in cap. 1. & 2.

Secunda obseruatio. Adulterium dicitur à propositione ad & à relatiuo alter, nam qui adulterium committit, idest adulter, dicitur ille qui ad alterum, seu ad rem, & thorum alterius transit per copulam: & definitur sic. Adulterium est illicitus coitus cum vxore vel sponsa aliena perpetratus, quod certe maximum est crimen cum ex eo omnia  
fere

fere crimina oriuntur, ex eo enim proveniunt violentia, iniuria, homicidium periurium, falsa testimonia, & alia similia. Unde est, quod non licet super eo transigere, l. transigere, C. de transactionibus. Præterea stuprum est illicita virginis defloratio. §. 1. 36. quæstione prima. quod etiam aliquando cum vidua committitur licet tunc stuprum improprie dicatur in, l. inter stuprum, ff. de verborum significatione. Quare hæc est differentia inter adulterium, & stuprum, licet aliquando confundantur, vt in l. inter liberos. ff. ad legem Iuliam de adulterijs, quod scilicet, adulterium semper est cum nupta, stuprum vero proprie cum sola Virgine, & improprie etiam cum vidua. Sed dices quid ergo erit raptus, nam videtur esse idem, quod stuprum. Respondeo, quod licet raptus, & stuprum proprie sint in virgine, non intercedente matrimonio, tamen est ista differentia, quod si virgo, neque ipsa resistente, neque resistantibus parentibus cognoscatur, tunc dicitur stuprum, si vero cognoscatur inuita vel parentibus contradicentibus, tunc dicitur raptus, vt clarius in sequenti titulo apparebit.

Hic titulus habet septem capita, non habetur in sexto, vel in Clementinis, & de eius materia disputatur, c. 2. & §. cum ergo, 36 q. 1. Quod vero in eo disputatur est, quod stuprans virginem tenetur eam dotare, & eam in vxorem ducere, & quod maritus retinens coniugem adulteram quæ nondū egit pœnitentiam particeps est delicti sui, & denique multa dicuntur

dicuntur de adulterij accusatione, & de separatione propter adulterium. Sensus denique rubricæ est huiusmodi. *De adulterijs & stupro*, id est de accessu ad conjugem alterius, & de illicita virginis defloratione.

*De Raptoribus, & Incendiarijs, & violatoribus Ecclesiarum. Tit. XVII.*

**P**rima observatio. Quoniam in Præceptis decalogi post homicidium, & adulterium, sequitur furtum ideo de furtis disputandum erat, sed quia raptus est quoddam medium inter adulterium, & furtum, nam aliquando mulieres, aliquando alie res diversæ rapiuntur ideo inter titulum de adulterijs, & titulum de furtis, de raptoribus videamus. Et propterea, quod in huius delicti perpetratione aliquando incendia, aliquando violationes Ecclesiarum committuntur ideo de his simul disputabitur, & sic conferibitur rubrica in hunc modum. *De raptoribus, & incendiarijs, & violatoribus Ecclesiarum.*

Secunda observatio. Rapere est vi aliquid ab aliquo amovere, l. 1. ff. de incendio, & ruina, à quo descendunt, Raptio, Rapina, Raptus, & Raptor: quæ voces licet conveniant in hoc, quod est violenter capere, tamen Raptio dicitur de personis, ut docet Calpurnius in verbo Raptio. Rapina de rebus, l. 1. C. de vi bonorum raptorum. Raptus de mulieribus cum quibus committitur stuprum, ut diximus in titulo superiori observatione. 2. Raptor denique in communi, & generali est qui vi aliquid capit. Et est duplex

duplex alius raptor rerum, vt Pyratæ, & alij prædones. c. excommunicatur, isto tit. Et alius personarum, qui si personas rapit, vt furetur qualis est is qui rapit liberum hominem vel seruum alienum, vt vendat pyratæ, dicitur, Plagiarius, nam plagam infert parentibus vel dominis, toto titulo. ff. & C. ad legem Fabianam de plagiarijs: si vero personas rapiat, vt cum eis mechetur vel cum eis matrimonium contrahat, qualis est qui rapit virgines, vel viduas, vel sanctimoniales, tunc generali nomine retento, raptor dicitur, vt patet toto titulo. C. de raptu virginum, & capi. cum causam, & c. fin. isto. tit. In presenti ergo de omnibus raptoribus disputatur, vt patet ex c. in Archiepiscopatu, & c. cum causam, & in alijs multis capitibus, infra isto titulo.

Tertia observatio. Dupliciter domus vel aliqua alia res comburitur. Primo modo culpa inhabitantium l. nam salutem. ff. de officio præfecti vigillum, vel alio casu fortuito in quo nihil alicui imputari potest. l. penultima. ff. de incendio, & ruina. Secundo modo dolo malo, & data opera, & hoc modo appellatur incendium vel combustio, nam si comburantur ædes vel alia prædia urbana dicitur incendium, & si comburantur rustica dicitur combustio, l. i. ff. de incendio, & ruina. Incendiarius ergo de quo in rubrica loquimur, & de quo in hoc tit. disputamus, est qui domos alienas, vel arbores, vel segetes incendit igne appposito ex odio, vel vindicta, vel furti causa l. capitalium. §. incendiarij. ff. de poenis, & ca pessimam. 23. q. 8.

Quarta obseruatio. Violare est corrumpere polluere, & quasi vim inferre. Vnde violator Ecclesiarum erit qui corrumpit vel polluit, & vim infert Ecclesijs, quod fieri potest vel frangendo illius ostia, vel capiendo, & inuadendo res suas, vel frangendo & corrumpendo priuilegia sua, & alijs multis modis de quibus. 17. q. 4. per totum.

Hic titulus habet septem capita non habetur in 6. neque in Clementinis, & de eius materia agitur. 14. q. 5. & 6. & in multis capitib. 16. q. 1. & c. vulgaris, de poenitentia, d. 1. & ca. aut facta, d. 50. & ca. discipulos, de consec. d. 5. Et de raptu tractatur 36. q. 1. per totum, & §. sed concedatur vsque ad finem, q. 26. q. 2. Quod autem in eo disputatur est. Primo, quod raptor vel Ecclesie violator excommunicatus est donec satisfaciat vel caueat satisfacere, quod si ante moriatur caret Ecclesiastica sepultura. Secundo, quod prelati possunt ex Principis delegatione raptores citra poenam sanguinis punire. Tertio, quod incendiarius Ecclesie in morte poenitens, & absolutus in cæmeterio sepelietur, & hæredes compelluntur ad satisfactionem iuxta facultates defuncti. Quarto, quod raptus non committitur vbi foemina volens propter matrimonium adducitur. Et denique, quod inter raptorem, & raptam potest matrimonium contrahi. Sensus vero rubricæ est huiusmodi. *De raptoribus, & incendiarijs, & violatoribus Ecclesiarum, id est de his qui vi aliquid rapiunt, & de his qui dolo aliena comburant seu incendunt, & de his qui corrumpunt vel polluunt, vel vim inferunt Ecclesijs.*

## De Furtis Tit: XVIII.

**P**rima obseruatio. Quoniam vidimus de raptoribus, seu de raptu quæ species est furti, vt probatur in principio inst. de vi bonorum raptorum agendum est iam de furtis in genere, & sic de furtis absolute proponitur rubrica. Vel continuatur iste titulus prout diximus in continuatione superioris, scilicet, quod quia visum fuit de homicidio, & adulterio agendum erat de furtis, sequentes ordinem præceptorum decalogi vbi dicitur. *Non occides, non machaberis, non furtum facies.*

Secunda obseruatio. Furti nomen varias habet Etymologias, nam alij dicunt, quod dicitur à furuo, id est nigro, eo quod clā, & obscure seu de nocte plerūque fit. §. furtum inst. de obligationib. quæ ex delicto nascuntur. Alii dicunt, quod dicitur à fraude. Alij, quod à ferendo seu auferendo. l. i. ff. de furtis. Alij denique, quod à furno, quia fur in furno plerumque latet. Quas Etymologias docte tradit Vincentius Siffertus in commentarijs ad §. furtum inst. de obligationibus quæ ex delicto nascuntur.

Tertia obseruatio. Quoniam furti nomine omnis illicita rei alienæ usurpatio continetur, ideo furtum sic diffinitur. Est contrafectatio fraudulosa, rei alienæ, mobilis, & corporalis inuito domino animo lucrandi, siue ipsius rei, siue vsus, siue possessionis. Quæ diffinitio ita explicanda est: nam primo dicitur. *Contrafectatio*, quia est genus in hac diffinitione, & significat etiam omnem abductionem vel baiulationem,

l. si quis a sinum. ff. de furtis, seu significat rem loco  
 summovere, l. 3. §. finem, ff. de acquirenda possessio-  
 ne Dicitur. *Fraudulosa*, quia si quis contrectaret rem  
 alterius probabiliter suam esse putans, vel putans  
 dominum permissurum non committeret furtum,  
 l. inter omnes. §. recte. ff. eodem. itaque ad furtum  
 non sufficit sola contrectatio, neque sola fraus, sed  
 necessaria est fraudulosa contrectatio. Dicitur. *Rei*  
*alienae*, quia in re plene mea non possum commit-  
 tere furtum: & dico plene mea, quia si quis ha-  
 bet rem meam quoad usum, vel possessionem be-  
 ne possem ego committere furtum illius: nam tunc  
 non est plene mea. Vel dicitur rei alienae, quia si  
 nullius in bonis est non committo furtum. Dicitur  
*Mobilis*, quia rerum immobilium furtum non fit,  
 ut dicitur in §. quod autem, instituta de usucapio-  
 nibus. Dicitur, *Corporalis*, quia incorporalia  
 tradi, vel possideri, vel contrectari non possunt, l.  
 servus qui bona fide. §. incorporales. ff. de acquiren-  
 do rerum dominio. Dicitur. *Inuito domino*, quia si  
 quis credit dominum concessurum, non facit furtum  
 l. qui re. ff. eodem. Dicitur, *Animo lucrandi*, nam si quis  
 sine tali animo acciperet, ut qui ancillam meretricem  
 accepit animo solum carnaliter cognoscendi non  
 faceret furtum, l. verum est, ff. eodem. Et denique  
 dicitur. *Sive ipsius rei, sive usus, sive possessionis*, quo-  
 niam in quolibet istorum committitur furtum, in  
 primis enim ipsius rei, certum est. Et in usu, vel  
 possessione patet, nam si proprietarius auferat rem  
 ab usu fructuario furtum committit.



Quarta observatio. Furtum duplex est, aliud manifestum, aliud non manifestum, manifestum est quando fur vel cum furto apprehenditur ubi fecit furtum, vel quando cum eo invenitur siue in loco publico siue in privato, à domino vel ab alio, antequam eo pervenerit quo rem deferre, vel deponere destinavit. Non manifestum seu nec manifestum est quando nullum istorum contingit, scilicet, quod neque apprehenditur fur cum furto, nec ubi furtum fecit, nec alibi, antequam pervenerit in locum ubi deponere destinavit, nam si ubi destinavit deponere, invenitur etiam cum re furtiva, non est fur manifestus, sed potius non manifestus. §. furtorum instit. de obligationibus quæ ex delicto nascuntur. Notandum est in fine huius rubricæ, quod quavis furti nomen proprie significet ipsum delictum, seu actum furandi, tamen etiam aliquando capitur pro re furtiva, nam aliquando communiter loquendo dicimus, in tali loco fuit inventum furtum, id est res furtiva seu res furata.

Hic titulus habet quinque capita non habetur in 6. neque in Clementinis, licet habeatur in extravagantibus communibus, & de eius materia agitur. ca. vulgaris de poenitentia, dist. 1. & §. item aurum r. q. 1. & 14. q. 5. & 6. per totum. Quod vero in eo disputatur est. Primo, quod furans hominem reus est mortis. Secundo, quod furibus in furto, & sine poenitentia mortuis denegantur Ecclesiastica sacramenta. Tertio, quod qui furatur in necessitate levius puniatur. Quarto, quod furti tenetur qui non manifestat

furtum. Et denique, quod fur occultus post pœnitiã, & restitutionem promoueri potest. Sensus vero rubricæ est huiusmodi. *De furtis*. idest de furtibus, & de furtis siue manifestis, siue non manifestis.

*De Usuris. Tit. XIX.*

**P**Rima obseruatio. Quoniam usura etiam species furti est cap. si quis usuram. 14. q. 4. ideo postquam de furtis disputauimus, de usuris agendum erit, nullus enim tam improbus fur est quã usurarius, teste. D. Ambros. in lib. de bono mortis. ca. 12. dum ait *Si quis usuram accepit rapinam facit*. Et in libro de Thobia. ca. 15. dicitur. *Sine ferro dimicat qui usuras flagitat*. Quare proponamus rubricam de usuris: & videamus vnde dicatur quid sit, & quotuplex sit usura.

Secunda obseruatio. Usura dicitur ab usu rei, quia propter usum rei datur, vel dicitur, quasi usuera, siue vsuera, idest vsus æris, seu pecuniæ: nomine autẽ pecunię comprehenditur quidquid omnes in bonis habeant, c. totum. 1. q. 1. Vel dicitur usura, quia vsus rei venditur vel pro nudo usu aliquid recipitur siue sit pecunia, siue aliquid aliud. Et significat usura primo solum usum cuiuscunque rei siue in bonam, siue in malã partẽ capiatur, vt testatur. Cic. prima in Verrẽ. Vbi dicitur, *quare usuram vite pyratis reliquisti*. Secundo significat id quod donatis qui re vtitur solum in signũ grati animi. Tertio usurpatur pro quodam delicto accipiendi precium pro re non habente precium, seu

seu accipiendi aliquid ultra sortem principalem in mutuo. c. plerique, 14 q. 4. Et de usura sic accepta disputatur in hoc ti. & dicitur ab Hebræis Nefech, idest morsus: unde in Deutero. c. 23. dicitur. *Non feneraberis fratri tuo ad usuram, non morsum inferes fratri tuo.* A Græcis vero dicitur Thocon, idest parturio, sumpta metaphora à pecoribus, & ab alijs rebus, fœcundis quæ pariunt: & ideo à Latinis etiam appellatur fœnus, quasi foetus seu partus, quia usurarij faciunt parere mutuum. Differt tamen aliquantulum usura à fœnore, quia fœnus accipitur pro usura strictè sumpta, usuræ vero nomen aliquando in bonam, & aliquando in malam partem capitur.

Tertia obseru. Usura, prætermisissis varijs diffinitionibus, sic diffiniri potest usura est precium vsus rei mutuatæ principaliter speratum seu intetum: quam diffinitionem tradit Durandus in. 3. distinctio. 37. questione. 2. In qua dicitur. *Precium vsus rei*: quia usurarius non solum præ tendit sibi restitui rem mutuatam æquiualentem in numero, pondere, & mensura, sed etiam sibi aliquid solui pro vsu rei mutuatæ siue sit pecunia siue quidlibet aliud, quasi in precium talis vsus. Seu dicitur, *precium vsus rei*, ut differat usura ab eo, quod datur pro damno emergente vel lucro cessante, quod non datur, ut precium vsus rei, sed potius, quia causa mutui facti, ipsi mutuantes aliquod damnum habuerunt, vel aliquod lucrum amiserunt. Dicitur, *mutuatæ*, ad denotandum usuram principaliter solum in mutuo consistere: quauis aliqui dicant non solum principaliter, sed imo,

tantum in mutuo consistere posse, de quo ipse minor, nam potest etiam consistere in re vendita, ut si vendam maiori precio ex eo, quod differo solutionem, capite in ciuitate, & capite ultimo, isto titulo, & potest etiam consistere in re pignorat, ut si pro debito accipiam pignus, & fructus pignoris non computo in sortem principalem, capi. i. & capi. consequus isto titulo. Dicitur *Principaliter speratum seu intentum*, ut distinguatur usura, ab eo, quod datur in signum grati animi: si enim quis quando mutuatur principaliter sperat, seu intendit lucrum, ita ut si existimaret, illud lucrum non habiturum, non mutuaret, is certe usurarius est: si vero minus principaliter lucrum sperat, seu intendit, ita ut si existimaret, illud non habiturum nihilominus mutuaret, certe iste talis usurarius non est, nam videtur illud lucrum solum in signum gratitudinis sperare.

Quarta observatio. Usura duplex est, alia realis, & alia mentalis. Realis est cum quis per pactum expressum mutuatur, ut aliqua quantitas ex mutuo sibi detur, capite primo. cum sequentibus isto titulo. Mentalis est quando quis mutuatur sine pacto expresso facto, licet principaliter speret recipere aliquid ultra sortem. alias non mutuaret, c. consuluit, isto titulo. Et hæc duplex est, alia mentalis, quoad Deum solum, quæ est in sola voluntate opere non subsequente. Alia vero est mentalis, quæ non solum continetur in voluntate, sed exterius fuit opus subsequutum, id est actu fuit aliquid ultra sortem datum.

Vnde

Vnde inter vsuram realem, & mentalem hæc sola est differentia, quòd realis continet pactum expressum inter mutuante[m] & mutuatarium, de dando aliquid ultra sortem. Mentalis vero tam vna quam altera nũquam tale pactum cõtinet, siue nihil fuerit datum vt in prima, siue aliquid fuerit datum vt in secunda. Est tamen animaduertendum, quod quando Canonice de vsura mentali loquuntur, illam secundam intelligunt, in qua exterius fait opus subsequutum, id est, actu fuit aliquid datum nam illa altera quæ mere in voluntate consistit, ad Theologos, præsertim confessarios spectat, qui in foro pænitentia de ea iudicare possunt.

Quinta obseruatio. Alij aliam vsuratum ponunt diuisionem, cuius duodecim sunt mēbra à partibus assis denominata, ita vt si vnus aureus soluatur præter sortē, dicatur vsura vnciaria: si duo, vsura sextās: si tres, quadrans, si quatuor, triens: si quinque, quincũx: si sex, semis: si septem, septunx: si octo, bes: si nouem, dodrans: si decem, dextans: si vndecim, deũx: & si duodecim, as.

Hic titulus habet decem & nouem capita. Habetur in Sexto, & in Clementinis, & de eius materia agitur dist. 46. & 14 quæst. 4 & 5. & 6. per totum, & c. penultimo, & vltimo, dist. 46. & cap ei, ciens, dist. 88. Quod autem in eo disputatur est: in quibus rebus consistat vsura, & quomodo, vt in pignore, in mutuo, in venditione: & de pænis vsurariorum, & de satisfactione, & repetitione vsurarum. Sensus vero rubricæ est huiusmodi: *De vsuris*, id est, de pretio vsus

rei mutuata, seu de lucro dato in pretium vsus pecuniae mutuata.

*De crimine falsi. Tit. XX.*

**P**Rima obseruatio. Prosequentes materiam inceptam de criminibus, agendum est de crimine falsi, quoniam vsurarij de quibus supra diximus, plerunque falsitatem committunt, vt vsuras extorquere possint. Vel potest sic continuari. Quoniam ex ordine praeceptorum Decalogi colligitur, agendum esse de crimine falsitatis, ideo proponitur rubrica, De crimine falsi. Dicitur enim in Decalogo: *Non occides: non mechaberis: non furtum facies: non falsum testimonium dices: falsum autem dicere, crimen falsi est.*

Secunda obseruatio. Crimen in communi est idem quod delictum, maleficium seu graue peccatum. Cuius multae sunt diuisiones: nam aliud est publicum, aliud priuatum. Publicum est cuius accusatio datur cuilibet de populo, quoniam ad publicam utilitatem spectat, ne illud maneat impunitum, vt homicidium. Priuatum est, cuius accusatio solum conceditur ei, qui ex tali delicto damnum accepit, vt furtum. Praeterea sunt alia multa genera criminum quae commode sub vna vel pluribus diuisionibus comprehendi non possunt, vt crimen lesae Maiestatis, quod fit contra Principem. Crimen perduellionis, quod fit contra Reipublicam. Crimen haeresis, quod fit contra Fidem. Crimen fraudati census, quod fit quando quis furatur publicam pecuniam sibi accommodatam. Cri-

men

men fraudatæ annonæ, quod fit quãdo quis furatur publica victualia. Crimen sacrilegij, quod fit violando res sacras. Crimen stellionatus, quod est, quando quis aliquod crimen fecit, cui proprium nomen deficit, tunc dicitur crimẽ stelionatus, vt si quis vendat aurichalcũ pro auro. Et sic de alijs criminibus dicẽdum est.

Tertia obseruatio. Videamus quid sit falsum, quid falsitas, & quid falsarius. Falsum est quod caret veritate, & veritatem imitatur, vt rescriptum quod non est Papæ, & apparet esse à Papa. cap. sua nobis, de officio vicarij. Vnde falsus tutor dicitur qui tutor non est, & tutorem imitatur. Et falsum testamentum est, quod testamentum non est, & tamen testamentum apparet. Falsitas est immutatio veritatis ex certa sciẽtia facta, vel est imitatio veritatis, cum veritas non fit. Falsarius denique est, qui crimen falsitatis commisit, cap. ad falsariorum, infra isto tit.

Quarta obseruatio. Ex his duabus vocibus, scilicet, crimen & falsum componitur nostra rubrica quæ inscribitur de crimine falsi: quæ sic exponitur, id est de delicto seu maleficio qui committitur, vel falsando scripturas, de quo nouem modi proponuntur, in capite, licet, infra isto titulo. Vel dicendo falsum, vt in teste, capite. i. isto titulo, vel falsando monetam, aut mensuram. l. quicumque. ff. de crimine falsi, vel supponendo partum, l. qui falsam. §. i. ff. eodẽ. Vel vtendo re ab alio falsificata, vt scriptura, l. si falsos. C. isto titulo. Vel fingendo id quod quis non est, vt si quis qui non est clericus fingat se esse clericum

ricum ad obtinendum beneficium, cap. ex literis, de transactionibus, & alijs multis modis, quos longum esset recensere. Aduertendum tamen est, quod licet crimen falsi tot modis committatur, nihilominus tamen in hoc titulo solum disputatur de eo quod committitur testificando, vt in cap. 1. & de eo quod committitur falsando sigilla, cap. 3. & deniq; de eo quod committitur in literis, de quo in omnibus alijs tituli capitibus disputatur.

Hic titulus habet nouem capita, non habetur in Sexto neque in Clementinis, benè vero in Extrauagantibus Ioannis Viginti secundi, & in Extrauagantibus communibus, & de eius materia agitur capite in memoriam, dist. 19. & c. quisquis, r. q. 3. & capite, si testes, §. qui falso. 4. quæst. 3. Quod autem in eo disputatur iam diximus in superiori obseruatione. Sensus etiam rubricæ iam est explicatus in eadè quarta obseruatione.

*De sortilegijs. Tit. XXI.*

**P**rima obseruatio. Quoniam vidimus de crimine falsi, & sortilegia in se falsitatè contineant, ideo agendum est de sortilegijs, vel de sortilegis, qui per quasdam sortes diuinationis scientiam profitentur, §. vnico. 26. quæst. 1. Legi autem potest nostra rubrica duobus modis. Primo de sortilegijs, & quando sic legitur, loquitur de ipsis delictis, seu criminibus, quæ sortilegia vocantur. Secundo vero modo legitur de sortilegis, & quando sic legitur de ip-



sis hominibus artes diuinandi profitentibus intelligit.

Secunda obseruatio, Sortilegium dicitur à sorte & à legere, quasi sortilegiū sit legere vel dicere sortem. Sors autem varia significat. Primo, portionem hereditariam, quæ alicui obuenit, ca. clericos. dist. 21. Secundo significat fortunam vel euētum, siue sit bonus siue malus, cap. sors, 26. quæst. 2. Tertio significat debitum principale seu pecuniam principaliter debitam, cap. 1. & 2. de usuris. Quarto denique significat artem diuinandi, & sic pertinet ad nostrum institutum, & est idem quod sortilegium, cap. sortes, 26. quæst. 5. Ex quibus collige sortem in communi in bonam & in malam partem sumi, at vero sors in hac quarta significatione, prout est idem quod sortilegium, olim erat bona, quia non prohibebatur, hodie vero quia prohibita est, licet sit etiam bona quoad scientiam, tamen quoad usum mala est, vt colligitur ex hoc titulo.

Tertia obseruatio. Sors, seu sortilegium est scientia seu ars diuinandi per creaturas inferiores, & dico per creaturas inferiores, quia diuinare per Deum illuminantem, seu per lumen propheticum à Deo communicatum, non est sortilegium sed prophetia. Et sortilegus siue sortilegista est diuinator per creaturas, seu est ille qui sub nomine fidei religionis, per quasdam sortes vel diuinationes aliquam scientiam diuinandi profitetur, cap. 1. 26. quæstione 3. Et quoniam sortilegium omnes fere scientias diuinandi comprehendit, ideo eas in præsentibus proponamus, quas certe collectas alibi non reperies: & di.

& dicuntur diuinandi, quasi diuinæ, sicut diuinatores dicuntur, quasi diuini, quia diuinitate plenos se esse simulant, cap. igitur. 26. q. 3. Sunt autem scientiæ istæ Astrologia, quæ diuinat per motus, & radios stellarum & planetarum, Geometria quæ diuinat per terram, Hydromantia, per aquam, Aeromantia per aerem, Pyromantia per ignem. Catopromantia, per speculum, Lecanomantia, per pelues, Chiromantia per incisuras manuum. Necromantia, vel Neciomantia per umbrarum euocationes, & inferorum colloquia; & hoc est quod alias incantatio dicitur: & sub hac scientia continetur ars lamiarum, vulgo bruxas, Capromantia, per fumum. Physionomia per aspectum corporum, & præsertim per faciei aspectionem, Augurium, vel auspicium, per cantus vel volatus auium, Ariolum per nefarias preces circa aras idolorum emissas. Haruspicium per inspectionem horarum & dierum in agendis negotijs & operibus. Et denique ars diuinandi per somnia. Sciendum tamen est, quod etiam his omnibus artibus semotis, datur aliud genus sortis, quod æque bonum æque malum est, quo sæpissimè vtuntur pueri ad aliquid dirimendum, vel determinandum: & quo etiam in aliquibus prouincijs vtuntur ciues ad aliquos magistratus eligendos, quæ fors licet absolute prohibita non sit, prohibetur tamen nimis illius vsus, ne sub diuinationis specie ad antiquos idolatriæ cultus accedant homines: fieri autem solet varijs modis, præsertim tamen fiunt scriptis nominibus personarum, vel rerum, & diuisim,

in can.

ineantaro vel in aliquo vase positis, à quo aliquis puer, cuius nullus timeatur dolus, talia nomina extrahit, & publicè legendo nomen, cognoscitur, ad quem eorum fors peruenerit, & de his sortibus loquitur textus in capite, fors. 26. quæstione secunda, & §. optionis, instituta, de legatis, & forte crederem hac sorte fuisse Matthiam in Apostolum electum. c. non statim, 26. q. 2.

Hic titulus tria continet capita: non habetur in Sexto neque in Clementinis, & de eius materia agitur 26 quæstione 1. & quæstione 2. & quæst. 3. 4. & 5. & capite, non licet iniquitas, vsque ad finem quæstionis. 26. quæstione. 6. Quod vero in eo disputatur est, quòd furtum per sortilegium, vel astrolabij inspectionem inquirere prohibitum est, & quod electiones per sortes fieri non debent. Sè sus vero rubricæ facilis est, nam dicit, De sortilegijs, idest, De diuinationibus, seu sortibus.

### *De Collusione detegenda. Tit. XXII.*

**P**Rima obseruatio Quoniam de crimine falsi disputauimus, & postea de sortilegijs, ex eo quod in eis falsum continebatur, ideo modo de collusione disputandum erit, in qua etiam falsum contineri non dubitatur, cum semper colludentes aliud agant, & aliud simulent. Et dicitur, *De collusione detegenda*, quoniã collusio facta inter actorem, & reum sapissime detegitur à iudice per prosecutionem.

quationem in causa ex officio suo etiã recedẽte actori, seu accusatore: de quo actoris recessu per collusionem factõ, & iudicis prolecutione ex officio agitur in toto isto titulo. Licet aliquando ista rubrica sic inueniatur, *De collusionibus*, & aliquando, *De collusione*, in numero singulari, sine illa particula, detegenda.

Secunda obseruatio. Collusio est inter actorem & reum latens & fraudolosa conuentio, qua interueniente aliquando delicta manent impunita, cap. te. 1. & capite, audiuius & cap. vltimo isto titulo. Verbi gratia, litigant duo, & vidit reus se superaturum ab actore, & promittit ei centum, vt veras probationes simulet, & falsas defensiones admittat, vt pœnã sibi debitam vitet. ista cõuentio inter actorem & reũ dicitur collusio, in qua quoniam decipiũt iudicem, ideo si detegatur, certa eis imponitur pœna, de qua disputatur in toto isto titulo, & ff. & C. eodem. Alij sic definiunt collusionem. Est sinistra subdola & fraudulenta machinatio seu prætensio, qua aliquid simulatur, quod in veritate non est, vel qua, iusta actio alicui competens remittitur vel subtrahitur. Et dicitur collusio quasi sit cum alio ludere, id est, simul illudere tertium, vt docet Lexicon iuris verbo, colludere. Et committi potest collusio tam in ciuilibus, quàm criminalibus, & tam in temporalibus quam Ecclesiasticis. Et possunt colludere tam principales personæ, scilicet, actor & reus, quam procuratores & aduocati, vt docet Hostiensis in Summa, isto titulo, num. 1. Quid autem sit tergiuersari, præuaricari, & calumniari, quæ aliquantulum conducunt ad huius rubricæ

Rubricæ expositionem, iam diximus in hoc lib. tit. de calumniatoribus. obs. 2.

Hic titulus quatuor habet capita, non habetur in Sexto neque in Clementinis, & de eius materia agitur capite. 1. 9. quæst. 3. & §. fin. 2. q. 3. Quod vero in eo disputatur est. Primo, quod accusatore desistente potest iudex ex officio procedere. Secundo, quod colludens in causa beneficiali priuatur beneficio. Et tertio, quod absolutio facta per collusionem de criminibus illatis non impedit faciètem iterum accusandi, & inquirendi de illis criminibus. Sensus vero rubricæ est huiusmodi. *De collusione detegenda.* id est, de conuentione fraudulosa inter accusatorē, & accusatum super crimine, quam aliquando iudex detegit & punit.

*De delictis puerorum.* Tit. XXIII.

**P**rima obseruatio. Quoniam non solum delicta maiora maioribus commissa punienda sunt, ut vidimus in superioribus, sed etiam quæ à minoribus committuntur, ideo de delictis puerorum videmus.

Secunda obseruatio. Quid sit delictum iam vidimus in hoc libro tit. de crimine falsi, obseruatione prima, nam est idem, quod crimen: crimen autem est peccatum graue, accusatione & damnatione dignum, ea. 15. dist. 81. quæ delicta varia ac multiplicia sunt, ut iam ibi diximus, Et hæc vera sunt, quamuis aliqui dicant delictum proprie consistere in non fa-

ciendo, quia dicitur delictum quasi derelictum: nā hoc nobis non placet, quoniam Iustinianus, qui propriè semper loquitur in 4. lib. institutionum. tit. 1. in scribit rubrum de obligationib. quæ ex delicto nascuntur, & sub illo rubro agitur de furto, rapina, iniuria & damno dato, quæ certe non consistunt in nõ faciendo.

Tertia observatio. Pueri nomen eū significat, qui inter septennium & decimum quartum annum constitutus est, si fuerit masculus, vel inter eundem septennium & duodecimum, si fuerit foemina: quare puer erit idem quod impubes, & sic accipitur in præfenti titulo, de quo duo dicuntur. Primum est, quòd omne crimen potest committere præter crimen carnis: & pro omni est puniendus, mitius tamen quam adultus, cap. 1. iño tit. Secundum est, quòd pater ex delicto filij impuberis non tenetur cap. 2. infra eod.

Hic titulus duo continet capita: non habetur in Sexto neque in Clementinis, & de eius materia agitur 15. q. 1. per totum, & c. 1. 4. quæst. 3. & cap. parvulium duobus sequentibus, 22. quæst. 4. Quod verò in eo disputatur iam habetur in 3. obser. Sensus autè rubricæ est huiusmodi, *De delictis puerorum, id est, de criminibus impuberum.*

*De clerico venatore. Tit. XXIII.*

**P**rima observatio. Quoniam supra diximus de delictis puerorum quæ plerumque per lasciviã committuntur, ideo de venatione clericorum

quæ etiam lasciuia causa exerceri solet videamus, & ita proponitur rub. de clerico venatore. Vel continuatur sic: Visum est in superioribus de quibusdã delictis tam clericorum quam laicorũ, ideo de alijs tantum clericorum videmus. Et dico tantum clericorum, ex eo quia sunt res, quæ si à laicis fiant, delicta non sunt, & tamen si à clericis exercentur, delicta reputantur, vt venatio, de qua in hac rubrica disputandum erit. Quid autem, & quotuplex sit clericus iam vidimus in lib. 1. tit. de clericis peregrinis, obseru. 2. capitul. tamen in hoc tit. in communi pro omni clerico, etiam si fuerit Episcopus.

Secunda obseruatio: Venatio nomen est valde generale & commune, comprehendit enim quæcumque circumuentionem, qua homines vel bestias, vel alia animalia minora capimus. Vnde quatuor species venationum ponit Hostiensis in Summa hoc titulo, numero primo. Prima venatio est hominum oppressiua, s. vltimo. distinctione sexta, vbi dicitur: *Cepit Nemroth robustus venator esse coram Domi. o.* id est, hominum oppressor & extinctor, & hæc venatio hominibus illicita est, & prohibita, nam est idem quod decurrere fidelium vel infidelium terminos de prædando & captiuando, vel interficiendo. Secunda est adulatoria, quam faciunt hiltiones, vel citharistæ, vel alij similes, quando causa placendi venantur, & congregant homines, vt sibi aliquid dorent, capite, donate, distinctione octuagesima sexta, & hæc etiam omnibus est illicita & prohibita, quamuis hodie per tolerantiam

à laicis quos, *Representantes*, dici nus exerceatur. Tertia est, *arenatoria*, seu *arenaria*, cum quis in arena pugnat cum bestia, fera & dentata siue ad hoc locet operas suas, siue non, ca. qui venatoribus. dicta dist. 86. & hæc etiam omnibus illicita est & prohibita. Quarta denique est *aucupatiua*, quæ fit in nemore cum canibus, auibus, laqueis, & alijs instrumentis similibus. Quæ alia est clamorosa & saltuosa, & alia quieta, & recreatiua. Quæ duæ generaliter laicis sunt permissæ, & clericis sunt prohibitz, cap. 1. & 2. infra isto tit. quamuis recreationis vel necessitatis causa illa secūda clericis permittatur, vt docet glos. verbo voluptate, in dicto capite 1. isto tit. & glos. 1. in cap. venatoribus. dicta dist. 86. Causa autem huius prohibitionis ea forte est, quod Diuus Hieronymus dicere solebat, *Venatorem nunquam legimus sanctū* cap. 1. dist. 342.

Hic titulus duo habet capita: non habetur in Sexto, neque in Clementinis, & de eius materia agitur in capite, venatoribus, & in quinque capitibus sequentibus, distinctione 86. & capite primo, distinctione, 24. Quod vero in eo disputatur iam dixi in superiori obseruatione. Sensus vero rubricæ facilis est, nam dicit, *De clerico venatore*, id est, de clericis qui venationem exer-

cent,

De cler



## De clerico percussore. Tit. XXV.

**P**rima obseruatio, Quoniam clericus non solum per lasciuiam delinquit venando, sed etiã per elationem percutiendo delinquere solet, ideo de clerico percussore dicamus.

Secũda obseruatio, Percussor dicitur à verbo percussio, percussis, quod significat idem quod ferio: & est percussor is qui verberat leuiter, non subditum, vel subdicum crudeliter. In qua definitione dicitur, leuiter non subditum, quia cum in non subditum nullam habeat iurisdictionem videtur, quod quocũque modo verberet, siue leuiter siue crudeliter semper delinquat, & sit percussor. Et dicitur, vel subditum crudeliter, quia si leuiter verberet subditum, cum in eo habeat iurisdictionẽ & id de iure faciat, percussor non dicetur, cum nullum crimen committat, qua ratione Abbates vel Priores suos monachos multoties verberant. Ex quibus colliges, quæ percussio clericis sit permissa, & quæ prohibita. Permittitur enim percussio in subditos, si sit leuis, & moderata, dummodo Episcopus non percutiat proprijs manibus, sed per alium, qui non sit laicus, capite, vniuersitatis, de sententia excommunicationis. Prohibetur autem percussio in non subditos, vel etiam in subditos si fuerit crudelis, vel fiat proprijs Episcopi manibus, vel fiat per personam laicam, vt diximus.

Tertia obseruatio. Quidam volunt vt percussor etiam dicatur is qui prædicat continuo prolixè &

inutiliter. Vnde consequenter statuunt, duplicem esse percussorem, & duplicem percussorem scilicet, aliam spirituales, & aliam corporalem. Percussio spiritualis est prædicatio continua, inutilis, indebita, & proluxa ca. si rector, dist 44. Percussio vero corporalis est illa, quæ fit manu, vel pede, vel cù baculo vel lapide, vel alio genere armorum in corpore alicuius, capite, beatus, distinctione quadragesima quinta. In hoc tamen titulo non capitur percussor pro eo qui spirituali percussione percussit, sed pro illo qui corporaliter percussit, cuius pæna in capite primo, & secundo huius tituli proponitur, nam in capite tertio, & ultimo, solum explicatur, quomodo in quibusdam casibus homicidæ vel percussoris pæna à legibus imposita non incurratur.

Hic titulus habet quatuor capita, non habetur in Sexto vel Clementinis, & de eius materia tractatur in distinctione, 45. & capite, si quis omnem. i. questione ultima, & in paragrapho, similiter, & in capite sequenti, & penultimo, & capite, non licet, distinctione octuagesima sexta. Quod verò in eo disputetur, iam diximus in superiori observatione. Sensus verò rubricæ facilis est, nam dicitur:

De clerico percussore, id est, de clerico, qui corporaliter percussit aliquam personam.

(:)

Deus

## De maledicis. Tit. XXVI.

**P**Rima observatio. Licet quidam Codices hunc titulum non habeant, tamen in vulgatis Codicibus communiter habetur, quem sic continuamus. Quoniam non solum delinquit clericus per elationem & superbiam percutiendo, sed etiam maledicendo, ideo agendum est de maledicis, non de clerico maledico, ut quidam libri habent sic ab antiquis intitulati, quoniam in nigro non solum de clerico maledico, sed etiam & de laico maledico disputatur: nam prima decretalis pertinet ad clericos, & secunda ad laicos, ut legenti faciliter apparebit.

Secunda observatio: Maledicus dicitur ab adverbio, male, & à verbo, dicere, quasi maledicus sit, qui malè dicit. Quare maledicus si sumatur in communi & generali significatione, significabit hominem loquentem de alio, detrahendo ei, & eum deprimendo, ut habetur capite primo istius tituli: si verò in particulari sumatur, significat hominem detestantem vehementer maledicendo aliquam personam vel eius opera. Et hoc fieri potest tripliciter. Primò contra ipsum Deum, vel suos Sanctos: & sic maledicentes vulgo, *Blasphemos*, appellamus. Secundò, contra personas hominum, siue sit Princeps, siue aliquis alius superior, vel inferior. Et tertio deniquè contra opera earundem personarum. In hoc ergo titulo solum disputatur de blasphemantibus, seu maledicentibus contra

Papam, vt in capite 1. & de blasphemantibus contra Deum & Sanctos, atque beatam Virginem, vt in cap. 2. & vlt.

Tertia obsequatio. Breuiter in presenti aduertendum est, quod ad accusationem maledicorum contra Deum & contra Principem admittuntur omnes accusantes, scilicet miles, minor, infamis, pauper, familiaris, pater, filius, libertus, patronus & mulier, & certe coniurationem Lucij Catilinæ, quædam mulier Iulia nuncupata accusauit. Ad accusationem vero maledicorum contra alias personas non admittuntur ad accusationem, nisi illi quibus interest, vt in c. graue, de excessibus prælatorum. Qui omnes maledici varijs pænarum generibus puniuntur, de quibus vide Hostiensem in Summa, isto tit. num. 3.

Hic titulus duo habet capita, non habetur in Sexto neque in Clementinis, & de eius materia tractatur, dist. 46. & 24. quæst. 3. per totum. & 9. alia eadem, dist. 25. Quod autem in eo disputatur, iam diximus in secunda obseruatione. Sensus verò rubricæ est huiusmodi: *De maledictis*, id est, de blasphemantibus seu maledicentibus Papam, Deum, Sanctos, & Beatam Virginem.

*De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.* Titulus XXXVII.

Prima obser. Quoniam in superioribus vidimus de varijs delictis propter quæ interdum clerici suspenduntur, interdum deponuntur, & interdum

excom-

excommunicantur, & quandoque tales clerici sic  
suspensi, depositi, vel excommunicati celebrant, &  
diuinis officijs se ingerunt, & sic aliud delictum de  
nouo committunt, ideo agendum est de clerico ex-  
communicato deposito, vel interdicto ministrante,  
vt qua pœna puniendus sit videamus. Et licet in ali-  
quibus codicibus non legatur illa particula, *Deposito*  
melius tamen est, quod ponatur, nam de clerico de-  
posito ministrante disputatur in cap. *de* & in cap. *cle-*  
*rici*, & cap. *latores*, & in alijs capitulis isto titulo.  
Imo etiam addendum erat. *Et de clerico degradato, &*  
*irregulari, vel in loco interdicti ministrante*: nam de his  
omnibus etiam in hoc tit. disputatur, vt patebit ins-  
picienti singulas tit. decretales.

Secunda obseruatio. Vt videamus quid sit excom-  
municatus, quid depositus, & quid interdictus, om-  
nes voces per quas Ecclesiasticas censuras significa-  
mus erunt proponende: quæ sunt excommunicatio depo-  
sitiō. Interdictio, seu suspensio, degradatio, irregulari-  
tas, interdictū, & cessatio à diuinis. De quibus ad ma-  
iorem nostri tituli expositionem quid sint videamus  
mus. Prima ergo est excommunicatio, quæ diffini-  
tur sic. Est censura Ecclesiastica excludens aliquem  
à sacramentorum participatione si fuerit excommu-  
nicatio minor, vel etiam à fidelium communicatio-  
ne si fuerit maior, vt dicemus infra in titulo de senten-  
tentiæ excommunicatiōnis. Secūda est depositio, quæ  
diffinitur, priuatio à beneficijs, & dignitatibus: vbi  
nota, quod quantum sæpissime depositio, & degra-  
datio confundantur: tamen depositio proprie est

respectu beneficiorum, & dignitatum seu hono-  
 rum, at vero degradatio est respectu ordinum. Ter-  
 tia est suspensio, quæ est inhabilitatio ab administra-  
 tione ordinum vel officiorum, vbi nota, quod hæc  
 suspensio non est corporalis, nam hæc fit in patibu-  
 lo, sed spiritualis ab ordinibus, & officijs, nota  
 etiam, quod is qui suspensus dicitur aliquando ap-  
 pellatur interdictus, vt in capite clerici, & capite-  
 latores, isto titulo. Quarta est degradatio quæ diffi-  
 nitur, maiorum vel minorum ordinum priuatio.  
 Quinta est irregularitas, quæ est impedimentum  
 canonicum ex facto vel defectu proueniens ad or-  
 dines suscipiendos vel ad exercendum susceptos.  
 Sexta est interdictum, quod dicitur cessatio ab ad-  
 ministratione quorundam sacramentorum. Vbi no-  
 ta, quod hæc censura non est appellanda interdi-  
 ctum absolute, sed vocanda est interdictum Ecclē-  
 siasticum, vt per hoc distinguatur ab interdictis se-  
 cularibus, de quibus disputant legitur toto titulo. ff.  
 C. & inst. de interdictis. Septima denique est cessatio  
 à diuinis quæ est priuatio celebrationis diuinorum  
 officiorum. Quibus cognitis sciendum est, quod ea  
 quæ in hoc titulo disputatur solum est videre quam  
 poenam incurrant clerici ministrantes si fuerint ex-  
 communicati, depositi, interdicti, degradati, vel ir-  
 regulares, de quibus in nigro. *de interdictis*  
 Hic titulus habet decem capita, non habetur in 6.  
 neque in Clementinis, & de eius materia agitur ca-  
 piacuit, & capite ultimo. ii. q. 3. & in ea. accedens. d.  
 50. Quod vero in eo disputatur iam diximus in su-  
 periori

periori obseruatione . Sensus autem rubricæ est-  
huiusmodi. *De clericis excommunicato, deposito vel in-*  
*terdicto ministranti*, idest de clerico qui cum sit ex-  
communicatus, vel depositus, vel prohibitus cele-  
brate, nihilominus ministrat & celebrat.

*De Clerico non ordinato ministrante.*

**Tit. XXV III.**

**P**rima obseruatio . Quoniam disputauimus de  
clerico legitime ordinato ministrante, dum  
erat excommunicatus, depositus, vel interdi-  
ctus: ideo de illo qui sine ordinum susceptione mi-  
nistrat disputandum erit: & sic ponitur rubrica de  
clerico non ordinato ministrante. In qua posset quis  
dubitare, quare dicatur de clerico non ordinato mi-  
nistrante, nam si ordinatus nõ est quomodo clericus  
vocatur? Respondeo tamen, quod licet propter hanc  
rationem in multis antiquis codicibus solum legatur.  
*De non ordinato ministrante*, nihilominus tamen cõ-  
muni legendum est prout à nobis in presenti scribi-  
tur: quoniam licet vere non esset clericus, tamen  
clericus reputatur, alias enim nullus permetteret ei  
de facto administrare: tum etiam quoniam in hoc  
titulo non solum disputatur de illo ministrante qui  
nullo modo ordinatus est, sed etiam de illo qui li-  
cet aliquo ordine sit ordinatus, ministrat tamen in  
ordine quem non suscepit, ut si is qui diaconus tan-  
tum est. Missam celebraret de quo in cap. 1. isto titu-  
lo disputatur.

Secunda

Secunda observatio. In hac rubrica nō est aliquid quod in eius expositione ingerat difficultatem & sic breuiter ab ea nos expediemus. Solum enim dicendum est primo capite, doceri, clericum ministrantem in ordine quem non suscepit esse deponendum, & amplius non ordinandum. In secundo capite dici, diaconum Missam celebrantem à diaconatu suspendendum per biennium vel triennium, & in poenam tanti delicti, non esse ad sacerdotium promouendum. Et his duobus dictis concluditur totum nigrum huius tituli.

Hic titulus duo habet capita, non habetur in 6. neque in Clementinis, & de eius materia non video ubi ex professo in decreto disputetur. Quod autem in eo agitur iam dixi in superiori obseruatione. Sensus rubricæ est huiusmodi. *De clerico non ordinato ministrante*, id est de illo clerico qui ministrat in ordine quem non suscipit.

*De Clerico per saltum promotō. Tit. XLIX.*

Prima obseruatio. Quoniã disputatū est de clerico, qui ordine non suscepto ministrabat, modo agendū est de eo, qui nō suscepto ordine anteriori suscipit ordinem subsequenter, saltando ab vno ordine ad alium, relicto alio ordine medio quē saltauit, & sic ponitur rubrica. *De clerico per saltum ordinato seu promotō.*

Secunda obseruatio. Quid sit saltus, & quid promotus in presenti videndum erit. Et quidem saltus tria significat, primo saltationē seu saltatū, seu id quod vulgo



vulgo dicitur. *Dax 31.* Secundo significat syluam vbi  
 pascuntur pecudes. Tertio denique significat mo-  
 tum ab vna re in aliam, vel ab vno loco in alium in  
 tacto medio. Et sic accipitur in presententi titulo. Pro-  
 motus est qui cum esset in aliquo statu inferiori, ad  
 alium superiorem mouetur: dicitur enim promotus  
 à pro, & motus. Promouentur autem homines ad va-  
 rias res, & dignitates: licet in presententi tantum acci-  
 piatur pro eo qui promouetur ad aliquem ordinem  
 suscipiendum. Quare ex predictis vocibus compo-  
 nitur nostra rubrica, de clerico per saltum promotus.  
 Cuius sensus est, id est de illo qui non gradatim ad  
 ordines accedit, sed præpostere, aliquibus ordinibus  
 medijs præterminissis, capite. sollicitudo, distinctio 52.

Tertia observatio. Clericus per saltum promotus,  
 si ignoranter id fecit, pœnitentia peracta potuit, il-  
 lo ordine prætermisso seu saltato decorari, & deinde  
 de eum eo dispensari in ordine per saltum suscepto.  
 Vt verbi gratia, subdiaconus ignoranter per saltum  
 promotus ad sacerdotium, peracta pœnitentia pote-  
 rit in diaconum ordinari, & in sacerdotio per sal-  
 tum suscepto dispensari, vt celebret. Et hæc sunt  
 quæ in toto nigro huius tituli disputantur.

Hic titulus vnicum tantum habet caput, non ha-  
 betur in 6. neque in Clementinis, & de eius materia  
 agitur, capite. sollicitudo, cum glossa eiusdem, capite  
 distinctione. 52. Quod vero in hoc titulo disputa-  
 tur iam dixi in superiori obseruatione. Sen-  
 sus etiam rubricæ iam est explica-

tus in obseruatione. *De eo*

*De eo qui furtive ordinem suscepit. Tit. XXX.*

**P**rima observatio. Quoniam egimus in titulo superiori de his qui per saltum promouentur agenda modo erit, de his qui furtive ordinem suscipiant, quales sunt illi qui sine licentia superioris vel sine examinatione, vel alijs modis de quibus sequenti observatione dicemus, ordines recipiunt, scilicet, immiscendo se cum multitudine ordinandorum ignorante ordinatore.

Secunda observatio. Per furtum dicitur ordinem suscipere is, qui clandestinè promouetur, capite ultimo, isto titulo, hoc autem contingit multis modis ut docet Hostiensis in summa in principio isto titulo. Primo quando quis sine scientia proprii Episcopi vel sine examinatione promouetur, capite extra conscientiam, distinctione 44. Secundo quando datus quatuor minoribus ordinibus, vna & eadem die subdiaconatum accipit, capite secundo, isto titulo. Tertio quando quis duos sacros ordines simul recipit, capite ultimo, isto titulo. Quarto denique quando est per saltum ordinatus, nam tunc ordo per saltum datus, dicitur furtive susceptus, de quo in capitulo supra sit proximo.

Tertia observatio. Circa poenam eorum qui furtive ordines suscipiunt dicimus: quod furtive ordinatus non poterit ministrare in ordine furtive suscepto, neque amplius ad alios ordines promoueri. Circa disputationem vero harum poenarum dicimus, quod si contra furtive ordinatos sit poena excommunicata.

municationis apposta, solum Papa poterit cum eis dispensare, si vero apposta non fuerit, poterit ordinarius. Et hoc est, quod in toto nigro huius tituli continetur.

Hic titulus habet tria capita, non habetur in 6. neque in Clementinis, & de eius materia agitur, capite. Solonitanæ, dist. 63. & capite. Lugdun. 9. quæst. 2. Quod autem in eo disputatur iam dixi in superiori observatione. Sensus vero rubricæ est huiusmodi. De eo qui fortune ordinem suscepit, id est de illo clerico qui clandestinè ordinem suscepit, scilicet, immiscendo eum cum multitudine ordinandorum, id ignorante ordinatore.

*De Excessibus Prælatorum, & subditorum.*

*Tit. XXXI.*

**P**rima observatio. Quoniã multifariam per diuersas rubricas ostensum est in superioribus, quod in pluribus contingit clericos delinquere, & superiores, & iura Ecclesiastica offendere: idcirco ne præiatis ex hoc aliqua subrepat elatio, subiicitur hæc rubrica de excessibus prælatorum in subditos, & quia etiam subditi in prælatos delinquunt, adiungitur de excessibus subditorum, sicque tota rubrica scribitur. De excessibus prælatorum, & subditorum. Licet alias scribatur. De excessibus prælatorum in subditos, & subditorum in prælatos. Vel alias etiam ceteris demptis solum scribitur. De excessibus prælatorum.

Secunda observatio. Excessus nomen, venit ab excedere, quod primo significat superare, & antecellere; & secundo significat ultra transire seu egredi termino, & sic accipitur in presenti: nam prælatus qui in subditos supra modum manum imponit transit ultra limites, & terminos rectæ rationis, & rectæ administrationis. Et è contra subditos qui per inobedientiam, vel alio quocunque crimine offendit in perniorem, etiam excedit, & transit prædictos limites & terminos. Præterea Prælatus est qui subditos habet, & iurisdictionem in eos. Et subditus erit qui prælato subiicitur. Et hæc facis sine dicta ad nostræ rubricæ expositionem, nam si quæ continentur in nigro essemus explicaturi, non potuissemus maximo temporis spatio consumpto, ad finem optatum pervenire. Sciendum tamen est præcipuum excessum prælatorum qui in presenti coercetur esse avaritiam, quæ est omnium malorum radix, ut docent Ambrosius in bonorum. dist. 47. Et hoc vnum etiam sciant prælati, quod non sunt domini aut percussores inferiorum, sed pastores; & sic gregem sibi commissum sicut filium diligant, atque moribus, & doctrina pascant, & ei necessaria ministrent, nam Ministri, vocatur à D. Chrylost. hom. 3. in Epist. ad Philippenses.

Hic titulus decem, & octo habet capita, habetur in 6. & Clementinis, & de eius materia agitur, d. 86. per totum, & 2. q. 1. per totum. Quod vero in eo disputatur quantum ad prælatos est. Ne prælati grauent subditos, ne adimant ab eis Ecclesias, ne retineant sibi beneficia vel personatus, ne frangant inferiorum priui-

privilegia, ne indignis beneficia conferant, & ne grauent religiosos. Quantum ad subditos vero dicitur ne sint incontinentes, ne gloriantur cum male fecerint, ne homicidia committant, ne usurpent dignitatem, & officium superiorum, ne reuelent poenitentias, ne sine licentia collegium construant, ne inuadant vel negent praelatum suum, & ne frangant interdictum superioris. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. *De excessibus praelatorum & subditorum,* id est de excessibus praelatorum in subditos per nimium imperium, & de excessibus subditorum in praelatos per inobedientiam,

*De noui operis nuntiatione. Tit. XXXII.*

**P**rima obseruatio. Quoniã præmissum est supra de excessibus praelatorum & subditorum, in genere, & in comuni, & subditi vel praelati aliquando edificando excedunt, ideo de hoc excessu in particulari videndũ erit. qui excessus, quia per noui operis nuntiationem restringitur, & coercetur, ideo de operis noui nuntiatione in præsentibus rubricis pertractatur.

Secunda obseruatio. Vt hanc rubricam luce meridiana clarius explicemus de singulis illius partibus videamus, vt sic appareat quid sit noui operis nuntiatione. Et in primis, nouum est quod recens, & nuper fuit factum. In noua fert animus mutatas dicere formas, licet aliquando nouum accipiatur proprie magna, & miranda, & aliquando pro re inopinata, vt testatur Calepinus in verbo nouus. Præ-

terea opus, aliquando significat ipsam operam seu operationem, vel actum operandi, & aliquando, & magis proprie significat ipsam rem post operationem relictam, ut domus, arca, vel scamnum. Et in hoc titulo tam vno quam altero modo capitur, nam per noui operis nuntiationem, non solum prohibetur actualis operatio, seu actu facere opus, ut in capite significante, & in capite ultimo, isto titulo. Sed etiam prohibetur opus iam factum seu operatum si operatum, & perfectum est post factam nuntiationem, nam virtute talis præcedentis nuntiationis à iudice opus rescinditur seu demolitur, ut in capite 1. & 2. isto titulo. Denique nuntiatio quandoque significat idem, quod certiorum facere, quandoque vero idem, quod prohibere, & sic accipitur in nostro titulo quando dicitur de operis noui nuntiatione ita ut sit sensus, id est de noui operis prohibitione.

ob. Tertia observatio. Cognitis diuisim vocibus ex quibus conficitur nostra rubrica facilis erit illius expositio. Sciendum enim est, quod per hoc edictum de noui operis nuntiatione, statuitur, & permittitur, ut siue iure, siue iniuria opus nouum fiat, possit per nuntiationem legitimam inhiberi. Et est hoc edictum aduersus opera quæ solo cedunt si fiunt de nouo, vel si facta sunt post nuntiationem, non vero aduersus ea quæ iam sunt facta, & perfecta ante nuntiationem: nam aduersus hæc, non competit interdictum de noui operis nuntiatione, sed erit procedendum interdicto, quod vi, aut clam: vel alio simili. Et dicitur opus nouum facere qui xdicando

ficando de nouo aut detrahendo aliquid ex veteri opere pristinam faciem operis immutat, l. prima. §. apud nouum, ff. de operis noui nuntiatione.

Quarta obseruatio. Operis noui nuntiatio sic definitur. Est prohibitio legaliter facta illi qui de nouo in alterius præiudicium ædificat, l. prima. ff. isto titulo. Hæc autem prohibitio fieri potest, à quocunque cui interest nuntiare etiam si sit seruus, l. prohibere. §. si quis per seruum. ff. quod vi aut clam. Et potest fieri cuicumque existenti in nouo opere siue fuerit seruus siue liber, dominus, vel faber, malculus vel foemina, maior, vel minor: nam sufficit sic facere nuntiationem, vt domino possit reuelari seu renuntiari, l. de pupillo. §. nuntiare autem, ff. isto titulo: Et sic talis operis noui nuntiatio tribus de causis. Primo ad conseruandum ius nostrum. Secundo ad repellendum damnum, quod nobis inferetur. Et tertio ad publicum ius conseruandum. l. 1. §. nunc videamus, & §. nuntiatio, ff. isto titulo. Hoc tamen priuilegium concessum est nuntianti nouum opus, quod potest eligere, vt vel satisfactionem de opere demoliendo accipiat, & interim ædificare permittat, vel vt compellat construentem cessare, quousque ipse doceat ædificantem nullum ius ædificandi in eo loco habere: qua in re triū mensium spatium definitum est in capite vltimo, isto titulo.

Quinta obseruatio. Nuntiatio noui operis tribus modis fieri potest. Primo per verba quando, scilicet,

is cui interest opus nouum non fieri verbaliter illud prohibet. Secundo per prætoris inhibitionem, ut si quis cui interest nouum opus non fieri requirat prætorem, ut nouum opus impediatur, & prætor id faciat. Tertio denique per iactum lapidis vel lapilli, quando scilicet, is cui interest opus nouum non fieri, accedit ad opus, & præsentem aliquo cui nuntiare potest, eicit lapidem in opus, & statim nutu ostendit, se illud opus prohibere. De quibus omnibus vide, l. de pupillis §. meminisse. ff. isto titulo vbi assignatur differentia inter nuntiantem per verba, & nuntiantem per prætorem vel lapilli eiectionem: quod ille si erat possessor perdit possessionem, & facit aduersarium possessorem, isti verò id non faciunt, neque possessionem perdunt si illam habebant.

Hic titulus habet quatuor capita, non habetur in 6. neque in Clementinis, & non dicitur vbi de hac materia tractatur in decreto. Quod vero in eo disputatur est, quod etiam Ecclesia edificata post nuntiationem est destruenda expensis edificantis, & quod eligere debet nuntians, si voluerit, quod cessetur ab opere, ut intra tres menses ostendat suum præiudicium, vel si voluerit recipere cautionem de opere demolendo, & permittere edificare dum ipse ostendit præiudicium suum. Sensus autem rubricæ iam est explicatus in secunda obseruatione.

De præiudicio



De privilegijs, &amp; excessibus privilegiatorum.

Tit. XXXIII.

**P**rima obseruatio. Quoniam titulo superioris diximus, quod nullus edificare debet in alterius praeiudicium post nuntiationem noui operis, & quia haec quaestio plerumque per privilegia concessa terminatur, plerumque etiam obtentu privilegij concessi iste excessus committitur; ideo ut de eis plenam notitiam habeamus, proponamus rubricam de privilegijs, & excessibus privilegiatorum quemadmodum apponitur in Clementinis, non vero de privilegijs solum, quemadmodum proponitur in sexto, & extrauagantibus Ioann. 22. & in extrauagantibus communibus.

Secunda obseruatio. Privilegium, quidam dicunt putant ab eo, quod priuat legem, sed melius est dicere, quod dicatur ex eo, quod fit lex priuata, id est alicui propria; & in illius fauorem concessa; nam in capite, privilegia, distinctione 3. dicitur, quod privilegia dicuntur, quia in priuatos feruntur, & ex §. ultimo, & versi. privilegia. & quaestione 1. colligitur, quod privilegia sunt quasi priuata legia, eo quod priuata legem generant: unde vocantur constituciones personales, quae ad exemplum non trahuntur. l. 1. ff. de constitutionibus principum, & sic canitur in iuris beneficiis in l. penultima. ff. eodem. Est autem privilegium ius singulare contra ius commune introductum, ut docet Medicus, in quarta parte de distinctionibus,

bus, capite decimo septimo, numero primo. & Hostiensis in summa isto titulo, numero primo. In qua diffinitione, *Ius*, habet locum generis. Et dicitur *Singulare*, quia in fauorem singularis personæ, vel rei, introducitur, & ad alia non extenditur, capite. quod alicui de reg. iur. libro sexto. Et denique dicitur. *Contra ius commune introductum*: quoniam semper priuilegium debet aliquid specialiter operari contra ius commune, capite. in his isto titulo, capite. Abbate §. contra, de verborum significatione, de eo enim, quod habetur de iure communi, non est necessarium priuilegium, nam vt communiter dicitur. *Frustra precibus impetratur, quod de iure communi conceditur*, dicit. §. contra. infra de verborum significatione.

Tertia observatio. Priuilegiorum dux sunt diuisiones. Prima est priuilegium aliud generale aliud speciale. Generale est, quod plures articulos continet vel pluribus rebus aut personis conceditur. Speciale vero est, quod vni soli homini vel vni loco, vel vni rei conceditur vel vnum solum articulum continet. Hæc tamen diuisio non est multi momenti, nam idem priuilegium si comparatur ad aliud magis generale, dicitur speciale, & si comparetur ad magis speciale dicitur generale, sicut idem homo est maior & minor respectu diuersorum. Secunda diuisio est, priuilegium aliud reale, aliud personale, & aliud corporale. Priuilegium reale est, quod conceditur alicui rei vel aliquibus rebus, vt templo, vel molendino. Personale est, quod conceditur vni vel

vel pluribus personis constituentibus aliquod corpus, ut sunt hic homo in particulari, vel omnes populi, vel omnes mulieres, quæ corpus aliquod vel congregationem non constituunt. Corporale denique est, quod conceditur multis personis constituentibus vnum corpus, & vnam communitatem, ut collegium vel conuentus. Et hanc diuisionem recte perpende, quoniam communiter non diuiditur priuilegium nisi in reale, & personale: quod certe difficile fieri potest, nam priuilegium corporale neque continetur sub reali, neque sub personali: non sub reali, quia non conceditur rei sed personis: & non sub personali, quia licet concedatur personis, tamen non datur eis prout personæ sunt, sed prout constituunt vnum corpus, & vnam communitatem taliter, quod singuli eorum non possunt tali priuilegio uti. Quare saluo meliori iudicio, sic libuit illam proponere.

Quarta obseru. Tam priuilegium reale, quam personale, vel corporale etiã diuidi potest in duo membra: nã reale aliud est singulariter reale, aliud cõmuniter reale Et personale, aliud est singulariter personale, & aliud cõmuniter personale. Et denique corporale, aliud est singulariter corporale, & aliud cõmuniter corporale. Ad quas diuisiones intelligẽdas nota, quod priuilegium singulariter, est quod nominatim, & in particulari alicui vel aliquibus conceditur nominando propria nomina: & priuilegium cõmuniter est, quod multis nomine cõmunitatis conceditur non nominando nomina propria

pria singulorum. Explicamus hoc in privilegio personali. Privilegium singulariter personale est, quod conceditur Petro vel Ioanni, vel aliquibus alijs personis nominando suis proprijs nominibus. Privilegium vero communiter personale est, quod conceditur communitati personarum, non nominando eas proprijs nominibus, quale est privilegium, quod conceditur minoribus circa restitutionem in integrum, l. i. & per totum. ff. de minoribus. Vel quod conceditur mulieribus, circa fideiussiones ex ienatus consulto Velleiano, vt patet. ff. & C. ad Velleianum per totum. Et cum his absoluitur huius nostre rubricæ, de privilegijs, & excessibus privilegiatorum, expositio: nam explicare quid sit excessus, iam patet ex titulo de excessibus prelatorum, & subditorum: & explicare quid sit privilegiatus, iam patet ex dictis in superioribus observationibus.

Hic titulus habet triginta, & tria capita, habetur in sexto, & Clementinis, & extrauagantibus communibus, & etiam in extrauagantibus Ioannis 22. & de eius materia agitur, 25. questione secunda per totum & capite privilegia, distinctione tertia, & capite. Episcopo, §. sola, vsque ad finem, nona questione tertia, & capite privilegium, 11. questione tertia, & capite. quibus & diuini 12. questione secunda. Quod vero in hoc titulo disputatur est, quemadmodum intelligi debeant privilegia, quibus concedantur ad quos extendi possint, ea non esse violanda, & alia

alia similia. Sensus verò rubricæ est huiusmodi, *De privilegijs & excessibus privilegiatorum*, id est, de iuribus singularibus contra ius commune concessis, & de his qui talium iurium seu privilegiorum prætextu excessus committunt.

*De purgatione Canonica. Tit. XXXIII.*

**P**rima observatio. Quoniam supra visum est de varijs delictis tam prælatorum quàm subditorum, agendum erit iam de purgatione, qua delicta omnia purgari possunt, nisi fuerint iã probata, vel ita notoria & manifesta; vt nullus sit inficiationis locus, quoniam tunc non indicitur purgatio, sed debita pronunciatum sententia. cap. cum dilectis, ver sic his igitur, isto titulo. Purgatio autem duplex est, alia Canonica, quæ ideo Canonica dicitur, quia est admissa & statuta per Canones: & alia vulgaris, quã vulgus introduxit. Ex quibus duabus, de priori in hac rubrica disputandum erit, quoniam est nobilior & præstantior posteriori, de qua in sequenti titulo disputabitur.

Secunda observatio. Purgare est purum agere, seu purum educere, & ostendere. Vnde per translationem significat se excusare, vt docet Calepinus in verbo, purgo: quia certe is qui se excusat, purum agit, id est, purum se esse ostendit. Hinc descendit purgatio, que vt dixi duplex est, sed quia de Canonica disputamus ideo eius definitionem tradamus in præfati, quæ sic se habet. Purgatio Canonica est de obiecto crimi-

ne innocentiae ostensio: sic definit Lexicon iuris in in verbo purgatio, & Hostiensis in Summa isto titulo. num. 1. Sed quoniam praedicta definitio conuenit purgationi in communi, scilicet, tam vulgari quam canonicae, ideo aliam tradamus, quae canonicae purgationi tantum conueniat, & est huiusmodi. Purgatio canonica est declaratio innocentiae canonice facta, ad suspicionem tollendam, ob malam famam illatam, quae definitio colligitur ex cap. moniales. & capite, siquis in gradu, & cap. siquis presbyter, inf. isto titulo.

Tertia observatio. Forma, quae in hac purgatione canonica observatur est, quod quando quis inter bonos & graues viros infamatus est de aliquo crimine recedente seu deficiente accusatore, & legitima probatione se purgavit, hac ratione, quod tactis Euangelijs iurauit tale crimen de quo accusatur non perpetrasse, neque per se, neque per tertiam personam, neque aliquem eo sciente illud commisisse: & adhibitis compurgatoribus secundum numerum necessarium, attenta qualitate personae & criminis, qui sint viri bonae famae, honesti, & qui bene cognoscant eum quem purgant, iurabunt etiam tactis Euangelijs se credere tale crimen non fuisse perpetratum ab eo quem purgant, & eum veritatem fuisse iuratum, capite, quoties, & capite vltimo isto titulo. Unde compurgator sic potest describi. Est vir probus & bonae famae, qui adhibetur purgatori, vt liberet eum ab infamia, iurando illud crimen de quo accusatur se credere ab illo non fuisse commissum. Vbi nota dicitur.

differentiam iuramenti inter purgatorem & compurgatorem, quòd purgator iurat se crimen non commisisse, & compurgator solum iurat se credere illud commissum non fuisse, capite, quotiens infra isto titulo.

Quarta obseruatio. Deficiens in purgatione est is, qui ab infamia criminis illata non potuit se excusare, vel quia ipse noluit iurare, vel quia non fuerunt inuenti compurgatores, qui eum purgare velent. Pœna autem deficientis in purgatione ea est, quòd puniatur eodem modo, atque puniretur, si conuictus fuisset de crimine. Vnde si quis sit infamatus de crimine propter quod meretur depositionem, si in purgatione talis infamiae deficiat, erit deponendus, vt probatur in cap. cum S. Manconella, infra isto tit.

Hic titulus habet sexdecim capita, non habetur in Sexto, neque in Clementinis, & de eius materia disputatur. 2. quæstione quinta, per totum, & 25. quæstione quinta. Quod autem in eo disputatur est, quibus indicatur purgatio, quomodo fiat & quam pœnam incurrant, qui in purgatione deficiunt, & quales debeant esse compurgatores, & alia similia. Sensus verò rubricæ est huiusmodi.

De purgatione canonica, idest, de declaratione innocentie canonicè facta super obiecto crimine.

De pur-

## De purgatione vulgari, Tit. XXXV.

**P**rima observatio. Quoniam in superiori titulo de purgatione Canonica disputandum erit, ideo in presenti de purgatione vulgari videndum erit: quæ ideo vulgaris dicitur, quia non per sacros Canones sicut superior adinuenta fuit, sed vulgus eam introduxit, & potest addi huic rubricæ illa particula, *prohibita*: ita ut sensus sit, *De purgatione vulgari prohibita*.

**Secunda observatio.** Purgatio vulgaris, dicitur vulgaris à vulgo, quia vulgus, instigante Diabolo, eam introduxit, ut supra diximus: & potest definiti sic. Purgatio vulgaris est probatio innocentiae, quæ vulgus sequitur, & Canones reprobant, facta per duellum, aquam frigidam, ferrum candentem, panem & caseum benedictum, deambulationem super ignem, & alia similia, cap. ex tuarum de purgatione canonica, cap. 1. & finali, isto titulo, & cap. monachiam, l. quæst. 5. ut verbi gratia, si quis accusatus erat de aliquo crimine, & dabatur ei purgatio vulgaris ferri candentis, convocatis accusatoribus coram iudice (si res in iudicio litigabatur) & alijs probatis hominibus, in confirmationem & probationem sue innocentie ferri candentem manu nuda capiebat, qui si sentiebat dolorem, ut convictus condemnabatur, si verò sine læsione ferrum sustinebat, iudicabatur innocens: in quo Deus tentabatur, & innocens multoties condemnabatur, ut in sequenti observatione dicemus.

Terria



Tertia observatio. Purgatio vulgaris ob tres cau-  
 sas per sacros canones, præsertim prohibita est. Pri-  
 ma est quia in ea sæpissimè contingit, vt condem-  
 netur absolvens, & absoluat condempnandus,  
 c. significantibus, isto tit. Secūda est, quia inuēta fuit  
 à Diabolo cap. Mennam, & capite, consuluitis. 2. q.  
 5. Tertia denique est, quoniam Deus in ea tentari vi-  
 detur. cap. fin. infra isto tit.

Hic titulus habet tria capita, non habetur in Sex-  
 to, neque in Clementinis, & de eius materia tracta-  
 tur cap. Mennam, & cap. consuluitis, & in alijs capi-  
 tibus, 2. quæ. l. 5. Quod autem in eo disputatur iam  
 est dictum in superioribus observationibus. Sensus  
 vero rubricæ est huiusmodi. De purgatione vulgarī, id  
 est de probatione innocentie per modos illicitos à  
 vulgo introductos.

*De iniurijs & damno dato, Tit. XXXVI*

PRIMA observatio. Quoniam supra tractatum est  
 de criminibus & excessibus, ex quibus iniuriæ &  
 damna oriuntur, ideo de iniurijs & damno d. et di-  
 sputando erit. Vel potest continuari sic. Quoniam  
 accusatore deficiente in probatione, & purgatione  
 canonica prælitæ absoluitur reus, & sic accusator si  
 ne denunciator actione iniuriarum & damno dato  
 tenetur, capite, olim, isto tit. ideo præmisso tractatu  
 de purgationibus, videndum erit de iniurijs & dan-  
 no dato.

SECUNDA observatio. In hac rubrica duo sunt par-  
 tes:

res: prima de iniurijs, secunda de damno dato. Et ad primam accedendo dico, iniuriam ideo dictam esse quod non iure fiat, ~~omne enim~~ quod non iure fit generaliter iniuria fieri dicitur, nam duobus modis potest sumi, vno modo in communi, & sic vt diximus, significat omne id quod non iure fit: alio modo in particulari, & sic aliquando significat contumeliam quæ à contemnendo dicitur, aliquando significat culpam, & denique aliquando iniquitatem, seu iniustitiam. Quæ omnia probantur in principio institutz de iniurijs. In hoc tamen titulo accipitur iniuria in communi, ea scilicet ratione, qua significat omne id quod non iure fit, vt patet in nigro b. l. 1.

**Tertia observatio.** Iniuria varijs modis fieri dicitur, qui ad tres possunt facile reduci, vt communiter ab omnibus reducuntur, scilicet, re, verbis, & literis. Re vt quando quis est fustibus cæsus, vel verberatus, vel pugno pulsatus, vel manibus, vel alijs instrumentis percussus, §. iniuria, inst. de iniurijs. Verbis, vt quando fit conuitium: & dicitur, conuitium, à concitatione vel conuentu, idest, à collectione vocum, cum enim in vnum plures voces contumeliose conferuntur, conuitium dicitur, l. item apud Labeonem. §. conuitium. ff. de iniurijs. Literis denique fit iniuria, cum quis librum seu libellum, vel carmè, vel historiam ad infamiam alicuius pertinentem scripsit vel cõposuit, vel edidit, l. Lex Cornelia, §. si quis librum, ff. isto tit. Quibus omnibus modis non solù per nos metipfos iniuriam accipimus, sed etiam per liberos, quos habemus in potestate, & per vxorem, & per

& per nurum, quando eius maritus, idest filius meus est in potestate, § patitur, inst. de iniurijs, & aliquando etiam per seruos nostros, §. seruus. inst. eod.

Quarta observatio. Ad secundam partem rubricę venientes dicimus, damnum datum nomine iniuriarum fuisse comprehensum, cum accipiatur iniuria in cõmuni pro eo quod nõ iure fit, & damnũ datũ dicatur malũ seu incõmodũ alicui, factũ, vel in persona, vel in rebus, vel in fama, siue id fiat per se, siue per seruũ, siue per bouẽ, vel aliquod aliud animal, cuius ipse sit dominus, vt in cap. si bos. & c. si læserit, infra isto tit. Sed dices, quare ergo si damnum datũ, sub iniuria continetur. Postquam rubrica nostra dicit, *De iniurijs, addit, & damno dato.* Respondeo, hoc ideo esse, quia licet iniuria in latissima significatione comprehendat damnum, tamen si propriè & in particulari sumatur, damnum non comprehendit, imo potest fieri damnum, sine iniuria, vt in capite 1. & cap. si egressus, isto titulo: maioris ergo claritatis gratia postquam dicit, *De iniurijs, addit, & damno dato.*

Hic titulus habet nouem capita: Habetur in Sexto, non verò in Clementinis, & de eius materia agitur, 23. quæstione. 2. & capite illud. 15. quæstione 1. Quod vero in eo disputatur est, de pœnis eorum, qui faciunt damnum, vel iniuriam. Sensus autem rubricę est huiusmodi. *De iniurijs & damno dato, idest, de eo, quod non iure fit, sed potius alicui damnum irrogat.*

De pe-

## De penis. Titulus XXXVII.

**P**rima obseruatio. Quoniam hucusque satis tractatum est de diuersis criminibus, quæ puniendæ sunt, nam vt dicitur in l. ita vulneratus §. finali ff. ad legem Aquilianam *Expedit Republicæ, ne crimina remaneant impunita*, ideo conuenienti loco de penis ipsis criminibus imponendis erit disputandum.

Secunda obseruatio. Pæna dicitur à puniendo, quia punit & vindicat malū quod cōmissum est, quā alij vt Medices 2. p. de definitionibus. c. 35. in fi. sic definiūt: Pæna est noxiæ vindicta, seu omniū delictorū coertio. Alij vt Hostiensis in Sum. isto tit. num. vi. definiunt sic: Pæna est delictorum debita coertio, seu satisfactio à lege vel alio iure limitata. Alij verb sic: Pæna est delictorū satisfactio quæ vel à lege vel à ministro legis imponitur. Alij deniq; sic: Pæna est delicti supplicium. Ex quibus definitionibus elige quæ volueris, nam omnes satis exactæ sunt.

Tertia obseruatio Pænarū triplex est genus. Aliæ enim sunt personales, aliæ reales, & aliæ mixtæ. Et loquimur secundum ius Canonicum, nam quæuis etiam secundum ius Ciuile hac ratione diuidi possunt, tamen de illis disputare, non pertinet ad nostrū institutum. Personales ergo sunt, quæ personas tantum attingunt, veluti interdictio, depositio, suspensio, excommunicatio, incarcerationio, verberatio, intrusio, priuilegij denudatio, seruitus, & curiæ secularis expositio. Reales sunt illæ, quæ in odium personarū rebus imponuntur, vt missio in possessionem, beneficij

fici, suspensio, beneficij priuatio, rerum omnium cōfiscatio, & pecuniæ mulctatio. Mixtæ denique sunt illæ quæ partim sunt personales, & partim reales, veluti interdictum, absolutio vassallorum à fidelitate, priuatio iuris patronatus, extractio Reliquiarum de Ecclesia, & aliæ similes in varijs locis per ius Canonicum sparsæ.

Quarta obseruatio. Vt quid sit pæna clariùs videatur, sciendum est, pænam & mulctam sic distingui in aliud est fraus, ff. de verb. signifi. scilicet, q̄ pæna est certa & determinata, & datur generaliter propter quodcumque delictum: cum definiatur omnium delictorum coertio. Mulcta verò est quædam particularis pæna specialis peccati, cuius animaduersio hodie pæna pecuniaria est, & fit ad arbitrium illius, qui illam imponit, & vt in plurimum, ibi ponitur, vbi pæna non est à lege imposta, dicta. l. aliud est fraus, ff. de verb. signific.

Hic titulus habet tredecim capita, habetur in Sexto, & Clementinis, & Extrauagantibus Ioannis Vigesimi secūdi, & in Extrauagantibus communibus, & de eius materia agitur, 23. quæst. 4. & 5. per totum, & capite quamquam, distinctione 23. & capite, in antiquis, vsque ad §. verum id. 12. quæst. 2. & 16. quæstione. 1. & quæst. 6. quasi per totum, & in multis capitibus, distinctione. 81, Quod verò in eo disputatur est. Primum, quòd quoties quis deliquit, toties puniatur. Deinde multorum pœnæ proponuntur, scilicet, interficientis clericum, victi in lite, clerici militantis, clerici committentis magnum scelus, nō obser-

uantis contractum, non solventis in termino restis  
vacillantis occidentis prælatum, & denique perma-  
nentis in excómmunicação. Sensus autem rubricæ  
facilis est, nam dicit, *De pænis*, idest, de debitis deli-  
ctorum coercionibus.

*De pænitijs & remissionibus. Tit. XXVIII.*

**P**Rima observatio. Hæc rubrica sic solet conti-  
nuari: quoniam supra visum fuit de pænis, quæ  
imponuntur in foro judiciali seu in tribunali  
corporalis: ideo nunc de his quæ imponuntur in fo-  
ro conscientie, seu in foro, vel tribunali anime dis-  
putemus: & quia huiusmodi pænæ sæpissimè per in-  
dulgencias seu remissiones remittuntur & relaxan-  
tur, ideo etiam de remissionibus disputatur: & ita  
hæc rubrica duas continebit partes, alteram de pæ-  
nitijs, & alteram de remissionibus.

Secunda observatio. Ad primam rubricæ partem venientes  
dicamus, pænitiã dici à nomine, pæna, & à verbo  
teneo, quasi pænitiã sit pænæ tenentia, & pænite-  
re sit pænã tenere. Pænitiæ autem nomẽ variè acci-  
pitur. Primò pro quadam mutatione, aut quasi muta-  
tione facti, aut consilij sine dolore & tristitia, qua ra-  
tione dixit Dominus, Genes. c. 6. *Pænitet me fecisse ber-  
misem*, quæ certe significatio impropria & metapho-  
rica est, nam in Deo non est pænitiã, sed loquitur  
sacra scriptura secundum nostrum modum intelligen-  
di, qui quando aliquid facimus quod deinde displicet,  
dicimus, pænitet me hoc fecisse. Secundo accipi-  
tur pro displicentia cum dolore & tristitia de aliquo  
facto

facto, siue bono siue malo, vt in §. donec, inst. de emptione & vendit. Tertio accipitur pœnitentia pro displicentia & dolore de peccatis, quocumq; modo fiat: quæ ratione definitur à D. Ambrosio. c. 1. de pœnit. distin. 3. hac ratione. Pœnitentia est peccata præterita plâgere, & plâgêda iterum non cômittere. Quarto accipitur pro tertio Ecclesiæ sacramêto à Christo Dño instituto ad liberandos homines, qui post Baptismum ceciderunt. Quinto accipitur pro illa pœna, quam pro peccatis imponit sacerdos in sacramêto pœnitentiæ. In præsentî ergo capitur pœnitentiæ nomê prout accipitur in .4. & .5. modo. Quibus duobus modis accepta pœnitentia nõ poterit vnica definitione definirî: quare in sequenti obseruat. diffinietur, & explicabitur, quatenus est sacramentum, & modo definiamus illam quinto modo sumptam, cuius hæc erit definitio. Pœnitentiæ est pœna pro peccatis cômmissis & cõfessis, imposita à ministro in sacramento Pœnitentiæ.

Tertia obseruatio. Pœnitentia prout est sacramentum Ecclesiæ sic definirî potest. Pœnitentiæ est sacramentum nouæ legis à Christo institutum ad liberandum hominẽ à peccatis post Baptismum commissis, quæ definitio clara & facilis est, ex ea tamẽ apertè colligitur, illud Diui Hieronymi dictum, scilicet, pœnitentiã esse secundam tabulam post naufragium: naufragium enim est peccatum post Baptismum commissum, & prior tabula fuit Baptismus: quam metaphoram comprobant omnes Doctores, & Concilium Tridentinum sess. 6. capite. 14. & sessione 14. canone. 2. & dicitur in capite, secunda, de pœnitentiâ, distin. 1.

Huius Sacramenti minister in casu necessitatis est  
 quilibet sacerdos, extra necessitatē vero est solus sa-  
 cerdos, qui habet iurisdictionē spirituale ab ordina-  
 rio cōcessā. Forma etiā huius sacramēti est hæc: Ego  
 te baptizo, vt colligitur ex verbis Matth. 16. & 18. &  
 Ioan. 20. Materia verò duplex est, alia remota, idest,  
 materia circa quam tendit sacramentum, illam de-  
 struendo, & hæc sunt peccata tam mortalia quam ve-  
 nialia. Alia proxima, idest, ex qua simul cum forma  
 conficitur sacramentum, & hæc sunt tres actus pæni-  
 tentis, quos partes pænitentiæ vocant Doctores, sci-  
 licet, contritio cordis, confessio oris, & satisfactio  
 operis, vt docet D. Thom. 3. p. q. 84 ar. 2. Institutio de-  
 nique huius sacramenti, vt docet Concil. Trid. sess.  
 14. cap. 1. facta fuit Ioannis. 20. per illa verba, *Accipite  
 Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur  
 eis, & quorum retinueritis retenta erunt eis.* Sciendum  
 tamen est, triplicem esse pænitentiam, aliam solem-  
 nem, quæ est illa, quæ à solo Episcopo imponitur  
 propter aliquod delictum, quod totā commouet ci-  
 uitatem, de qua in cap. in capite, distinctione. 50.  
 Aliam publicam, quando scilicet, minister huius  
 Sacramenti propter aliquod publicum peccatum,  
 aliquam publicam pænam, seu pænitentiam impo-  
 nit, vt peregrinationem, & denique aliam priuatam  
 quæ communiter & quotidie imponitur à sacerdo-  
 tibus.

Quarta obseruatio. Ad secundam nostræ rubri-  
 cæ partem accedentes, in qua agitur de remissioni-  
 bus, dicendum est, remissionem in communi esse  
 libe-



liberationem ab aliquo onere iniuncto, vel iniungendo, Vnde in Sacramento Pœnitentiæ remissio est duplex. Prima est liberatio à peccatis iam commissis, & secunda est liberatio à pœna, seu pœnitentiâ pro illis iniungenda. Duo enim remittere potest minister Sacramenti Pœnitentiæ. Primò enim per absolutionem remittit culpam, scilicet, peccatum: & deinde quando tanquam iudex spiritualis iudicat, quam pœnam mereantur illa delicta, & quam satisfactionem debeat delinquens præstare, remittere etiam potest, vel in totum vel in partem illam pœnam, quam meretur pœnitens pro peccatis, alia leuiori subrogata, licet priuatam satisfactionem remittere non possit. Quæ omnia satis aperte colliguntur ex potestate illis tradita in prædicta huius Sacramenti institutione, Ioannis 20. in prædictis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis retenta erunt*, quæ referuntur in Concilio Tridentino dicta sess. 14. cap. 1.

Hic titulus habet sexdecim capita: habetur in Sexto, & Clementinis, & Extrauagantibus communibus, & de eius materia agitur capite, ij qui al. ratio 6. sed exemplo vsque ad finem distinctionis, dist. 50. & 36. quæstio. 6. & capite, si aliquis, 9. Ecce quod per totum, 36. quæstione 7. & denique in septem distinctionibus de pœnitentiâ. Quod vero in eo disputatur est, quòd pœnitentiâ imponitur secundum delictorum & pœnitentiam circumstantias, quæ pœna imponatur pro manifesto peccato,

cato, quæ pænitentia detur ei qui modum excessit se defendendo quod indulgentiæ non possunt cõcedi non subditis, quod non est vere pænitens qui nõ amittit propositum peccãdi, quòd ieiunans in pane & aqua potest alijs cibarijs vti, deficiẽte pane, quod pænitentiæ sacramentum cõceditur tempore interditi, quod doli capax tenetur cõfiteri semel in anno, quòd medici debent inducere infirmos ad cõfessionem, quòd Archiepiscopus potest concedere indulgentias intra prouinciã, & denique dicitur, qui possint eligere proprium confessorẽ. Sensus verò rubricæ est huiusmodi. *De penitentijs & remissionibus.* idest, de Sacramento pænitentia, & de pænitentia imposta pro peccatis, & de absolutionibus peccatorum, & indulgentijs superiorum.

*De sententiã excommunicationis, Tit. XXXIX.*

**P**Rima obseruatio. Quoniam egimus tam de pænis quæ in iudicio contetioso infliguntur, quàm de illis, quæ in foro spiritali solent imponi, agendum erit de quadam speciali pæna, qua prosequuntur illi qui aduersus superiores pænas incorrigibiles existunt, scilicet, de sententiã excommunicationis, quæ est rebellium & contumacium pæna, vt dicitur in capite, nullus, & capite, certum, n. questione tertia, & scribitur hæc rubrica solum sub his verbis: De sententiã excommunicationis, licet in aliquibus manuscriptis Codicibus legatur, De sententiã excommunicationis, & absolutionis: quæ lectura non nobis displicet, nam fere in omnibus capitibus

tibus huius tit agitur, de excōmunicatione, & eius  
absolutione, explicando per quem superiorē sit qui  
libet excōmunicatus absoluenāus. Et scribitur etiā  
hæc rubrica. De sentētia excommunicationis, & nō  
de excommunicatione tantum: tūm, quoniam vt do  
cet Abbas in hac rub. n. 1. licet excōmunicatio pro  
priè sententia non sit, tamen impropriè sententia po  
test appellari: & cum sit Ecclesiastica cēsura, de qua  
multum expedit Ecclesiæ, vt à fidelibus timeatur,  
ideo nominibus & terminis timorem & veneratio  
nē causantibus scribitur: tūm etiā, quoniam sæpius  
& sæpius sententialiter pronunciando contra re  
belles & contumaces exercetur.

Secūda observatio. Excōmunicatio dicitur ab, ex,  
quod est extra, & communicatio, quasi sit, extra  
communicationem positio, capite, cæterum, 24.  
quæstione tertia. Vnde in communi & generali  
significatione, potest definiti, vt definit Medices  
2. parte de definitionibus, capite trigesimo tertio,  
numero primo. Dicitur enim, quodd excommuni  
catio est à qualibet licita cōmunicatione, vel licito  
actu separatio: & hac ratione quodlibet præce  
ptum priuatiuum alicuius boni actus erit excom  
municatio: qua ratione non accipitur in præsen  
ti, nam in hac rubrica solum capitur in alia ma  
gis stricta significatione, prout scilicet est priua  
tio à perceptione sacramentorum, & à commu  
nicatione fidelium, qua ratione sic definit idem  
Medices vbi supra, numero. 2. Excommunicatio  
est censura Ecclesiastica à Canone, vel à iudice

Ecclesiastico prolata, priuans legitima sacramentorum, & hominum communione. Et hac ratione accipitur in præfenti.

Tertia obser. Ex superiori definitione colligitur, ex communicatione esse duplicem, aliam maiorem, & aliam minorem, & hæc est prima excommunicationis diuisio. Maior excommunicatio est quæ priuat excommunicatum à participatione Sacramentorum, & à communicatione fidelium, & à nobis. isto tit. Et hæc appellatur etiã Anathema, idest, superna maledictio. c. cū non ab homine, de iudicijs Anathema autē dicitur ab Ana, quod est sursum, & thema, quod est figura olim in frontibus damnatorum impressa. Appellatur etiã mucro Episcopi, idest, ensis Episcopi: quia excommunicatio est veluti ensis scindens excommunicatos à communicatione fidelium, & à perceptione sacramentorum, cap. visis, 16 q. 2. Minor excommunicatio est, quæ priuat excommunicatum à participatione sacramentorum non verò à communicatione fidelium, c. si de clerico excommunicato ministrante, & c. à nobis, de exceptionibus. In hoc ergo titulo de vtraque excommunicatione disputatur. Secunda diuisio est. Excommunicatio alia est à iure, alia ab homine, à iure est illa, quæ per sacros Canones statuta est, quæ etiam appellatur excommunicatio canonis seu excommunicatio latæ sententiæ, quæ fertur semper in pænã alicuius criminis, vt docet Abbas in hac rubrica, numero primo. Ab homine vero est illa, quæ à iudice pronunciatur, quæ etiam appellatur, excommunicatio iudicis, vel appellatur excommunicatio sententiæ

rentiæ ferendæ, & pronũtiatur semper in poenã cen-  
 tunciaciæ, vt docet idem Ab. d. nũ. r. Tertia diuisio est  
 excõmunicatio, alia est iusta, quæ iustam habet cau-  
 sam, & valet apud Deum, & Ecclesiam, & alia iniu-  
 sta quæ non habet iustam causam, & non valet apud  
 Deum, licet valeat apud Ecclesiam, seu vt melius di-  
 cam, valida ab Ecclesia reputatur, & in foro exteriori  
 custoditur. Propter quã causã traditũ est illud cõmu-  
 ne axiomã. Excõmunicatio siue iusta sit siue iniusta  
 timẽda est: nã semper iusta presumitur licet aliquã-  
 do in se iniusta sit. Sed dices quando iudex absolute  
 excõmunicat nõ exprimendo excõmunicationẽ ma-  
 iorem vel minorem, de qua excõmunicatione intei-  
 ligendus est. Respondeo cũ textu in c. penul. isto. tit.  
 intelligendum esse de maiori excommunicatione.

Hic titulus habet sexaginta capita, habetur in 6.  
 & Clementinis, & extrauagantibus Ioann. 22 & ex-  
 trauagantibus communibus, & de eius materia agi-  
 tur. 33. q. 1. & 2. & 3. & 9. q. 1. & 11. q. 3 per totũ. Quod  
 vero in eo disputatur est in primis, de percutiente  
 clericum, & qualis debeat esse percussio, vt sit excõ-  
 municatus, & à quo possit absolui, deinde, de euiti-  
 tione excommunicati. Præterea, de participatione  
 cum excommunicatis, & denique alia multa dicun-  
 tur varios casus excommunicationum concernen-  
 tia. Sensus autem rubricæ est huiusmodi. De / *ente-  
 tia excommunicationis*, idest de priuatione hominum  
 ab aliorum hominum, & sacramentorum  
 communicatione seu parti-  
 cipatione.

## De Verborum significatione. Tit. XL.

**P**rima observatio. Quoniam hucusque satis copulator suam intentionem fundavit tractando in primo libro de personis: siue de iudicibus ecclesiasticis: in secundo de iudicijs: in tertio de vita & rebus clericorum: in quarto de sponsalibus, & matrimonijs laicorum, & denique in hoc quinto de criminibus, & criminum poenis, in quibus omnibus sepiissime dubitare contingit de significatione terminorum seu vocabulorum, ideo non immerito in praesenti loco proponit hunc titulum de verborum significatione: in quo multae difficillimae voces, scitu dignae, & significatu obscurae, elucidantur.

Secunda observatio. Haec dictio, verbum: tria significat omnia illa ineffabili ac incomprehensibili significatione, cuius indigna censetur haec nostra libri contextura, qua scilicet significat secundam individuae ac Sanctissimae Trinitatis personam, scilicet, Filium, à Patre procedentem, & simul cum Patre, Spiritum Sanctum spirantem, de qua significatione loquitur Euangelium Ioannis 1. dicens. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* hac ergo, ut dixi omnia significatione. Primo apud Grammaticos significat tertiam orationis partem quam sic definiunt. Verbum est pars orationis quae coniugatur per modos, & tempora, & sine casu, ut amo, amas. Secundo significat apud Logicos

cos conceptum retentum in intellectu quo aliquid cogitamus, & quod deinde vocibus declaramus. Tertio denique significat in communi, & generali omnem vocem seu omnem dictionem aliquid significantem, siue sit verbum, siue nomen, siue pronomen, siue aliqua alia orationis pars. In præfenti ergo titulo accipitur verbum in hac tertia significatione, nam in hoc titulo disputatur de verborum, idest de multarum dictionum significatione. Et hac ratione sumptum dicitur verbum à verberando, quia quando vocem proferimus aërem verberamus.

Tertia observatio. Quod in hoc titulo de verborum significatione quæritur, & disputatur est multorum vocabulorum sensum, & interpretationem proponere, tam si proponantur in voce, quam si in scriptura, vt in testamento, vel rescripto contineantur veluti quid veniat appellatione noualis, vt in capite primo. quid appellatione patris, vt in capite secundo. & quid appellatione primogeniti, vt in capite. Ioseph, & alia similia. Præterea statuuntur certæ leges, & conditiones seu regulæ, secundum quas in interpretatione vel sensu verborum est procedendum, vt quod sensum, & non verba considerare debemus, vt in capite. propterea, vel quod non vitiatum factum vario modo narratum, si idem in substantia concluditur, vt in capite. nihil obstat: vel quod verba sunt intelligenda secundum intellectum proferentis, non vt sonant, vt in capite. intelligenti.

genti. Deinde proponuntur variarum vocum definitiones, veluti quid sit pactum, vt in c. pactum, & quid sit interdictum generale, vt in c. cum in partibus, & quid sit præpositus, vt in cap. quamuis. Tum etiam proponuntur variarum vocum Etymologiae veluti vnde dicatur ius, vt in c. ius dictum. Vnde dicatur forus, vt in c. forus, & vnde dicatur pactum, vt in c. pactum. Et denique proponuntur aliquæ privilegiorum interpretationes docendo quomodo illa debeant interpretari, vt in c. Abbate, & in c. quid per nouale, & in c. cū tibi, & in alijs multis capitibus.

Hic titulus habet triginta & tria capita, habetur in c. & Clementinis, & extrauagantibus Ioannis, 21. & de eius materia specialiter in aliquo loco disputatur in decreto. Quod autem in hoc titulo disputatum iam explicauimus in superiori obseruatione. Sensus vero rubricæ erit huiusmodi. *De verborum significatione, id est. De significatione multarū dictionum, & vocabulorū quæ in Iure Canonico sparsim cōtinētur.*

*De Regulis iuris. Tit. XLI. & vltimus.*

**P**rima obseruatio. Quoniam regulæ sumuntur ab ipso iure non vero ius à regula, vt probatur in l. 1. ff. isto titulo, ideo postquam de toto iure disputatum est, de regulis iuris in fine huius disputationis agendum erit. Vel potest sic continuari. Quoniam in nulla doctrina possunt omnes casus occurrentes decidi, & ob id optimum sit aliquas generales regulas constituere, vt recte futuri casus decendantur: ideo proponitur in fine totius Iuris Canonici, hæc



ei, hæc rubrica, *De regulis iuris*, subintelligendo. *Canonici*. Et proponitur post titulum de verborum significatione, quoniam disputatio de vocibus simplicibus, de qua agitur in titulo superiori, præcedere debet disputationem de vocibus compositis, de quibus in hoc titulo agitur: quod & verum est secundum Logicorum doctrinam, qui hac ratione commoti, disputant prius de quinque vocibus, & prædicamentis, quam de enuntiatione, & Syllogismo.

Secunda observatio. Regula dicitur à rego, regis: & regere est recte ducere nec aliorum trahere. Regula ergo ideo sic appellatur, quia recte regit seu, quia regulariter est vera, ut docet glossa in rubrica de regulis iuris lib. 6. Est autem regula in communi, & generali, id quod regit, seu id ad cuius formam, & sententiam aliquid facimus, quæ Græce dicitur Canon, ut habetur in cap. canon, dist. 3. Unde Ius Canonicum interpretatur ius regulare. Præterea regula apud varios varie capitur, & varie describitur. Primo enim Grammatici dicunt regulam esse multorum similium collectionem. Secundo Monachi dicunt regulam esse normam recte viuendi, & inde ipsi regulares appellantur. Tertio denique iuris consulti, & Canonistæ dicunt, regulam esse quoddam præceptum, vel quandam compendiosam orationem, quæ breuiter enarrat, id quod iuris est in vna quaque re. In hoc ergo tit. accipitur regula in hac 3. significat.

Tertia observatio. Regula prout in præsentī capitur sic primo diffinitur secundum Azonem. Regula est plurium rerum traditio compendiosa narratione fa-

ne fa-

ne facta. Secūdo diffinitur sic. Regula est quæ re que est breuiter enarrat. l. 1. ff. isto titul. quæ diffinitio sic potest explicari, id est, regula est, quædam oratio quæ id quod iuris est in vnaquaque re breuiter dicit seu enarrat. Et debet semper constitui seu fieri per verba vniuersalia quæ ex sua natura omnia comprehendant siue sint affirmatiua siue negatiua: nam officium regulæ est plures similes casus comprehendere, quod commode fit per verba vniuersalia. Sed dices si regula constituitur per verba vniuersalia, ergo sub regula comprehenduntur exceptiones, Respondeo, quod duobus modis possunt exceptiones sub regula comprehendendi: vno modo quoad sensum verborum, alio modo quoad veritatem, & sententiam regulæ: & sic dico, quod primo modo exceptiones continentur sub regula, non vero secundo modo, vt si quis dicat omnis homo currit excepto Petro, certe etiam Petrus continetur sub illis verbis, omnis homo currit, non tamen continetur sub sensu, & veritate eorundem verborum, nam illa verba dicunt omnem hominem currere, quod non verificatur in Petro.

Quarta observatio. Quoniã in principio huius rubricæ diximus, ius non sumi à regula, sed potius regula à iure, ideo hæc rubrica non inscribitur de iure regularum, sed de regulis iuris. Vnde in regula non statuitur ius, sed potius ius iam statutum, per ipsas regulas traditur. l. 1. ff. isto titu. In qua etiam rubrica nomine iuris non intelligimus Ius Civile: nam de regulis ipsius, iam tractatur in. ff. sub eadem rubrica, sed intelligimus Ius Canonicum: ab eo enim sumū

tur vndecim regulæ quæ sunt in isto tit. & octuaginta octo quæ sunt in eodem titulo lib. 6.

Hic vltimus titulus habet vndecim capita seu regulas, habetur in 6. non vero in Clementinis, & de eius materia non agitur in aliquo loco specialiter in decreto. Quod vero in eo disputatur est, quod omnis res per quascunque causas nascitur per easdē dissoluitur, quod dubia in bonam partem interpretemur, quod propter scandalum veritas nō omittatur, quod necessitas illicitum facit licitū, quod illicitum non obligat, quod sine iudicijs non est aliquis torquendus, quod offendens rē Ecclesiasticam est sacrilegus, quod qui facit aliter quam debet facere, nō dicitur, quod committens vnum peccatū reus est omnium, quod ignorantia non excusat Pastores, & denique dicitur quod pro spiritualibus homagiū non præstatur. Sensus vero rubricæ facilis est, nam dicit. *De regulis iuris*, idest de canonibus seu præceptis, & regulis Iuris Canonici.

Et hæc satis sint dicta in omnium rubricarum Iuris Canonici expositionem, ad laudem, & gloriam sanctissimæ & indiuiduę Trinitatis Patris & Filij & Spiritus Sancti, & intemeratæ Virginis Mariæ, eiusdem Patris Filij, Filij Matris, & Spiritus Sancti sponsæ, necnon, & omnium sanctorum atque sanctorum in sempiterna patria beatifica visione fruuentium.

Amen.

**F I N I S.**





INDEX TITVLO-  
RVM DECRETALIVM

qui in hac expositione de-  
clarantur.



A.



Excusationibus, inquisitionibus, & de-  
nuntiationibus lib. 5. pag. 419.

Adulterijs, & stupro lib. 5. pag. 462.

Ætate, & qualitate, & ordine præficien-  
dorum. 1. pagina.

Alienatione iudicij mutandi causa facta libro. 1. pa-  
gina. 109.

Appellationibus recusationibus, & relationibus li-  
bro. 2. pag. 201.

Apostatis, & reiterantibus baptisma libro. 5. pagi-  
na. 443.

Arbitris libro. 1. pagina. 112.

Authoritate, & vsu pallij lib. 1. pagina. 22.

B.

Baptismo, & eius effectu libro. 3. pagina. 334.

Bigamis non ordinandis libro. 1. pagina. 55.

# I N D E X

C.

- C** Alumnatoribus, lib. 5. pag. 413.  
**C** Capulis monachorum, & aliorum religioso-  
rum, lib. 3.  
Causa possessionis, & proprietatis, lib. 1. pag. 150.  
Celebratione missarum, & sacramento Eucharistiae,  
& diuinis officijs, lib. 3.  
Censibus exactionibus, & procurationibus, lib. 3.  
pag. 324.  
Clandestina desponsatione, lib. 4. pag. 365.  
Clericis peregrinis, lib. 1. pag. 59.  
Clericis peregrinantibus, lib. 2. pag. 206.  
Clericis coniugatis, lib. 3. pag. 26.  
